SPICILEGIUM

ROMANUM.

SPICILEGIUM

ROMANUM.

TOMUS VI.

PONTIFICUM ROM. VITAE. COLLECTIONES CANONICAE.
INNOCENTII ·III· PP. SERMONES ET DIALOGUS.
REI LITURGICAE, ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE,
AC GNOMICORUM FRAGMENTA.
SFORTIAE PALLAVICINI CARDINALIS TRACTATUS
DE PRINCIPE ERUDITO.

ROMAE
TYPIS COLLEGII URBANI
M. DCCC. XLI.

EDITORIS PRAEFATIO.

I. Amplissima vaticani palatii bibliotheca cum habet plurimos de re sacra, civili, ac litteraria scriptos codices, tum iis paene singulariter abundat qui romanorum Pontificum vitas continent, iura ac privilegia romanae ecclesiae, primatus defensionem, constitutiones, decreta, epistolas prope innumeras, tractatus plurimos sive cum diversarum regionum ecclesiis sive cum regibus, consilia ad propagandum conservandumque christianum nomen, extinguendas haereses, celebrandas synodos, legationes quaquaversus per orbem mittendas, vacantis etiam sedis et comitiorum historias, sacri senatus leges et consuetudines, universam denique gubernandae ecclesiae rationem, quod a Christo onus, labore amaro curisque assiduis plenum, Petro apostolo et successoribus eius impositum fuit. Atque haec videlicet in vaticanis pluteis tanta materia est, quae Rocabertii pontificiam bibliothecam plus quam duplicare queat; tam vero eximia, ut hominem politiae sacrae studiosum, vel administrandae ecclesiae quolibet in gradu addictum, apprime erudire prudentemque efficere queat; ad historiam demum ecclesiasticam vel augendam vel emendandam quantum conferat, nemo non videt. Huc etiam spectant tot Pontificum Copia rerum in codd. vatt.

de rebus gravissimis consultationes, et Patrum purpuratorum scriptae sententiae, orationes senatoriae, responsa, epistolae, puta Thomae capuani, Bessarionis, Columnae, Sirleti, Aleandri, Poli, Salviati, Borromaei, Bembi, Sadoleti, Commendoni, Bentivoli, Caraffae, Toleti, Baronii, Bellarmini, Valerii, Iustiniani, Putei, Ptolemaei, Pinellii, Quirini, atque aliorum infinitorum exquisito rerum usu praeditorum praesulum. Sunt etiam scripta plurima iam inde a Photii tempore furiosorum Graecorum, qui in romanam ecclesiam debacchantur; quibus totidem, immo fere plures, adversantur ex graeca pariter gente catholici homines conciliandae pacis atque unitatis studiosi: quare et Graeciae orthodoxae volumina ab Allatio edita, augeri plurimum possent bonis auctoribus qui in clausis pluteis typorum opem expectant. Atque idem de occidentis haeresibus, earumque refutationibus dicendum est. Miserae quoque Chaldaeorum, Armeniorum, Syrorum, Coptorum, atque Aethiopum ecclesiae diris haeresibus lacerae, sub pseudo-pastoribus deviae, tyrannisque ethnicis vel heterodoxis oppressae, in partem bibliothecae vaticanae veniunt. Neque vero in his codicibus sermo non fit de civili Pontificis maximi principatu atque eius peculiari ditione, quae nimirum initia habuerit, quae incrementa ceperit, quae sint eius politica instituta, magistratus, leges, rei iudiciariae, agrariae, ac numma-

riae forma; quantum non in Italia solum verum etiam alibi donati adquisitive patrimonii possederit: neque enim Cincii camerarii liber censuum romanae ecclesiae a Muratorio editus, cuncta complectitur, praesertim quia nondum totus lucem aspexit; Albini vero scholaris, et Cardinalis Aragonii, aliorumque plurium hac super re collectanea in regestis mss. servantur.

II. Ex hac tamen tali ac tanta bonarum rerum farragine, unum ego caput selegi, quod primum nominavi, vitas nimirum Pontificum, quarum scriptorem unum e multis adhuc ineditum nunc in lucem profero. Etenim vitas Pontificum usque ad Nicolaum primum, immo vero usque ad Stephanum quintum, pontificalis liber complectitur; reliquas Muratorius R. I. S. T. III. part. 1. et 2. usque ad Sixtum ·IV· ex diversis auctoribus nexuit, praesertim ex Pandulpho pisano, Bernardo Guidonis, Cardinali Aragonio, Amalrico Augerio, aliisque aliquot biographis paulo recentioribus. Porro inter dictos auctores Bernardus Guidonis filius, veritatis studio, opinionum delectu, notandorum temporum scrupulosa sedulitate, stili etiam bonitate, praecipueque copiosa civilis et ecclesiasticae historiae admixtione, sine dubio eminet. Attamen Muratorius nonnisi post Gregorium ·VII· Bernardo Guidonis uti coepit, quia praecedentium Pontificum vitas ex aliorum historicorum, quos diximus, lucubrationibus iam impresserat. Vitarum PP. nova editio.

Itaque Bernardus noster qui a S. Petro usque ad Iohannem ·XXII· pontificales vitas deduxit, adhuc ante Victorem ·III·, Gregorii ·VII· successorem, prorsus erat ineditus. Quod quum ego aegre ferrem, videremque iam olim Eccardum Corp. hist. T. I. praef. n. 20. Bernardi opus expetivisse, ipsum vero auctorem a Muratorio T. III. part. 1. p. 274., qui nemini umquam adulari solet, PRAECLARISSIMUM SCRIPTOREM dici, statui mecum ineditam illam Bernardi partem, a coryphaeo Petro usque ad Gregorium ·VII·, hoc meo volumine typis imprimere; sperans enimvero me de civili haud secus quam de pontificia et sacra historia bene meriturum.

De novo auctore vitarum PP.

III. Bernardus Guidonis filius, patria lemovicensis (anno ·M·CCC·XXXI· septuagenaria aetate denatus) post vitam diu inter PP. Praedicatores exactam, tudensem primo in Hispania sedem episcopalem ac mox lodovensem in Gallia anno ·M·CCC·XXIV· adeptus est. Scripta eius multa recenset accurate Quetifus Script. ord Praed. T. I. p. 577-580, laudes autem egregiae vitae in coaetaneis monumentis habentur. Is ergo romanorum Pontificum vitas, interpositis rebus civilibus, ante episcopatum composuit, ut ex eius epistola apparet, quae ad Iohannem ·XXII· anno ·M·CCC·XX· data est. Quod autem opus suum valde spissum atque redundans deinde breviaverit, testes sunt Balutius vit. PP. avenion. T. I. praef. sub fin., nec

non Quetifus ac Muratorius; mihique ipsi in pluteis vaticanis utraque operis species deprehensa est; nec breviata solum, sed variata interdum, et vitis illis, a Nicolao ·IV· ad Urbanum ·V·, per Theodoricum de Niem pontificium scribam cumulata, quas Eccardus in lucem protulit. Dum ego igitur compendio studeo, dum fabulosa aut suspecta commenta respuo, quae inclinati aevi scriptoribus saepe obrepserunt, malui equidem contractiorem Bernardi lucubrationem adsciscere quam longiorem. Profecto et Franciscus Pagius inductas vitis Pontificum ex isidorianis decretalibus additiones palam expulit (praef. breviar. p. IX.) et Baronius ac Bellarminus, duo fulcra ecclesiae, numquam illarum decretalium auctoritatem ob adserenda dogmata invocaverunt. Interim quamquam hic biographus φιλεφωμαῖκν passim se profitetur, et ad Iohannem pontificem scribit, nullumque pontificalis historiae naevum innuit quem alii auctores non canant, attamen nos veritati iustaeque apologiae non defuimus, puta in Marcellino, Liberio, Anastasio ·II·, Stephanis ·III· et ·VI·, Sergio ·III·, Zacharia atque Hadriano ·I·, quibus in locis vel brevia scholia scripsimus, vel certe ad defensionum fontes intendimus digitum.

IV. Sed duo nunc coniunctim capita nominatimque emendamus, imaginarios nempe Pontifices et intrusos. Imaginarii sunt Pontifices 1. CYRIACUS p. 29., cuius persona et pontificatus ex parum Κρίσις operis.

sinceris actibus SS. Ursulae atque sociorum tantum manarunt, etsi fabulam postea sexcenti auctores gregatim recinuerunt, qua super Caroli Blasci diatriba legenda est, et Bolland. in propyl. maii. 2. MARCUS confessor p. 37., quem sola fortasse Sicardi et archiepiscopi cusentini chronica referunt. 3. BASILIUS p. 211., quem a chronico non satis puro Vincentii bellovacensis noster sumit. 4. SILVESTER ·III· p. 260., ab obscuris aeque chronographis evocatus. 5. IOHANNA demum fabulosa papissa, quam ne scribere quidem aequum censuimus. Et quia nondum usitatum in fastis erat ut pseudo-papae pontificali catalogo eximerentur, idcirco noster in serie ponit p. 145. Leonem ·III·, et deinde Constantinum ·II·, Leonem ·VIII·, Bonifacium ·VII·, Iohannem ·XVII·, Benedictum ·X· qui re tamen vera cum Antipapis connumerandi sunt. Est ergo consequens, ut numerales notae Paparum a pervulgatis hodiernisque catalogis, legitimoque ordine differant; quod semel monuisse sufficiat; neque enim mihi auctorem meum pessumdare, atque ad fastos communes reformare licebat. Una mihi refutanda superest Muratorii affirmatio, qui quia Bernardus in vita Innocentii tertii (apud Murat. et in nostris codd.) ait: *huc usque chronica Richardi cluniacensis protenditur ac terminatur*; ex his inquam verbis collegit, Bernardum abs Richardo chronicum suum praecipue sumpsisse. Verum enimvero si Muratorius

praecedentes apud Bernardum vitas legisset, et non eas tantummodo post Gregorium ·VII·, quas ex urbe Mediolano palatini socii ad eum Mutinam submiserunt, rem aliter se habere putasset. Ecce enim eadem verba dicit Bernardus p. 52. de Eusebii chronico, p. 72. de illo Hieronymi, denique p. 146. de illo Bedae, quae praedictis in locis desinunt. De reliquis autem post Bernardum in volumine nostro opusculis, singillatim praefatiunculas propriis in locis scripsimus, cum idonea rerum notitia.

V. Quamquam in ubere pontificiorum monumentorum copia sobrietatem servare decrevi, nobiliora tamen scripta aliquot nominatim appellare nil vetat. Mitto Cardinalis Aragonii collectionem, quam vir cl. Mansius in additamentis ad Fabricii lat. medii aevi bibliothecam iam descripsit. Cincii camerarii codex censuum romanae ecclesiae, cum habeat in exemplari pervetere vat. columnensi folia CCLVIII., ex his vix centum apud Muratorium extant in medii aevi dissertationibus LXIX. et LXXII. Sunt tamen Cincii quaedam in magno etiam bullario, sunt alia apud Raynaldum, nonnulla denique apud nos p. 228. 239. 249. 300; magna pars tamen in membranis adhuc iacet, puta de provinciarum, urbium, vel castrorum accessionibus ad Ecclesiae rom. patrimonium, vel numerato a Pontificibus pretio, vel piorum hominum oblationibus, vel hereditario aut feudali iure, de-

Alii codices vat. de rebus PP.

que multis principum vel procerum opulentorum obsequiis, iurata fide, et per sollemnes syngraphas donationibus. Alii sunt codices ubi abs Iohanne ·XII· usque ad Paulum ·II· res praecipue Pontificum ordinatim ponuntur, sumptae scilicet ex libris authenticis regestorum, privilegiorum, id est bullarum, censuum etc. in tabulario olim lateranensi repositis, quorum singulae chartae ac paginae accurate citantur.

Albini scholaris notitia.

VI. Iam Albini scholaris codicem (ottob. 3057.) in orbe fortasse unicum, intulit e stoschiana bibliotheca in vaticanam Card. Passioneius apostolicus bibliothecarius; eius vero notitiam ac prologum in commentario de praedicti Passioneii vita dedit Galletius p. 232-235. Albinus hic, gente romanus, a Lucio ·II· PP. anno ·MCLXXXIV· sacerdos consecratus, collectanea sibi fecit de diversis rebus ac disciplinis in non brevi volumine foliorum 160. formae grandioris, eaque primum in schedulis et protocollis scripta, deinde ut ait in prologo in quaternis mundis redegit, cuiusmodi reapse sunt membranae codicis nostri, ubi in duplici longo laterculo pulcra scriptio decurrit, quam autographam tamen haud ausim dicere, quia paulo recentior Albini aetate videtur. Constat opus non decem, ut ait Gallettius, sed undecim libris; ex quibus, praeter pontificiae historiae fragmentum quod in meo volumine p. 277-280. legere licet, nunc unicum sumam excerptum, meo

quidem iudicio satis pretiosum, de sanctarum imaginum cultu, sub rubrica synodica de qua mox dicam. Nam concilii lateranensis anno ·DCC·LXIX· celebrati sub Stephano ·III·, seu ut vulgo loquimur ·IV·, deperdita acta invenit partim in codice veronensi Blanchinius, vulgavit autem cum optimis commentariis Cennius, eaque postea in conciliorum collectiones translata sunt. Exiguis vero Veronae copiolis subsidium contulerunt alia fragmenta quae Lucas Holstenius in romana sylloge iam protulerat p. 259-267. Ex his apparet duplicem fuisse concilii scopum, nempe Constantini antipapae damnationem, et sanctarum imaginum adversus iconomachos defensionem, id quod Anastasius etiam in Stephani vita diserte tradit.

VII. Nunc ecce in Albini scholaris collectaneis lib. I. fol. 6. quadratis rubricatisque litteris legitur: *Gregorius iunior in concilio ·III· Stephani*; sequiturque Gregorii iunioris, id est ·II·, oratio de cultu imaginum quam mox referam. Quid hoc rei est? Unicum fuit concilium romanum sub Stephano ·III·, tria vero romana sub Gregorio iuniore, in quorum tertio de cultu pariter ss. imaginum actum fuit, teste luculento Hadriano ·I· in epistola ad Carolum magnum (Concil. Labbei T. VI. p. 1460.) quo loco Hadrianus coniungit quoque mentionem concilii item contra iconomachos sub Stephano decessore suo, id est ·III·, ut diximus. En verba Hadriani: *pro his firmissimis exemplis*

Gregorii II. adlocutionis fragmentum apud Albinum.

(honorandi sanctas imagines) *praedecessor noster dominus Gregorius ·II· iunior papa in suo sacro concilio* (*quod et in alio concilio praedecessoris nostri Stephani papae una cum sacerdotibus partium Franciae atque Italiae susceptum et veneratum est*) *in eo ipso praesidente sanctissimo ac beatissimo quondam domino Gregorio papa per semet ipsum similiter dixit etc. quanto debemus puro corde et animo sculptum Christum Deum nostrum, sanctamque semper virginem Mariam, apostolos quoque vel omnes sanctos Dei, per eorum sacras effigies atque imagines colere vel adorare, et ad propitiandum nobis petere relaxari delicta?* etc. Bene habet; inventum est tempus et locus, quo Gregorius iunior sententiam dixit pro imaginum cultu. Sed quid faciemus illis orationis verbis, ubi Claudius taurinensis nominatur, immo iam mortuus dicitur? Etenim inter Claudium et Gregorium secundum anni centum circiter sunt interpositi, inter Stephanum vero tertium quinquaginta. Non autem fieri potest ut Claudius noni saeculi homo, a praecedentis saeculi hominibus appellatus sit. Crucem figit haec difficultas; sed suspicari fortasse licet verba illa de Claudio iconomacho ab amanuensibus adiecta fuisse, ut is eodem cum graecis iconoclastis gladio confoderetur. Certe et in commentario pseudo-Ambrosii ad Pauli epistolam I. ad Timoth. cap. 3. mentio Damasi papae, uti in vivis tunc agentis, obreptitia

creditur, propterea quod ille commentarius neque Ambrosii esse potest neque tam vetustus. Sed nodum hunc lentius alii feliciusque expedient. Mihi sat est, Gregorii iunioris orationem seu sententiam synodicam, prout legitur apud Albinum, recitare, atque hoc palmari fragmento, orthodoxorum contra iconoclastas concilia cumulare.

Gregorius iunior in concilio ·III· Stephani.

Ex Albini collectaneis lib. 1.

Constat certe subire illum non parvum periculum, qui contra maiorum ausus fuerit statuta venire. Cur execremur sanctorum effigies, per quos didicimus fidei veritatem? Notandum vero quod sicut quidam easdem imagines ultra quam satis est venerantur, ita alii dum volunt cautiores esse ceteris, illas ut quasdam idololatriae species respuunt, et praesumptionis fastu simplicium corda scandalizant. De quorum numero Claudius taurinensis episcopus, in veritatis itinere, nominis sui similitudine nutabundus, inter ceteras vanitatum suarum ineptias suo iudicio dampnatus interiit; et qui imperatoris fidelium velut in nummo contempsit imaginem, ante tribunal ipsius protervitatis et inquietudinis suae poenas exsolvit. Non enim levem iniuriam saeculi potentes sibi putant illatam, si imaginem suam et nomen in quolibet numismate a subiectis despici cognoverint et calcari. Ergo cum populus christianus tanta sit in divinis rebus docilitate in interiora cellaria sapientiae spiritaliter ductus, ut non dicam picturas et imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines vivos vel mortuos divinis credat colendos honoribus

vel adorandos; (rogamus enim sanctos non ut ipsi praestent per se quae saluti nostrae necessaria sunt, sed ut amicos et famulos Dei patronosve oratos et plene salutatos in adiutorium invocamus; Deo autem supplicamus ut iudici, creatori, omnipotenti, et salvatori; tales enim preces fidelium, qui publicas ecclesiae orationes considerare noverunt, dubitare non poterunt); cum igitur talis sit christiani sensus perfectio, non sunt omnimodis honesti et moderati imaginum honores abiciendi. Si enim quia novimus non adorandas nec colendas iconas, conculcandae sunt et delendae picturae, quasi non necessariae vel nocivae, ergo et quia credimus quod creator hominum ubicumque est, et caelum et terram implet, non habitet in manufactis, destruenda sunt templa, ne videamur parietibus et tectis inclusum credere creatorem. Sicque poterit evenire, ut dum cavemus ne uspiam sit aliquid, ubi insipientium mens possit errare, nihil paene habeamus quo vel devotionem nostram exerceamus, vel simplices et ignaros ad amorem invisibilium trahere valeamus. Sic itaque imagines et picturae habendae sunt et amandae, ut nec despectu utilitas annulletur, et haec irreverentia in ipsorum, quorum imagines sunt, redundet iniuriam; nec cultu inmoderato fidei sanitas vulneretur, et corporalibus rebus honor minime iupensus arguat nos minus spiritalia contemplari.

De opusculo Iohannis ephesii.

VIII. Inter codices vaticanos, qui dogmaticas controversias de Spiritus sancti processione etiam a Filio, vel de romanae ecclesiae primatu continent, vel subnatas alias per schisma et animorum aestum quaestiones, multa Graecorum opuscula occurrere superius dixi, quorum unum vel alte-

rum peculiariter commemorabo, indidemque excerpta depromam. Atque in primis Iohannis Clidae (sive Chilae) metropolitae Ephesi perdoctum vidi libellum ob schismatis detestationem conscriptum; et quidem duplici in exemplari, altero latiore cod. ottob. 225, altero autem strictiore oratione comprehensum cod. ottob. 213. Hominis scriptique vix mentionem facit Allatius contra Creyghtonum p. 644, et de consensu p. 513, denique de Methodiis p. 365. et 377, quo postremo loco particulam quoque recitat. Nam altera illa particula quae p. 514. de cons. legitur, ex diverso Ephesii scripto dimanat. Fuit hic Iohannes inter Ephesi metropolitas hoc nomine quintus, qui tempore synodi constantinopolitanae innotuit, sub Andronico secundo, Michaëlis octavi filio, congregatae ob sedandos ecclesiae graecae motus, seu schisma inter Arseniotas ac Iosephinos propter ambitum sedis patriarchalis concitatum. Etsi autem apud Lequinium Or. ch. dicitur synodo Ephesius non interfuisse, nunc contra accidisse cernimus; etenim ipse coram synodo sermonem hunc recitavit aut obtulit de tollendo schismate copiosum atque disertum, et ecclesiastica eruditione plenum; cui similis est Methodii monachi tractatus, eodem tempore et occasione scriptus, et a nobis Script. vet. T. III. editus. Quare utraque lucubratio propter generalem schismatum vituperationem, valde utilis videtur et

prudens. Est hic opusculi titulus et initium in codice vat. ottob. 213.

Τοῦ μετροπολίτου Ἐφέσου Ἰωάννου λόγος συντεθεὶς κατὰ σχισματικῶν ἐκ διαφόρων κανόνων καὶ γραφικῶν ἀποδείξεων, ἀποδεικνὺς ὅτι ὀρθοδοξούσης τῆς ἐκκλησίας ἀλόγως ταύτης διΐστανται: *Iohannis metropolitae Ephesi oratio composita contra schismaticos, ex diversis canonibus et scriptis demonstrationibus comprobans, quod cum ecclesia est orthodoxa, absurde nonnulli ab hac secedunt.*

Οὐδὲν ἀγάπης ἐν βίῳ ἀνώτερον καὶ ἡδύτερον, καὶ οὐδὲν εἰρήνης καὶ ὁμονοίας ἐν κόσμῳ λυσιτελέστερον καὶ τερπνότερον· ἀγάπη γὰρ ὁ θεὸς ἔστι τὲ καὶ ὀνομάζεται· καὶ ἡ κατὰ θεὸν εἰρήνη καὶ τοῦ θεοῦ πάντα νοῦν ὑπερέχει ὡς δεδιδάγμεθα· αὗται καὶ τὸν δημιουργὸν καὶ δεσπότην τῶν ὅλων κλῖναι τὲ τοὺς οὐρανοὺς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς καταβῆναι κατέπεισαν· καὶ μέν τοι καὶ καταβέβηκε, καὶ καθ' ἡμᾶς δι' ἡμᾶς χωρὶς ἁμαρτίας κατ' ἀλήθειαν ἄνθρωπος γέγονε· καὶ πάντα τὰ μὲν δράσας, τὰ δ' ὑποστὰς τὰ ἀνθρώπινα, τοῖς ἐγγὺς καὶ τοῖς μακρὰν τὸ καλὸν τῆς εἰρήνης εὐηγγελίσατο· ταύτας καὶ ὁ πιστότατος τοῦ γένους ἡμῶν βασιλεὺς εἴπερ τις ἕτερος ἀγαπήσας, συγκαλεῖται ὡς ὁρᾶτε τοὺς πάντας ἐνταῦθα, ὅπως ἂν μετὰ τοῦ θεοῦ καὶ αὐτὸς τὰ τῆς εἰρήνης ἡμῖν εὐαγγελίσηται ἀγαθὰ, καὶ τὸν πολυήμερον πόλεμον καταλύσῃ, καὶ πρὸς τὴν ἀρχαίαν τὰ διεστῶτα ἐπαναγάγῃ συνάφειαν. *Nihil est in humana vita charitate excelsius et suavius, nihil in orbe pace et concordia utilius ac iucundius. Deus enim charitas est et appellatur; pax autem Dei et secundum*

Deum, omnem intellectum superat, ut scripturae nos docent. Pax nimirum et charitas creatori dominoque omnium, ut caelos inclinaret atque in terram descenderet persuaserunt. Descenditque reapse, et pro nobis atque ad similitudinem nostram, excepto peccato, verus homo est factus; atque humana omnia et agens et patiens, propinquis aeque ac remotis pacis bonum nunciavit. Eisdem, paci scilicet et charitati, apprime studens fidelissimus gentis nostrae imperator, convocavit ut cernitis hoc loco universos, ut et ipse cum Deo pacis bona nobis annunciet, et diuturnam contentionem dissolvat, atque ad priscam discordantes pacem reducat.

IX. Pergit deinde Ephesius historiam schismatum diversarum per orbem ecclesiarum, atque ipsorummet inter se Graecorum latissimo sermone describere ac deplorare, et canonum patrumque veterum auctoritate castigare. Summa autem sermonis est, ut neget Ephesius, ullum umquam schisma licere nisi ob evidentem ac iudicatam haereseos causam: nam cetera ἐγκλήματα etsi poenis vindicanda sunt, non tanti esse tamen ut ad summum secessionis malum compellant; nedum liceat διά τινας μικροψυχίας, ut ait S. Basilius, propter aliquas pusilli animi adfectiones vel acerbitates, perniciem tantam populis Dei inferre. Qua doctrina diu tradita, homo graecus memorabilem huiusmodi sententiam dicit: σημείωσαι ταῦ-

τα, ἴσως γὰρ ὠφεληθήσονται οἱ κακῶς (1) λέγοντες ἀποσχισθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ Ῥώμης, πρὸ τοῦ καταδικασθῆναι αὐτὸν καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ὡς κακόφρονας: *nota hanc doctrinam, quae fortasse eis proderit, qui nos inique schisma fecisse aiunt a romano Pontifice, ante quam definitum sit, vel ipsum vel eius asseclas pravum dogma fovere.* Bene haec habent; nihilominus ob ea quae dicit f. 25. b. schismaticus Ephesius credendus est. Ibi enim laudat Andronicum, quod adeptus sceptrum, ilico patrium (id est patriae) dogma professus sit, quovis alio ob peregrinitatem excluso, et quod omnem novitatem corruptelamque doctrinae abiecerit etc.; quibus verbis reditum Andronici ad schisma post Michaëlis parentis obitum, qui anno contigit ·M·CC·LXXXII·, significare ac dilaudare videtur.

Reliqua omitto, quae multa in medio sunt, donec infra f. 43. de prudentia ecclesiastica scribit auctor, quod nempe necessitate aut vi gravi aliqua urgente (excepta ratione fidei) de stricto canonum iure declinandum sit, ne, dum partem mordicus tenere volumus, summam perdamus. Quam sententiam S. Cyrilli auctoritate confirmat brevi epistola ad Gennadium archimandritam,

(1) Ita in cod. 225. f. 19. b. At in cod. 213. καλῶς. Attamen in contrario adverbio idem manet sensus, qui a praecedentibus determinatur, nempe quod ante latam haereseos sententiam non liceat a suo pastore discedere. Si καλῶς mavis, dic: *haec doctrina fortasse iis proderit* (*id est eos emendabit*) *qui nos recte discessisse aiunt* etc.

quae inter editas est T. V. part. 2. p. 191. Mox Ephesius prosequitur suum propositum diversis exemplis roborare, recitataque parte epistolae Iohannis ·VIII· papae ad Basilium imperatorem quae in photiana synodo legitur, de antiquatis multis ob tempora mutata canonibus disserit; quam particulam ideo libentius heic recitabo, quia duarum latinorum canonum collectionum summaria hoc volumine edidi; quantumvis enim boni sint ii canones ac plerique utiles, non ita certe sunt immobiles atque rati, ut eos ecclesiae auctoritas, pro rerum temporumque adiunctis, variare prudenter nequeat.

En verba Ephesii cod. 213. f. 202. *Ὅσους δὲ κανόνας τῶν ἀρχαιοτέρων οἱ μετ' ἐκείνους ἀρχιερεῖς καὶ μεγάλοι πατέρες ἡμῶν ἀργίᾳ τελείᾳ συνέστειλαν, τί χρὴ καὶ λέγειν ἡμᾶς; ἴσασιν οἱ τὰ ἱερὰ τῶν κανόνων πεπαιδευμένοι μαθήματα· ποῦ γάρ ἐστιν ὁ κανὼν ἐκεῖνος ὁ τοὺς ἐπισκόπους συνοικεῖν ταῖς οἰκείαις αὐτῶν γυναιξὶν ἐντελλόμενος; ποῦ ἐκεῖνος ὃς τοὺς σχισματικοὺς καὶ τοὺς αἱρετικοὺς ἐξαναβαπτίζεσθαι διατάττεται; ποῦ ὁ διορίζόμενος πάλιν ἑπτὰ διακόνους εἶναι καὶ μόνους ἐν ἑκάστῃ τῶν πόλεων; ποῦ ὁ μετὰ τὸ φαγεῖν ἡμᾶς κατὰ τὴν μεγάλην ε' μετέχειν τῶν φρικτῶν τοῦ Χριστοῦ μυστηρίων, μιμήσει τάχα τοῦ κυριακοῦ δείπνου ἐκείνου, νομοθετῶν; ποῦ κἀκεῖνος ὃς τοῖς πλήθεσι τῶν ἐπισκόπων ἐκλογὴν ποιεῖσθαι καὶ ψῆφον ἐπέτρεπε; καὶ μακρὸν ἂν εἴη τοὺς ἀπρακτήσαντας τῶν κανόνων πάντας ἐκλέγεσθαι νῦν καὶ εἰς μέσον παράγεσθαι.* *Quot autem antiquorum praesulum canones a poste-*

rioribus episcopis magnisque patribus sint omnino sine effectu habiti, cur nos dicere oportet? Id videlicet sciunt qui canonicas disciplinas didicerunt. Ubi est enim iam ille canon qui mandat episcopis ut cum sua quisque coniuge habitet? Ubi ille qui schismaticos et haereticos rebaptizari praecipit? Ubi rursus ille qui septem tantum diaconos in unaquaque urbe esse decernit? Ubi ille, qui constituit ut cibo praesumpto, in quinta magna feria tremendis Christi mysteriis communicemus, idque ob imitationem fortasse coenae dominicae? Ubi et ille qui populi multitudini in episcoporum electione suffragium permittit? Longum esset antiquatos omnes iacentesque canones nunc seligere atque in medium proferre.

S. Methodii patr. scripta quaedam.

X. Sequitur in codice 225. f. 45. tractus non ita exiguus διαθήκης ἐπιτελευτίου, testamenti quo Methodius ille confessor, patriarcha constantinopolitanus, circa annum ·DCCCXLII· catholico robore clarus, contra parum reverentes patriarchalis dignitatis Studitas monachos scripsit; quam sententiam in homilia quoque, iamdiu deperdita, dixit: ἄλλα γε καὶ ἐν ἑτέρᾳ ὁμιλίᾳ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν φησὶ· μὴ συνεσθιᾶσθε τούτοις, μηδὲ λέγετε χαίρειν, ἐπεὶ εἰ κοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις αὐτῶν, ἐξ ἀναγκαίου δὲ καὶ τῷ ἀναθέματι· καὶ τοῦτο δὲ ὑπομνήσομεν, ὡς εἴ ποτε ἐπιστρέψειεν, κἀκεῖνα τὰ κακῶς γραφέντα οὐ τοσοῦτον κατὰ τῶν πατριαρχῶν, ὅσον κατὰ τῆς ἐκκλησίας, ἐκεῖνοι γὰρ ἦσαν ἡ ἐκ-

κλησία οἱ καὶ ταύτην στηρίξαντες, ἀναθεματίσουσιν, ἐφεῖται καιρὸς αὐτοῖς μετανοίας, ἀλλ' οὐχ ἱερωσύνης. *In alia quoque homilia de iisdem Studitis ait : ne cum iis quisquam vescatur, neque ave eis dicat; nam si ipsorum actibus communicaveritis, necessario etiam anathematis participes eritis. Verumtamen hoc quoque monemus, quod si nempe resipuerint, et iniquis illis maledixerint scriptis non tam adversus patriarchas, quam contra ecclesiam, hi enim ecclesiam constituebant qui eam fulciebant, tempus ipsis ad paenitendum conceditur, non tamen ad sacris fungendum.* Immo vero contra Studitas epistola beati Methodii profertur cod. 225. f. 22., quam ego nonnisi breviatam et magna sui parte decurtatam ex codice 213. (quem contractiorem altero iam supra dixi p. XVII.) recitavi Script. vet. T. III. p. 256. Est autem nunc operae pretium eam nunc integram heic describere, nulla tamen adiecta brevitatis causa interpretatione latina. Quod autem praedicto in loco ait monachus Methodius, epistolam hanc patriarchae Methodii legendam esse apud Niconem, recte se habet; etenim ex codice arabico vat. 176. apud nos Script. vet. T. IV. p. 168. apparet eam in Niconis typicum fuisse receptam. En autem ut eam recitat Iohannes ephesius.

Τὰ γεγραμμένα κατὰ τοῦ Νικηφόρου τοῦ πανοσίου καὶ Ταρασίου τοῦ τρισολβίου, εἰ μὴ ἀναθεματίσητε, ἢ σήμερον ἔμπροσθεν τῶν ἀδελφῶν καὶ συλλειτουργῶν, ἢ εἰς ὡρι-

σμένην ἡμέραν ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς τῇ ὑμετέρᾳ μονῇ καὶ ἀκροωμένων, καὶ θελήτε τὸν ἐν αὐτοῖς ὅρον καίειν τὲ καὶ ἀναθεματίζειν αὐτὰ, καθὼς ἀπολογούμενοι ἐν ταῖς περὶ τῆς ἐκκλησίας διοικήσεσι γεγραφήκαμεν, γνῶτε ἀδελφοὶ ὅτι ὑμᾶς τε ἑαυτοὺς τοὺς περιεχομένους αὐτῶν, οὐχ ἁπλῶς ἀναθεματίσομεν, ἀλλ' αἰσχρότερον καταθεματίσομεν (1)· ὁ γὰρ μακάριος ἡγούμενος ὑμῶν καὶ διδάσκαλος τὸ πέρας τῆς ἑαυτοῦ βιοτῆς αἴσιον, καὶ σὺν ἡμῖν ὑπάρχων λειτουργήσας, ἔργῳ

(1) In margine habetur haec adnotatio, aliam Methodii patriarchae particulam continens, cum egregia doctrina de unitate ecclesiae, et de obedientia pastoribus debita. *Χρὴ εἰδέναι ὡς οἱ φοιτηταὶ τοῦ Στουδίτου, μετὰ τὴν ἁγίαν ἐκείνου κοίμησιν, μὴ θέλοντες ὑποτάσσεσθαι τῇ καθολικῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ὡς ἔοικε, τῷ δὲ οἰκείῳ θελήματι μάλιστα περιάγεσθαι, τὴν πρώην ἐκείνου κατηγορίαν λαβόντες εἰς ἀφορμὴν, συμπλασσόμενοι δὲ καὶ ἑτέρας καὶ προσθέντες αἰτίας, ἀπεῤῥάγησαν αὖθις καὶ ἀπέσχισαν ἑαυτοὺς ἀπὸ τῆς κοινῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας· καθ' ὧν ἄρα καὶ ὁ ἅγιος Μεθόδιος ὁ ἐν πατριάρχαις ἀοίδιμος συνοδικῶς κινηθεὶς, τὸ ἀνάθεμα ἐξεφώνησεν· οἷς ἄρα καὶ ὁ πατριάρχης οὗτος ὁ μέγας πολλάκις παραινῶν οὕτως ἔλεγεν. " Ὅτι διδαχὴ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας διττή πως καὶ μεριστὴ οὔτέ ποτε γέγονεν οὔτε γενήσεται· ἀλλ' οὐδὲ ἄναρχός τις καὶ ἀκέφαλος, μὴ ἔχουσά τινα ἐφ' ἑαυτῆς τὸν κατάρχοντα, μηδὲ κεφαλὴν ἐφ' ἑαυτὴν φέρουσα οὔτέ ποτε ἑώραται, οὔτε μὴν ὁραθήσεται· κεφαλὴ μὲν γὰρ πάσης τῆς γῆς ὁ ἄνθρωπος κατὰ τὸν ἀπόστολον· τοῦ δὲ ἀνθρώπου εἰς ἄνδρα καὶ γυναῖκα μεριζομένου, ὁ ἀνὴρ ὑπάρχει τῆς γυναικὸς κεφαλή· τοῦ δὲ ὁ Χριστός· τοῦ δὲ ἀμερίστου Χριστοῦ, ὢ τοῦ θαύματος, ὁ θεός· τὸ γοῦν ἅπαν σῶμα τῆς ἐκκλησίας συναρμολογούμενον ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ τὲ καὶ εἰς Χριστὸν, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Χριστοῦ· ἧς ἐκκλησίας ὑμεῖς πάντη ἀλλότριοι· καὶ πάλιν ὑμεῖς ἀκέφαλοι ὄντες καὶ ἄναρχοι οὐκ ἔχετε ἐξουσίαν λέγειν μετέχους καὶ μεριστὰς ἑαυτοὺς δὴ ἐκκλησίας Χριστοῦ· ὁ γὰρ κεφαλὴν μὴ ἔχων, ἄλλου κεφαλὴ οὐδαμῶς ἔσεται, καὶ ὑποταγὴν ἑτέρων ζητοῦντες, τῇ αὐτῶν ἀνυποταξίᾳ τούτους ἐν ὑποταγῇ ἔχειν οὐ δύνασθε· λόγῳ γὰρ τούτους θέλοντες ὑποτάττειν, ἀνυποτάκτους μένειν ἔργῳ διδάσκετε. "*

τοὺς ἰδίους λόγους ἠθέτησεν, ἐπεὶ οὐκ ἄν ποτε ἐγένετο μεθ' ἡμῶν, εἰ τὰ γραφέντα αὐτῷ καθ' ἡμῶν ἔφερεν ἐν τῇ διανοίᾳ καθ' ἑαυτόν· ταῦτα δὲ οὐκ ὀνειδίζοντες ἐγράψαμεν, οὐδὲ οὕτως ἵνα γένηται θέλομεν ἢ εὐχόμεθα, ἀλλ' ὥσπερ τῇ ἰδίᾳ διανοίᾳ ἐγκυμονοῦντες ταῦτα καὶ ὀφειλομένως εἰς ἐπήκοον ἐλθεῖν χρεωστοῦντες, λελαλήκαμεν πάντα, ἵνα μόνον εἰδείητε πόσα ὑπερβουλόμεθα, καὶ εἰ ἔτι θέλομεν, ἔχομεν δικαιωμάτων ῥήματα καὶ εὐθύτατα κρίματα, πρὸς ὑμᾶς κατὰ ἀντιῤῥησιοσύνην ἀντιτάξασθαι, καί γε καὶ πλείονα ὄντα, ἵνα μὴ ὀργὴν ὑμῖν μείζονα κινήσωμεν, τὸ πλάτος τῶν μετ' αὐτῶν συνεπιφερομένων καὶ συνεπακροᾶσθαι δυναμένων, σεσιωπήκαμεν· εὐχόμεθα γὰρ τὸν ὑπεράγαθον κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ εἰς ἔτι ἐπὶ μακρὸν εὐξαίμεθα, πάντων τῶν λόγων τούτων μέχρι ῥημάτων ἁπλῶς κινηθέντων, τὴν ἑαυτοῦ εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν καὶ σύνεσιν καὶ ἀγαθοφροσύνην ὑμῖν καὶ ἡμῖν χαρίσασθαι. Καὶ πάλιν ἀλλαχοῦ οὕτω φησί. Πρὸς οὖν τοὺς Στουδιώτας etc. usque ad κατάθεμα, quae particula est apud Allatium de Methodiis p. 377. Deinde ita pergit Ephesii codex. Καὶ οὐκ αὐτοὶ μόνοι, ἀλλὰ καὶ ὅσοι πείθονται αὐτοῖς καὶ συναρπάζονται καὶ εἰς φιλικὴν αὐτοῖς ὁμηρεύονται ὁμιλίαν ἢ συναυλίαν, καὶ οὗτοι ἀπὸ τούτων κατάθεμα ἔστωσαν, ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ τῷ διαβόλῳ ἀνάθεμα· αὐτοὺς γὰρ πατοῦντες, ἤγουν ἐπ' αὐτοὺς βαίνοντες, τουτέστι τῇ τούτων γνώμῃ ἐπερειδόμενοι, ἐπὶ τῷ τούτων καταθέματι βαίνοιεν οἱ πειθόμενοι αὐτοῖς εἰς ἀνάθεμα· οὐ θαῦμα δὲ τοῦτο ὅτι τοὺς αἰτίους τῆς ἀπωλείας τῶν πειθομένων αὐτοῖς καταθέματι ὑπεβάλομεν· δίκαιον δὲ νομίσαι, ὅτι θείκῇ τε καὶ ἀποστολικῇ κρίσει τοῦτο πεποιήμεθα καθ' ὑπερβολὴν τῆς ἁμαρτίας ἤτοι τὴν αἰτίαν τῆς ἁμαρτίας καὶ

κρίνοντες καὶ ὁρίζοντες καὶ ὀνομάζοντες· τῷ Χριςῷ ἐντεῦθεν εὐχαριστία. Sequuntur in calce huius epistolae, utpote synodicae, acclamationes seu faustae precationes pro imperatoribus, clero, populo, urbe regia, ac universo imperio. Ex libello Iohannis ephesii excerpta hactenus. De Tarasii autem ac Nicephoro patriarchis, a quibus non recte schisma fecit Theodorus studita, extat perspicua historia etiam in codice vat. 1137, ubi Methodius ad Studitas scribens sit concludit: σὺ μοναχὸς εἶ, καὶ οὐκ ἔξεστί σοι ἐξετάζειν τὰ τῶν ἱερέων, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαί σε χρὴ, καὶ οὐχ ὑποτάσσειν οὐδὲ ἐξετάζειν αὐτούς: *tu monachus es, neque tibi licet pontificum acta ad trutinam revocare; nam subiectus iis esse debes, non eosdem subiicere vel de ipsis inquisitionem instituere* (1).

(1) S. Epiphanium, celebrem illum in Cypro episcopum, adversarium fuisse magni Chrysostomi, synodoque contra eum celebratae subscripsisse, dicunt operte Graecorum menaea, eaque opinio ad alios quoque historicos manavit. Atqui in dicto codice, immo eodem prope loco nuper citato, contraria prorsus narrantur sic: τὸν ἅγιον Ἐπιφάνιον τὸν Κύπρου εὑρίσκομεν, τὸν αὐτὸν ζῆλον καὶ ἔνστασιν ἀήττητον ἐνδειξάμενον πρὸς τὴν βασίλισσαν Εὐδοξίαν· ἀπειλούσης γὰρ ἐκείνης πότε τοὺς τῶν εἰδώλων ναοὺς ἀνοίγειν, εἰ μὴ ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐξορισθῇ, οὐ κατέπτηξεν, οὐδὲ ἐνέδωκεν ὅλως ὁ ἅγιος· ἀλλ' εἰπὼν, ἀθῶος εἰμὶ ἀπὸ τῆς κρίσεως ταύτης, ἐξῆλθε, θυμοῦ πνέουσαν καταλείψας αὐτήν: *parem zelum, ac firmitatem invictam demonstrasse comperimus sanctum Epiphanium Cypri episcopum adversus Eudoxiam augustam. Etenim cum ipsa minaretur, se idolorum templa reclusuram, nisi divus Chrysostomus in exilium pelleretur, haud animo concidit neque cessit vir sanctus; sed dicens, innocens ego sum ab hoc iudicio, exivit, furore plenam relinquens imperatricem.* Hanc pervulgotae opinionis emendationem eruditi non contemnent.

XI. Capitalis est graeci schismaticis error negare Spiritus sancti processionem a Filio, ideoque symboli additamentum improbare; quod ut impune schismatici faciant, romanae ecclesiae quae id dogma confitetur atque tuetur, auctoritatem respuunt, Pontificisque primatum aversantur. Longa haec est malorum ilias, quam recinere iam non libet. Porro inter plurima graecorum orthodoxorum adversus gentiles suos dissidentes scripta, valde eminent tredecim illa Iohannis Vecci patriarchae capitula, sive, ut ipse scribit, epigraphae, quas Allatius ex codice barberinio extulit, et in Graeciae orth. posteriore volumine p. 522-641. divulgavit. In his nimirum capitulis auctoritates congeruntur priscorum atque summorum apud Graecos, et quandoque apud Latinos, patrum qui praedictum dogma luculenter tradunt atque defendunt. Quod tamen Allatius op. cit. T. I. circa finem in admonitione ad lectorem putabat hoc Vecci opusculum raro admodum reperiri in codicibus, mihi aliter accidit; etenim id in vat. codice 606, nec non in ottob. 225, quamquam utrubique sine nomine auctoris, offendi; immo vero et auctius in utroque codice; atque ut de uno 606. loquar, pertinet editio Allatii a codicis folio 240. usque ad 290; tum vero prosequitur materia in codice usque ad fol. 301, quam tamen in praesenti cogor omittere, ne multa nimis cumulem. Verumtamen eam completam

Scripta pro dogmate de Spiritus S. processione a Filio.

novum scriptum excipit eiusdem generis, sed diversi ut reor auctoris, cuius hic est titulus fol. 304. b. Συναγωγὴ ῥήσεων γραφικῶν, δι' ὧν συνίσταται τὸ τῶν Ἰταλῶν δόγμα : *collectio dictionum, sive auctoritatum, quibus Italorum dogma comprobatur.* Primum et generale capitulum, quod universum thema complectitur, multis patrum testimoniis adseritur. Deinde 2. Περὶ τῆς ΕΚ καὶ ΔΙΑ, ὅτι ἰσοδυναμοῦσιν : *de pari vi particularum* EX *et* PER. 3. Περὶ τῆς ἐν τριάδι τάξεως : *de ordine in Trinitate.* 4. Ὅτι ὁ υἱὸς τῆς οὐσίας λέγεται τοῦ πατρὸς, καὶ ἐκ τούτου συνάγεται καὶ τὸ πνεῦμα ἴδιον τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ : *quod Filius proprius dicitur substantiae Patris; atque hinc colligitur quomodo dicatur etiam Spiritus substantiae Filii proprius.* 5. Ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ὁ υἱός· καὶ ἐκ τούτου δεῖ νοεῖν καὶ περὶ πνεύματος, πῶς λέγεται ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ : *quandoquidem Filius ex Patris substantia est, hinc intelligere oportet quomodo Spiritus pariter ex substantia Filii esse dicatur.* 6. Ὅτι καὶ ἐπὶ τῆς ὑπάρξεως τοῦ υἱοῦ λαμβάνεται παρὰ ταῖς γραφαῖς τὸ ἀναβλύζειν αὐτὸν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, καὶ τὸ ἐκλάμπεσθαι, καὶ τὸ προέρχεσθαι, καὶ τὸ ἐκπέμπεσθαι, καὶ τὸ πεφηνέναι· ὅπερ δίδωσι διαγινώσκειν πῶς λέγεται καὶ τὸ πνεῦμα ἀναβλύζειν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ, καὶ προέρχεσθαι ἐκ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἐκλάμπειν, καὶ ἐκπέμπεσθαι, καὶ πεφηνέναι : *quoniam de Filii quoque existentia pronunciantur in sacris scriptis locutiones, scaturire ipsum ex Patris substantia, et effulgere,*

et procedere , et emitti , et apparere , id facit ut cognoscamus quomodo etiam Spiritus dicatur ex Filii substantia scaturire , et procedere a Filio , et effulgere , et emitti , et apparere. 7. Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι ὅπου λέγεται τὸ ἐκχέισθαι τὸ πνεῦμα, τὰ χαρίσματα τοῦ πνεύματος δηλοῦνται, καὶ οὐχὶ αὐτὸ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: *contra eos qui aiunt , ubi Spiritus dicitur effundi , dona Spiritus denotari , non ipsum sanctum Spiritum.* 8. Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ ὑπάρχειν τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς, ἀτέλειαν τῆς αἰτίας τῷ πατρὶ προσάπτει· πάντως γὰρ, εἴπερ ἐπὶ τῆς ὑπάρξεως τοῦ πνεύματος ἀτέλεια ἔσται τῷ πατρὶ τὸ δι᾽ υἱοῦ ἐκπέμπειν τὸ πνεῦμα, ἀτέλεια ἔσται τῷ πατρὶ καὶ δημιουργοῦντι διὰ τοῦ υἱοῦ: *contra eos qui aiunt , quod Spiritum esse ex Patre per Filium , imperfectionem causae Patri imputat. Prorsus enim si quod adtinet ad Spiritus existentiam , imputatur Patri causae imperfectio quia per Filium emittit Spiritum, imperfectio aeque imputabitur Patri etiam creanti per Filium.* 8. Ὅτι ἀμέσως ὁ υἱὸς ἐκ πατρὸς: *quod Filius immediate a Patre est.*

XII. Singula haec capitula seu adfirmationes communiuntur patrum auctoritatibus , haud unicis cuiusque hominis sed saepe multiplicibus, Agathonis scilicet et Hadriani PP. , Anastasii , Augustini, Athanasii, Basilii, Gregorii nysseni, Iohannis damasceni , Cyrilli alexandrini , Maximi martyris, Tarasii , synodorum nicaenae primae, item aliarum oecumenicarum tertiae sextae ac septimae, S. Augustinus receptus a Graecis.

et denique carthaginiensis sub Capreolo. Postremo quia divi Augustini magna ac ferme praecipua est auctoritas ad dogma processionis a Filio tuendum, graecus sylloges huius auctor gentilibus suis demonstrat, Augustinum quamvis latinum a synodo graeca sub Manuele Comneno fuisse receptum; in qua quidem de hoc dogmate non agebatur, sed tamen eius theologica auctoritas in pretio est habita. Atque haec est ipsa synodus, quam nos in autographo pretioso codice inventam inter Scriptores veteres T. IV, edidimus. Sic ergo in sylloge fol. 313. Ὅτι ἡ γενομένη σύνοδος ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως κυροῦ Μανουὴλ τοῦ κομνηνοῦ ἐπὶ ἐξετάσει τοῦ εὐαγγελικοῦ ῥητοῦ τοῦ, ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστὶν, καὶ τὸν ἅγιον Αὐγουστῖνον ἐδέξατο ὡς τῆς ἐκκλησίας θεολόγον καὶ ἅγιον· διὸ καὶ τῇ δογματικῇ πανοπλίᾳ τοῦ Χωνιάτου (1) ἐμφέρεται ῥῆσις αὐτοῦ, ἐκτεθεῖσα παρὰ τῶν τηνικαῦτα πατέρων εἰς μαρτυρίαν, ἐπιγεγραμμένη οὕτως. (2) ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΙΝΟΥ. Ἐπίγνωθι τὴν διττὴν φύσιν τοῦ Χριστοῦ τὴν θείαν δὴ λέγω, τὴν ἴσην ὑπάρχουσαν τῷ πατρὶ, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν, ἧς μείζων ἐστὶν ὁ πατήρ: *synodus celebrata temporibus religiosissimi domini Manuelis Comneni, super controversia de evangelico effato*, pater maior me est, *sanctum quoque Augustinum recepit, ut ecclesiae theologum et sanctum. Quamobrem etiam in dog-*

(1) Citatur Choniata, quia is illam synodum in suam ineditam panopliam intulit. Nos tamen, ut est dictum, ex antiquiore fonte deprompsimus.

(2) Apud nos Tom. cit. p. 16.

matica Choniatae panoplia profertur eius dictum, testimonii loco ab illius synodi patribus in medium prolatum, quod ita ibi scribitur. SANCTI AUGUSTINI. *Agnosce duplicem in Christo naturam, divinam inquam Patri aequalem, humanam autem qua maior est Pater.*

XIII. Post apologiam dogmatis de Spiritus sancti processione etiam a Filio, pergit sylloges auctor ad apologiam aliam, item contra Graecos suos schismaticos, pro excellentia et primatu romanae ecclesiae; ad quam rem confirmandam unice utitur photiana synodo (quae anno ·DCCCLXXIX· praesentibus Iohannis ·VIII· PP. legatis celebrata fuit pro instauranda ecclesiarum concordia); illa nimirum synodo, de qua peculiarem tractatum scripsit Allatius, et quam primus Harduinus, annuente Clement ·XI· P. M. ex vaticano codice edidit in sua conciliorum collectione, in Zattae autem editione habetur T. XVIII. Titulus ergo in dicto codice vat. 606. p. 314. ita se habet: Μαρτυρίαι περὶ τοῦ προνομίου καὶ μεγαλείου τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, παρεκβληθεῖσαι ἐκ τῶν πρακτικῶν τῆς παρὰ Φωτίου τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως συγκροτηθείσης συνόδου ἐπὶ τῇ ἑνώσει τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης, ἐν ᾗ συνόδῳ παρῆσαν καὶ τοποτηρηταὶ τοῦ ἁγίου πάπα Ἰωάννου: *testimonia de primatu et excellentia sanctae Romanorum ecclesiae, excerpta ex actis synodi congregatae a Photio patriarcha constantinopolitano ob renovandam cum illa ecclesia coniun-*

Pro rom. ecclesiae primatu.

ctionem; *cui synodo interfuerunt etiam legati sancti papae Iohannis.* Pertinet hoc scriptum a codicis folio 314. usque ad fol. 337.

De fragmentis ineditis.

XIV. In commemoratis hactenus opusculis summa rei est testimoniorum illustrium sylloge ex omni antiquitate sumptorum; quibus apprime Allatius in suo de Spiritu sancto enchiridio usus est, quia certe apparet, eum Vecci collectionem bene ac naviter expilavisse. A me autem ex plenioris, ut dixi, codicis testimoniis quaedam heic numeranda sunt, quae partim adhuc erant inedita, partim vero singularem adnotationem requirunt.

1. Cod. f. 306. laudatur Athanasii locus ex epistola ad Aegypti et Syriae episcopos. Extat ea epistola in Athanasii editione veneta Maurinorum T. II. p. 22. Verba tamen nostri codicis non leguntur in dicta epistola edita, sive ea mutila sit, quod valde arbitror, sive ipsa maurina sit spuria, ut editores suspicantur. Sic ergo codex: Ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἐν τῇ πρὸς τοὺς κατ' Αἴγυπτον καὶ Συρίαν καθολικῇ ἐπιστολῇ, ἧς ἀρχή, ὅσοι τὴν εὐσέβειαν ὁρᾶτε, φησίν· ὅμως γοῦν ὡς γέννησιν ἀπαθῆ διὰ τοιαύτης ἐξηγήσεως τὴν τοῦ υἱοῦ νοοῦντες πρόοδον, τὸ πνεῦμα ἀλλοτριοῦσι πατρὸς καὶ υἱοῦ, ὅτι μὴ γεννήσει ἡ τούτου πρόοδος, ἀλλὰ πνεύσει ὁμοιοῦται διὰ τὴν μετάληψιν, ὡς πνοῆς ἐκ στόματος ἐρχομένης, καὶ τὸν μεταλαμβάνοντα ἁγιαζούσης, καθὰ δὴ λέγεται πνεῦμα: *magnus Athanasius in catholica epistola ad aegyptios et syros* (*episcopos*), *cuius*

initium « quicumque veram religionem spectatis » ait : igitur ceu generationem impassibilem, secundum hanc explicationem, intelligentes Filii processionem, Spiritum a Patre Filioque alienum iudicant, quia huius processio haud generationi sed spirationi comparatur propter acceptionem, tamquam flatus ex ore veniens, et accipientem sanctificans, secundum quod Spiritus dicitur.

2. Cod. f. 243. Γρηγόριος ὁ Νεοκαισαρείας ἐν τῷ λόγῳ οὗ ἡ ἀρχὴ ἔχθιστοι καὶ ἀλλότριοι. Sumitur locus ex illa fidei expositione, quam nos graece antea ineditam luce donavimus in tomo VII. Script. vet. p. 170-176.

3. Cod. f. 244. recitatur fragmentum ex paraphrasi hymni Gregorii nazianzeni ἐν ᾧ ἡρωΐζει τὰς πρὸς παρθένον ὑποθήκας αὐτοῦ, ἵλαος ἵλαος ἄμμιν etc. (Ed. carm. III. v. 688. ubi v. 689. codex habet ἐπαυγάζουσα pro ὑπαυγ.) Παράφρασις οὕτως· εὐμενὴς εὐμενὴς ἡμῖν ὦ καθαρὰ τριὰς εἰς τὸ αὐτὸ πορευομένη ἐξ ἑνὸς, ὀφθαλμοῖς βλέπουσα λαμπροῖς σήμερον, τελευταῖον δὲ λαμπρότερον, οἷς τισιν ἔλαμψας, εἷς θεὸς ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ εἰς τὸ μέγα πνεῦμα ἱσταμένης τῆς θεότητος ἐν τελείοις τελείας. Deest haec particula in Cosmae paraphrasi apud nos Spicil. rom. T. II. p. 71. Immo huius carminis nonnisi partem a Cosma explicatam habemus usque ad v. 512, cum reapse carmen constet hexametris 692.

4. Cod. f. 245. laudatur Gregorius nyssenus ἐν

τῷ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ κατὰ μακεδονιανῶν λόγῳ, idque testimonium recitant ex Nysseno in Graeciae orth. tomo I. p. 56 Nicephorus Blemmydes, et Georgius Trapezuntius p. 530, nec non Allatius in enchiridio p. 103. Haec enimvero est confirmatio mirabilis inventi a nobis et editi Script. vet. T. VIII. part. 2. p. 10-25. sermonis contra Macedonianos auctore Nysseno; legebat enim eum Blemmydes in codicibus; Trapezuntium enim atque Allatium ex Blemmyde sumpsisse autumo. Neque Allatius certe Nysseni sermonem reliquisset ineditum, si forte in codicibus obvium habuisset. Nysseni verba in codice praedictisque libris relata, extant apud nos tom. cit. p. 12. v. 24. ἐφ' ὧν γὰρ, usque ad v. 32. κατεργάζεται.

5. In tertia Nysseni homilia de oratione dominica lacunam nos explevimus ope codicum vaticanorum Script. vet. T. VII. p. 6-7. Ecce autem in sylloges quoque codice fol. 305, nec non apud Veccum Gr. orth. T. I. p. 200, et T. II. p. 522. fragmentum idem partim occurrit; nec mirum, Morelli enim editoris codex tantummodo imperfectus erat, ceteri omnes, quotquot consului, homiliam integram continent. Iamque adeo in fragmento emendare licet οὐκ ἐστὶν ἰδεῖν pro οὐκ ἔστιν, συγχυθείη pro συγχεθείη, ἵστησιν αὐτῷ pro ἵστησιν αὐτοῦ, προσμαρτυρεῖται pro μαρτυρεῖται, ὀνομάζεσθαι pro ὀνομάζειν. Error vero manifestus est in codice sylloges et apud Veccum τὸ μὴ εἶναι ἀγεννήτως pro τὸ

μὴ εἶναι ἀναιτίως, uti recte est in nostra editione. Nam Filii utique proprium est μὴ εἶναι ἀγεννήτως, non autem Spiritùs. At μὴ εἶναι ἀναιτίως, proprium utriusque est.

6. Cod. fol. 301. Ἱερώνυμος ὁ ἅγιος ἐν τῷ περὶ τριάδος λόγῳ φησί· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον, κατὰ πάντα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ ὁμότιμον καὶ συναΐδιον ὑπάρχει: *Spiritus sanctus a Patre Filioque procedens, in omnibus cum Patre Filioque parem honorem aeternitatemque sortitur.* Hieronymi scriptum cum titulo *de Trinitate* non extat.

7. Cod. fol. 297. Ἅγιος Ἱλάριος ἐν τοῖς εἰς τὸν ἀπόστολον ἐξηγηματικοῖς, περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ θεολογῶν φησὶ, μηδεμίαν ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι διπλόην νοεῖσθαι, διὰ τὸ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν τὸ εἶναι παρέχειν αὐτῷ· ὅθεν ἄμφω μία ἀρχὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος χρηματίζουσιν: *Hilarius in explanationibus ad apostolum, de Patre Filioque theologice loquens, ait nullam in Spiritu sancto duplicitatem intelligi, propterea quod Pater et Filius existentiam illi suppeditent; unde ambo unum principium Spiritus sancti sunt.* En miram atque perspicuam tanti patris contra schismaticos Graecos doctrinam de Spiritus sancti processione a Patre Filioque tamquam unico principio! Iamvero sanctum Hilarium commentarios scripsisse in Pauli epistolas, adfirmabat hispalense concilium II. can. 13. apud Aguirrium T. III. p. 353. Nunc ecce ex eo deperdito opere frustum

splendidum a Graecis servatum! (Apud nos Spicileg: T. V. p. 221. in indice codicum casinensium refertur S. Hilarii commentarius super epistolis quoque canonicis.) Locus autem Hilarii ex sermone de pentecoste, ubi item de Spiritu sancto, apud Allatium Graec. orth. T. I. p. 633, ab hoc nostro diversus est.

8. S. Iohannis damasceni canonem seu troparium in S. Basilium haud scio an quisquam commemoraverit. Nunc in cod. fol. 250. legitur: Δαμασκηνὸς ἐν τῷ εἰς τὸν μέγαν Βασίλειον κανόνι, εἰκὼν φησὶ τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα: *Damascenus in canone (tropario) de magno Basilio ait: imago est Patris Filius, Filii autem imago Spiritus.* Hoc nos troparium, itemque alia tria aeque ut reor incognita, in SS. Georgium, Blasium, ac Ioh. Chrysostomum, inter scholia ad Pindarum nescio quo casu scripta reperimus, et imprimenda posthinc curabimus.

9. Cod. fol. 301. Hoc habetur graece ex Leonis I. PP. constitutionibus testimonium de Spiritus sancti processione a Filio. Ἅγιος Λέων ὁ πάπας φησίν· εἰ γὰρ τὸ πνεῦμά τῆς ἀληθείας, αὐτῆς ἀληθείας μαρτυρούσης παρ' ἧς ἐκπορεύεται, δωρεὰν δίδοται, πόῤῥω πάσης ἀμφιβολίας πνεῦμα ψεύδους ἐλέγχεται τὸ μὴ προῖκα διδόμενον.

S. Cyrilli inedita quaedam. XV. Ex deperdito S. Cyrilli alex. commentario in Ezechielem unicus laudatur locus in codice fol. 306, quem iam habemus in Graecia orth. T. II.

p. 741. Ego vero ut novum aliquod cyrilliani commentarii frustum rimarer, catenam vaticanam in praedictum prophetam consului, atque indidem Cyrilli reliquias aliquot carpsi. Ezech. cap. VII. 16. Ἐπὶ τῶν ὀρέων ὡς περιστεραὶ μελητικαί. Τοῦ ἁγίου Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας. Οἱ μακάριοι μαθηταί· περιῆλθον γὰρ πᾶσαν τὴν ἀπ' οὐρανῶν, τοῦ Χριστοῦ λαλοῦντες μυστήριον, καὶ ᾠδὴν καὶ λύραν ἔχοντες αὐτόν. Cap. XIV. 14. Νῶε καὶ Δανιὴλ καὶ Ἰώβ. Κυρίλλου. Ἐπεὶ δὲ οἶμαι δεῖν οὐκ ἀβασανίστους ἐᾷν τὰς τοῦ προφήτου φωνὰς, φέρε λέγομεν τί δήποτε, Νῶε τὲ καὶ Ἰὼβ τεθνεώτων ἤδη, τάχα δέ που καὶ αὐτοῦ τοῦ Δανιὴλ, σωθήσεσθαι φησὶν αὐτοὺς ἐν τῇ ἰδίᾳ δικαιοσύνῃ, καί τοι τῆς ἄλλης ἁπάσης γῆς καθ' ἧς ἂν ἡ τοῦ θανάτου ψῆφος ἐκφέροιτο καταφθειρομένης; ἔοικε τοίνυν τῷ μὲν Νῶε παρεικάζειν τοὺς διὰ πίστεως εἰς θεὸν εὐαρεστοῦντας αὐτῷ· τῷ γε μὲν Δανιὴλ τοὺς σοφούς τε καὶ διορατικούς· Ἰὼβ δὲ πάλιν τοὺς διά γε τῆς ὑπομονῆς δῆλον δὲ ὅτι τῆς εἰς πᾶν ὁτιοῦν τῶν ἐπαινουμένων εὐαρεστοῦντας αὐτῷ. Cap. XXXIV. 3. Τὰ ἔρια περιβάλλεσθε, καὶ τὸ παχὺ σφάζετε. Κυρίλλου. Ἐξαιτοῦντες γὰρ κατὰ τὸν νόμον δεκάτας, ἀπαρχὰς, εὐχαριστήρια, καὶ ταῖς ἐκ λαῶν δορυφορίαις ἐντρυφῶντες ἀζώτως, οὐδένα τῆς σωτηρίας αὐτῶν ἐποιοῦντο λόγον. v. 18. Καὶ οὐχ ἱκανὸν ὑμῖν ὅτι τὴν καλὴν νομὴν ἐνέμεσθε. Κυρίλλου. Νομομαθεῖς γὰρ ὄντες οἱ ἐξ αἵματος τοῦ Λευὶ, καὶ καλλίστην ὥσπερ νομὴν λεπτὸν δὲ καὶ διειδὲς ἔχοντες ὕδωρ τὴν διὰ Μωϋσέως παίδευσιν, οὐκ ἂν ἱκανῶς συνετάραττον δὲ τὸ ὕδωρ, παχειάν τινα καὶ ὑλώδη καὶ ὑλώδους ἀκαθαρσίας ἀνάπλεων παρατιθέντες διδασκαλίαν τοῖς ἐν τάξει προβάτων ἀκολου-

θοῦσιν αὐτοῖς ὡς κριοῖς. v. 22. Κρινῶ ἀνὰ μέσον κριοῦ. Κυρίλλου. Ὅτι δὲ περὶ Χριστοῦ τοιαῦτα φησὶν, ἀταλαίπωρον ἰδεῖν· προτετελευτηκότος γὰρ ἤδη τοῦ μακαρίου Δαβὶδ καὶ ἐν τάφοις ἤδη κειμένου, προεφήτευσε μὲν ὁ μακάριος Ἰεζεκιήλ· ἐποιεῖτο δὲ τὴν ὑπόσχεσιν ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ὡς ἐσομένην κατὰ καιροὺς, καὶ οὐχ ὡς ἤδη τετελεσμένην· ἐπὶ γὰρ τοῖς ἐσομένοις αἱ ὑποσχέσεις, οὐκ ἐπὶ τοῖς ἤδη πεπραγμένοις.

De mutis signis loquendi.

XVI. Quanta sit vaticanorum codicum praestantia et utilitas, et quam merito eos iam inde a praefationis initio commendaverimus, satis credo constat, quoniam tres tantum, et quidem haud praecipui, a nobis heic excussi, Albini scilicet, Iohannis ephesii, et novae post Veccum sylloges, tantam nobis disserendi copiam, tantamque rerum notitiam legentibus obtulerunt. Placet deinceps ex alio quoque codice pauca deflorare. Innocentius tertius in sermone ad claustrales, apud nos p. 559, inter alios monachorum naevos, hunc etiam numerat, quod silentium, si non verbis, signis tamen violarent: *quidam*, inquit, *silentia frangunt, etsi non verbis, saltem signis, et sic fabulas verborum redimunt pluritate signorum.* Ille contra anonymus qui sancti Petri Damiani iter gallicum ad Cluniacense monasterium viae comes scripsit, quem item libellum T. VI. Script. vet. part. 2. nos edidimus, p. 203 Cluniacenses monachos laudat, quia ne silentium frangerent, signis utebantur: *ut vix claustrensi et honesta locutione nisi signis, possit alter alteri aliquid*

intimare ; *quae quidem* (*signa*) *ita cauta et necessaria omnibus in locis facta deprehenduntur* , *ut nullius levitatis* , *nullius reprehensionis valeant macula denotari*. Neque idcirco sibi adversantur Innocentius et S. Petri socius ; siquidem hic de honesto moderatoque usu , ille de excessu et abusu loquitur. Nam certe in nimia signorum multitudine et exquisita varietate ediscenda multum temporis multumque curiositatis impendi necesse fuit. Me vero cupiditas quaedam corripuit rem hanc paulo intimius cognoscendi , tempestiveque conspexi palatinum vat. codicem 564 , priscum , praeclarum , in quo Cluniacensium consuetudines duobus libris curiosissime perscribuntur. Reapse primi libri capitulum quintum longissimum , in ·XXII· sectiones subdivisum , tradit doctrinam tacite per signa loquendi, quae mihi praecepta viam stravisse videntur saluberrimae illi arti , qua nunc surdi ac muti cum insigni generis humani utilitate erudiuntur. Sed enim muti signa ediscunt, quia loquentiam maxime affectant; Cluniacenses vero signa condiscebant , ne loquerentur , quia quibusdam, ut ait Menander , *οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον*. Capituli in codice titulus est *de signis loquendi*. Sectiones vero hae 1. *de signis panis varii generis*. 2. *de signis leguminum*. 3. *de signis piscium*. 4. *de signis diversorum generum ciborum*. 5. *de signis pomorum*. 6. *de signis pomorum peregrinorum*. 7. *de signis diver-*

sorum generum olerum. 8. *de signis aromatum.* 9. *de signis liquorum.* 10. *de signis vasorum.* 11. *de signis quae ad vestitum pertinent.* 12. *de signis rerum ecclesiasticarum.* 13. *de signis missarum et horarum.* 14. *de signis sacerdotalium indumentorum.* 15. *de signis eorum quae ad divinum pertinent obsequium.* 16. *de signis librorum.* 17. *de signis personarum.* 18. *de signis diversarum rerum.* 19. *de signis aedificiorum.* 20. *de signis eorum quae ad scribendum pertinent.* 21. *de signis ferramentorum.* 22. *de signis animalium.* Sed age sectionis 16. specimen demus. *Pro generali signo librorum extende manum, et move sicut folium libri moveri solet. Pro signo missalis, generali signo praemisso, adde signum crucis. Pro signo libri officialis, generali signo praemisso, adde ut manum dextram extentam inter medium pollicis et indicis alterius manus quasi ferrum limando trahas. Hoc etiam signum cuiusque rei est quam in frequenti usu habemus. Pro signo libri epistolaris, generali signo praemisso, hoc adde ut signum crucis in pectore facias. Pro signo textus evangelii, generali signo praemisso, hoc adde ut signum crucis facias in fronte. Pro signo libri in quo legendum est ad nocturnos, praemisso generali signo et libri et lectionis, hoc adde ut manum ad maxillam ponas etc.* Vix autem quintam partem huius 16. sectionis heic scripsi.

XVII. Nunc ut aliquid recentioris etiam historiae attingam, florentissimum Angliae regnum occurrit, quod usque ad saeculi sexti decimi annum quartum supra trigesimum, cum apostolica romana Sede communionem, fidem, amicitiamque coluit; donec rex Henricus cupiditatibus suis praeceps abreptus, ex amico ac defensore in acerbum nobis hostem, suis vero etiam cruentum conversus est. Dabo igitur eius litteras quinque, a me in codicibus vatt. observatas, atque haud scio an umquam impressas, quas amoris et observantiae plenas, ante catastrophem, ad Leonem pontificem et ad Sixtum Cardinalem scripsit. Atque hoc apprime de his adnotabo, nempe epistolam, quacum suum contra Lutherum librum mittit Pontifici, diversam prorsus ab ea esse quae in impresso libro legitur. Ergo Henricus, praeter illam typis expressam, aliam addidit ms. epistolam, qua ipsum librum commendavit; cuius libri quatuor exemplaria in membranis splendide impressa, tria manu quoque regis subsignata, unum denique disticho autographo ornatum, in vaticanis pluteis, ceu perenne benivolentiae regiae romanaeque communionis monumentum, servantur. (1)

Regis Angliae epistolae.

(1) Exemplaria haec in vaticana bibliotheca distinguuntur his numeris; unum quidem 4557, cui subscribitur initio et in calce manu regia HENRICUS REX. Item in calce manu pariter regia hoc distichon:

Anglorum rex Henricus Leo decime mittit
Hoc opus et fidei testem et amicitiae.

I.

Ex cod. vat. 6210.

Henricus Dei gratia rex Angliae et Franciae ac dominus Hiberniae ·VIII· reverendissimo in Christo Patri ·D· Sixto (1) miseratione divina tituli sancti Petri ad vincula S. R. E. presbytero Cardinali, et eiusdem Vicecancellario, amico nostro carissimo salutem.

Cum serenissimus noster bonae memoriae rex ac pater observantissimus ex longa aegrotatione nuper ab hac luce (quod non sine gravi moerore referimus) migraverit, Nosque in paternum regnum omni iure nobis debitum fuerimus assumpti, nostrum esse putavimus ut de tanta re tam ad sanctissimum D. N. quam ad eos reverendissimos patres, quos serenissimus noster pater, dum in humanis ageret, cariores et magis familiares habuit, scriberemus; quandoquidem paternis vestigiis libenter inhaerentes, paternas amicitias omni studio et cura retinere nobis cupimus. Novimus etenim quantopere ipse noster defunctus Pater, dum vita frueretur, esset vestrae reverendissimae Dominationi affectus, quantique illam faceret et existimaret, ob singulares eius virtutes ac merita, simul et optimum ac

In exemplaribus notatis 4556. 4558. tam initio quam in fine aeque subscribitur HENRICUS REX. Demum exemplar notatum 3731, purum ab omni scriptura est. Cunctorum vero exemplarium pagina ultima haec habet verba typis expressa: *apud inclytam urbem Londinum in aedibus Pynsonianis an. M.D.XXI. quarto idus iulii Cum privilegio a rege dato.* Vaticanae igitur bibliothecae exemplar (seu potius exemplaria) non est manu scriptum, ut perperam dicitur in vita Leonis X. per Roscoum ed. italic. T. IX. p. 67. in adn.

(1) Erat hic Sixtus Gara Roboreus, Iulii II. PP. ex sorore nepos, de quo Ciacconius T. III. p. 290.

benivolissimum vestrum in suam Maiestatem animum; quo fit ut hunc nostrum statum cum vestra reverendissima Dominatione confidenter communicemus. Sane dicere non possemus quam graviter et quam moleste hunc paternum obitum ferimus. Nihilo tamen minus hunc nostrum dolorem aliqua in parte lenit et moderatur, quod ipse serenissimus rex noster ac pater veluti sapientissimus ac prudentissimus tam egregie tamque laudabiliter vixerit, tamque graviter ac mature et pie huius nostri regni sceptrum ·IIII· et ·XX· annis sit moderatus; denique tam catholice tamque christiano suo regno in summa pace ac tranquillitate ac rerum omnium opulentia constituto animam creatori suo Deo reddiderit, ut nonnisi de ipsius salute sit optime sperandum. Obiit autem ·XXI· die huius mensis circiter horam post solis occasum tertiam. Quae omnia vestrae reverendissimae Dominationi tamquam Cardinali nostri amantissimo significanda duximus, rogantes ut optimum suum animum, quem erga serenissimum nostrum quondam patrem gessit, velit in Nos ipsos transferre ac perpetuare, ac res et causas nostras in ista curia sibi semper commendatas suscipere, quod sane est futurum nobis maximopere gratum. Et si quando illi gratificari in aliquo poterimus, curabimus haud dubie ut nos promptissimos ac paratissimos sit semper habitura. Ex arce nostra Londini die ·XXIX· aprilis anno Domini ·M·D·VIIII· et nostrae assumptionis primo.

HENRICUS REX.

II.

Cardinalis serenissimo Regi Angliae.

Serenissime Princeps et excellentissime Domine Domine mi observandissime humilem commendationem. cod. vat. 6210.

Ut nuper de luctuosissimo obitu felicissimae recordationis domini genitoris regii Maiestatis vestrae intellexi, maiorem hac animo molestiam concipere vix potuissem. Praeter enim insitam observantiam atque ut ita dixerim hereditariam servitutem, quae mihi cum eo intercesserat, cogitare ilico coepi, tempore alienissimo remp. christianam maximo plane et omni genere virtutis ornato rege orbatam, cuius sapientissimis consiliis ita gubernari solita est, ut de ipsius amplitudine et propagatione dubitare nemo posset. Anno superiore quot urgentissimis epistolis, quanto studio sanctissimum D. N. ut arma contra hostes nostrae fidei caperet sollicitabat! Reliquos christiani nominis Principes inter se dissidentes ad concordiam revocaverat; eoque iam res deducta erat, ut ni fuisset importuna morte praeventus, sanctissima expeditio, quam ipse et amplissimis opibus et milite fortissimo pugnacissimoque prosecuturus erat, conflata brevi confectaque fuisset. Quae omnia cum intelligam confusa paene iam atque interrupta videri, non poteram maximo dolore non angi; oppressamque huiusmodi moerore et luctu totam vitam facile agerem, nisi accepissem regiam Maiestatem vestram tanto favore et plausu inclyti illius regni in defuncti locum patris suffectam repositamque esse, ut ab eadem longe etiam maiora et supra omnium opinionem sperari possint. Quae enim laus est regia tam rara et multiplex, quam in una Maiestate vestra locatam esse non audimus? Ausim dicere, eadem Maiestate vestra in illo regno opulentissimo retenta atque conservata, nullum beneficium christianae rei, nullam amplitudinem imminutam fore; tantoque illam spe firmiori quam prius niti debere, quanto ad parentis virtutes, quas Maiestas vestra largiter adac-

quavit, ipsa quoque alias sibi peculiares maximasque adiecerit; quibus non solum hostem sed se quoque ipsum superare facile possit (1). Quo fit ut non solum eidem Maiestati vestrae illisque populis atque adeo universo christiano orbi, sed mihi quoque ipsi gratuler maxime de successibus felicissimis ac multiplici invictaque virtute Maiestatis vestrae, in qua quidem et patris video memoriam renovatam, et propagatam sui nominis auctamque gloriam; offerens eidem servitutem meam in perpetuum, supplicansque ut illa uti dignetur; sum enim eam, quoad vixero, animo libentissimo exhibiturus; uti uberius intelligere poterit ex litteris reverendi ·D· Christophori Fischer gestoris negotiorum Maiestatis vestrae in hac romana curia diligentissimi ac in primis fidi. Felicissima sit eadem regia vestra Maiestas, cui me semper humillime ac devotissime commendo. (2)

E. V. Maiestatis

servitor humilis.

III.

. . . *Ut de nuperis post serenissimi regis ac patris nostri* obitum successibus vestra reverendissima Dominatio (3) certior fiat, significamus illi qualiter paulo ante Nos prospicientes ad egregias virtutes illustrissimae principis ·D· Catherinae, serenissimi regis Ara- cod. vat. 6210.

(1) Sapienter hoc monet Cardinalis. Etenim si animo suo Henricus imperavisset, tanta malorum cohors nequaquam ecclesiae incubuisset.

(2) Post hanc sequitur in codice alia epistola a fratre Vicecancellarii Cardinalis demortui ad Regem scripta, quam nos omisimus quia ad publica negotia non pertinet.

(3) Puto scriptam epistolam ad eundem Card. qui supra. Est autem acephala in eodem codice lacinioso, qui fuit Card. Sirleti.

gonum filiae, illam nostro connubio dignam duximus. Quare eam disponsavimus et uxorem duximus, moxque una cum illa coronati sumus solemniter ut moris est, cum incredibili totius nostri regni gaudio exultatione et applausu (1). Quod vestrae reverendissimae Dominationi, utpote amicissimo nostro scribendum duximus, non dubitantes quin his nostris secundis rebus sit gavisura. Ex palatio nostro Greenwici die ·VIII· iulii ·M·D·IX· et regni nostri primo.

HENRICUS REX.

IV.

BEATISSIME PATER.

cod. ottob. 3152. Post humillimam commendationem et devotissima pedum oscula beatorum. Quoniam nihil magis ex catholici principis officio esse arbitramur, quam ut christianam fidem et religionem atque documenta ita servet et augeat, suoque exemplo posteris sic intemerate servanda tradat, ut a nullo fidei eversore tolli, seu quovis pacto ea labefactari sinat; ubi primum Martini Lutheri pestem atque haeresim in Germania exortam, ubique locorum cohibente nullo sensimus debacchari, adeo ut suo veneno infecti plures contabescerent, et hi praesertim qui odio potius intumentes quam christianae veritatis zelo ad ipsius versutiis atque men-

(1) De his nuptiis videndus Rymerus ad hunc annum. Iam quia Henricus dicit heic se connubium cum Catherina perlibenter celebravisse (et quidem post patris obitum, ne de paterno iussu ac vi suspicemur) haud scio quam vere adfirment nonnulli historici Henricum patris avaritia coactum in id coniugium consensisse, qui ne dotem restitueret, Catherinam ab Arthuro maiore natu demortuo ad minorem transtulit; atque hinc Henrici divortium et subsecutas cum Anna nuptias excusare nituntur.

daciis credendum omni se ex parte aptaverant; atrox istud scelus tum germanicae nationis (cui non mediocriter afficimur) tum vero sacrosanctae apostolicae sedis gratia sic indoluimus, ut cogitationes omnes nostras, studium, et animum eo diverteremus hanc zizaniam, hanc haeresim e dominico grege, quacumque ratione fieri posset, funditus tollere nitentes. Sed cum exitiale hoc virus eo progressum, imbecillosque multorum ac male affectos animos sic iam occupasse videremus, ut uno impetu haud facile tolli posset, nihil aeque huic delendae pesti censuimus expedire, quam si doctioribus eruditioribusque huius regni viris undique excitis trutinandos hos errores, ac dignos qui perderentur esse declararemus, aliisque compluribus hoc idem faciendum suaderemus; in primisque caesaream Maiestatem, ob fraternam quam illi gerimus affectionem, omnesque Principes electores ut christiani officii suique splendoris meminisse, pestiferumque hunc hominem, una cum facinorosis haereticisque libellis (postquam ad Deum amplius redire spernit) radicitus vellent extirpare, studiose rogavimus. Sed nostro in christianam rempublicam ardori, in catholicam fidem zelo, et in apostolicam sedem devotioni non satis adhuc fecisse existimantes, propriis quoque nostris scriptis quo animo simus in Lutherum, quodve de improbis eius libellis nostrum sit iudicium, innuere voluimus, omnibusque apertius demonstrare, nos sanctam romanam ecclesiam non solum vi et armis, sed etiam ingenii opibus, christianisque officiis in omne tempus defensuros ac tutaturos esse (1). Primam ideo ingenii

(1) Haec Regis verba impulerunt, credo, Pontificem ut titulum *defensoris fidei* Henrico largiretur. Sed hem humani animi infirmitatem! Quantum is postea mutatus ab illo est!

nostraeque mediocris eruditionis foeturam, nemini magis quam vestrae Sanctitati dicandam consecrandamque esse duximus, tum ob filialem nostram in eam observantiam, tum etiam ob sollicitam ipsius christianae reipublicae curam. Huiusmodi autem primitiis nostris plurimum accessum iri iudicabimus, si sano vestrae Beatitudinis iudicio, quae comprobentur dignae habitae (fuerint.) Et felicissime ac diutissime valeat (1)! Ex Regia nostra Greenwici, die ·XXI· maii ·M D·XXI·

E. V. Sanctitatis

devotissimus atque obsequentissimus filius
Dei gratia Rex Angliae et Franciae
ac Dominus Hiberniae HENRICUS.

Petrus Vannes.

V.

BEATISSIME PATER. (2)

cod. vat. 6380. Post humillimam commendationem et devotissima pedum oscula beatorum. Intelleximus episcopatum Londoniensem per obitum reverendi in Christo patris domini Riccardi eius ultimi episcopi (3) in hoc regno nostro ad praesens vacare. Nos vero qui dicti episcopatus solacio et indemnitati, quantum in nobis est, mature consulere exoptamus, diu nobiscum cogitavimus quem potissimum illi praeficiendum nostris litteris ve-

(1) Leonis X· responsum ad libri munus, Regisque obsequium, extat a Iac. Sadoleto secretario pontificio scriptum apud Rymerum.

(2) Servatur haec epistola originalis in dicto codice vat. scripta in membranis, et manu Regis subsignata.

(3) De Riccardo londoniensi episcopo extat notitia apud Rymerum ad an. M.D.IX.

strae Beatitudini commendaremus; memoriaque nobis succurrit reverendus dominus Cuthbertus Tuustalus scriniorum nostrorum custos dilectissimusque noster consiliarius (1). Hunc igitur virum ob singularem eruditionem prudentiam modestiam ac probitatem, quam in gravissimis rebus in eo saepe sumus experti, non solum vehementer amamus, verum etiam summopere dignum iudicamus, cui dicti episcopatus cura et onus a vestra Beatitudine demandetur. Eam idcirco impense rogamus ut praefatum consiliarium nostrum ad eundem episcopatum promovere, pastoremque et praesulem ibidem constituere dignetur (2). Qua in re eadem vestra Sanctitas non solum hominem dignum procul dubio honestabit, sed etiam rem gratissimam optatissimamque nobis praestabit. Quae felicissime atque diutissime valeat! Ex Regia nostra apud Newat, die ·VIII· augusti ·M·D·XXII·

E. V. Sanctitatis

devotissimus atque obsequentissimus filius

Dei gratia Angliae et Franciae rex, fidei defensor (3),

ac dominus Hiberniae HENRICUS.

(*Extra epistolam est Regis sigillum*, *et inscriptio*:
Sanctissimo clementissimoque domino nostro Papae.)

(1) Hac super re diploma quoddam Henrici recitat Rymerus hoc ipso anno.

(2) Animadverte quibus verbis a Rege commendatio fit Pontifici hominis promovendi ad episcopatum. Porro ad hanc Regis epistolam responsum pulcrum Leonis pontificis, manu Hieronymi Aleandri scriptum, alibi fortasse cum ceteris Aleandri epistolis exhibebimus.

(3) Insignitus fuerat hoc titulo Henricus a Leone ·X· praecedente anno, quinto idus octobr. Extat Pontificis bulla magnis formis curialibus apud Rymerum.

XVIII. Popularis meus Ioh. Franc. Cardinalis Commendonus, quamquam tertio abhinc saeculo extinctus, famâ tamen sapientiae gestarumque rerum volitat adhuc per ora hominum; praesertim quia disertissimum vitae suae scriptorem nactus est A. M. Gratianum, ipsius olim alumnum ac familiarem, qui in latini sermonis venustate parem vix habet. Scripta quidem prudentissimi Cardinalis nulla fere quod sciam, exceptis orationum fragmentis a Gratiano recitatis, extant impressa; nam et illa ad Poloniae senatum adlocutio Commendoni de rege eligendo nonnisi dimidiata prodiit, quam ego integram in codicibus vidi. Reliqua inedita, et mihi partim visa, haec ferę sunt. 1. Carminum latinorum fasciculus, quae adolescens facili vena profudit, et quorum ope aditum sibi ad Iulii ·III· papae gratiam patefecit. 2. Tractatus de officio legati, teste Gratiano apud Lagomarsinium (1). 3. De iure rom. imperii ad Germanos translati, et de Pontificum ·M· potestate, ac de publicorum conciliorum vi, eodem Gratiano teste (2). 4. Libellus seu epistola ad legatos tridentini concilii in codd. 5. De officio principis liber, teste ipso auctore in alio opere de quo mox sum dicturus. 6. Tractatus haud modicus de aula romana, qui in multis obvius est codicibus, scriptus quinto Iulii papae anno, id est Christi ·M·D·LIII·, qui erat auctoris nostri annus aetatis trigesimus. Est hic liber antiqua sapientia nec minore dexteritate plenus, sed nunc partim non necessarius, quatenus certe multa attingit, quorum ne vestigium quidem his temporibus superest. Pars prima operis de aula agit, secunda de aulico, tertia de illo homine cui opus mittitur. Nos particulam ex secunda parte delegimus hanc quae sequitur.

(1) In adnot. ad Gratiani ipsius vitam.
(2) Vit. Card. Commendoni ed. paris. p. 63.

ESTRATTO DI OPERA

DEL CARD. COMMENDONI.

Resta ultimamente (per aver buou successo in corte) uu'altra via fuori delle sopradette, che è di uua esemplare bootà di vita, e questa ancora ha le sue difficoltà, perchè ha bisogno di graode fermezza, e di uo perfetto tenore, con obligo di sostenere in ogui tempo ed in ogni azione una persona istessa; intanto che se l' uomo non è veramente buono, ella è infelicissima e faticosa sopra tutte, facendo tante cose, e da tante altre astenendosi cootra il proprio appetito; ed il finger lungamente è impossibile, perchè siccome i zoppi per eguale accrescimento che si procnrino alla parte più corta, o per altro sostenimeoto, non possono mai tanto operare, che caminando non discoprano il loro difetto; così questi nel proceder loro, non possono andar tanto misurati, che a qualche esterior segno non mostrino lo storpio e mancamento interiore. Tuttavia siamo troppo iniqui giudici dell' altrui bontà, e non prima nna persona, che non vive liceoziosameote, erra, che riputiamo tutta la bontà essere stata finta, non considerando ch' egli è impossibile di non cadere alcnna volta, per bnono che altri sia; tanto più nella corte, dove non meno il conservarsi che il farsi veramcote buono è difficilissimo, trattaodosi di contiouo le cose ecclesiastiche nel modo che si fa, e dimesticandosi gli uomini troppo con la religione. Oltre che la morte degli altri, che più di ogni altro avvertimento ci suole ioseguare, e mantenere nella considerazione della vanità delle cose che disegniamo, nella corte fa del tutto contrario effetto, perchè aprendone la via ad ottener quello, che la morte ha tolto ad altrui, ella non ci lascia in simili accidenti vedere, nè considerare altro che questo. Tanto più che io questa corte, come ognuno desidera ogni cosa, così si tiene abile a tutte. Ma per risolverla brevemente, se questa bontà non è congiunta con una eloquenza almeno mediocre, o con alcuoo de' mezzi soprsdetti, non opera, e rare volte fa gran profitto.

In somma comunque altri si metta al servizio della corte, non deve tanto confidare nella sua prudenza, che si presuma di vincere ogni avversità, nè tanto trascurare le cose che si commetta in tutto alla sorte, ma pensare che questo sia un viaggio di mare, nel quale benchè la prudenza possa molto, e ci renda favorevole la maggior parte de' venti, nondimeno non si gli possa prescrivere tempo determinato, o certezza alcuna di arrivar salvo dove altri disegna; perciocchè alcuni di mezza estate, in gagliarda e ben fornita nave affondano, o tardano assai; altri di verno in debole e disarmato legno, vanno presti e sicuri; perciocchè tutta questa maniera di vita è posta in un mare di cose mutabili, che spesso avvengono; e sempre possono avvenire infirmità, perdita di robba, mutamento di tempi, calunnie, sospetti, così di noi, come de' padroni; ed appresso ne' padroni qualche mutazione di costumi e delle altre cose sudette, e finalmente la morte. Ed all' incontro così varie sono le volontà de' signori, che tal persona che per avventura sarebbe in odio, o in dispregio della più parte degli uomini, può acquistare e possedere la grazia loro; onde subitamente come da un gagliardo e propizio vento senza alcuna opera o fatica sua, è portata dinanzi agli altri: ed in ciascuno di questi casi, la prudenza può meno adoperarsi, perchè dall' un canto questi subiti e straordinarii favori, non hanno regola certa, nè principii determinati; e dall' altro tutte le avversità non hanno intieramente rimedio, onde si possano schifare; perchè parte sono semplici disavventure, le quali hanno il principio loro del tutto fuori di noi; parte per buona guardia che se ne prenda, non si possono ad ogni ora fuggire, perchè tal' è la natùra delle cose del mondo, che tutte o più o meno, sono deboli, e sottoposte a mutamenti e rovine.

E prima i beni della fortuna solo col nome loro dimostrano, quanto siano poco fermi, e poco sicuri. E de' beni del corpo oltre le infirmità che la imperfezione della carne naturalmente si tira seco, disse quel valente uomo, che vivendo fra gli altri uomini non avea ozio di attendere alla preservazione della sanità. Ma con molto più maraviglia è ragione di temere ancora de' beni dell' animo, che sono così

fermi, e così proprii nostri, offerendosi ogni giorno tante occasioni di torcerne dalla virtù al vizio: senza che con tutta la costanza degli uomini valorosi, non mancano sinistre interpretazioni altrui sopra ogni loro operazione; conciosiacosache sempre l'invidia e la malignità si adopera più volentieri contra chi più vale, e contra chi meno lo merita. E perciò queste considerazioni non sono forse inutili; sì perchè ne ritranno dalla presunzione di poter superare con la prudenza ogni fortunoso accidente; e sì perchè c'insegnano di rallegrarci meno del bene, e di dolerci meno del male, usando con modestia i ripari che la ragione c'insegna. Perchè primamente, quanto alla poca fermezza de' beni della fortuna, si possono fare diverse qualità di rendite, altre più utili, altre più ferme, ed in diversi luoghi. E fra le altre aver degli ufficii della corte, e per la comodità di aver i denari di mese in mese, per le spese ordinarie, e per li privilegi che hanno gli officiali, come scrittori apostolici, ed altri di più o meno importanza, secondo le nostre facoltà, troncando però sempre fino dalle radici tutte le spese impertinenti e dannose, e compensando le necessarie e le convenienti con l'entrate che l'uomo ha; eleggendo buoni e fedeli ministri, ed alcuna volta pensandovi, sicchè i ministri sappiano, che vi si pensi. Ma perchè queste spese necessarie e convenienti, sono di due maniere; l'una di cose che servono all'uso, l'altra alla utilità ed all'accrescimento delle ricchezze e degli onori, in quella si dee riputare, che ogni cosa non necessaria per buon mercato che se n'abbia, sia carissima; ed in questa che lo scomodare lo stato presente, e mettersi a rischio per accomodarsi meglio nell'avvenire, rare volte succede felicemente: anzi il miglior avvertimento di tutti, è di tenere oltre la provisione della spesa ordinaria, una somma conveniente di denari, che ci faccia superiori alle disgrazie, ed alle spese straordinarie che possono intervenire, e che ci presti comodità di fare a tempo e con vantaggio tutte le provisioni ordinarie, credendo che nessuna sorte d'industria porti maggiore utilità di questa.

Quanto alla sanità è da guardarsi forse egualmente, così dal disordinare fuor di bisogno, come dall'avvezzarsi ad un

ordine stretto, che tralasciato ci offenda; non si potendo negoziare e conversare, ed insieme mantenere una legge severa di vivere fuori dell'uso comune, massimamente in questa corte, dove si vive per lo più a volontà d'altrui, e dove o sempre, o spesse volte è necessario di ritrovarsi alle tavole de' signori. Quanto alle calunnie, ed ai biasimi, il rimedio che può dare la prudenza, è che schifiamo le cagioni dell'essere odiati o invidiati; e benchè l'invidia, ch'è un dolore del bene che altri possiede, non si possa fuggire se non da' miseri, pur ella si diminuisce in gran parte, e talora si estingue del tutto, con l'umanità e con la cortesia; siccome con le molte e superbe ostentazioni si accresce, e si accende in infinito. Ma l'odio ch'è un desiderio che altri abbia male, si schifa o con lo starsi del tutto solitario e rimesso, il che non si può, nè stà bene fare nella corte; o con l'acquisto che a tutto nostro potere ci convien fare della grazia universale, di che ragioneremo appresso al luogo suo.

Perchè avendo trattato delle difficoltà che ci danno impedimento, e per colpa nostra e d'altrui; e di quelle ancora che senza nostro peccato e d'altrui, ci si fanno all'incontro, restaci ora a parlare di quelle che nascono tutte per nostro difetto. Per il che facendoci alquanto più a dietro, ripiglieremo ciò, che poco avanti si diceva, che la servitù di questa corte è un viaggio di mare, dove con diversa fortuna chi entra in questa nave, chi in qoella, chi in una, chi in un'altra. Delle quali, come spesse volte avviene, rompendosene molte, alcuni de' naviganti con l'aiuto d'altrui, o con il nuoto, virtuosamente passano in un altro legno, o si conducono a terra salvi e gagliardi; alcuni altri privi di forze e soccorso, miseramente affogano, o rimangono perduti in qualche scoglio deserto; voglio dire, che pochissimi sono coloro, i quali godano un perpetuo tenore di seconda fortuna, senza alcun sinistro accidente; e che interrotta una servitù, o per la morte de' padroni, o per la perdita della grazia loro, chi non è amato nella corte, o non vi ha qualità convenienti, facilmente rovina; in maniera che conviene a' cortigiani, aver la grazia universale con riputazione, e con dignità. E questa grazia si acquista primamente, essendo da

dovero, ed insieme senza alcuna affettazione a luogo ed a tempo dimostrandosi sincero, amorevole, piacevole, cortese e grato verso gli assenti, ed eziandio verso i morti, e poco curioso de' fatti d'altri. Perciocchè la più parte degli uomini ha qualche difetto, o fa qualche cosa, che non vorrebbe che si sapesse, e però teme di questi tali troppo diligenti inquisitori. Ed appresso fuggendo le cagioni dell'invidia e dell'odio, cioè non vivendo in alcuna maniera sopra la forze e la dignità nostra, non usando nuovi e straordinarii costumi, non dimandando grado, e cose sproporzionate alla nostra persona, ma salutando, rispondendo, onorando, e portando rispetto ad ognuno, ed a ciascuno differentemente, secondo la proporzione che chiamano geometrica, e secondo che ne ammonisce il proverbio greco, che espresso nella nostra lingua significa, l'egualità essere somma inegualità a' disuguali; non consigliando, nè dimesticandosi con chi che sia, più di quello che esso voglia, massimamente con i signori, ma sempre restando qualche passo a dietro; perchè ogni licenza che si prende, ogni egualità che si usurpa, è segno di poca riverenza, e di poco rispetto, senza che l'intrinsecarsi con molti, non è forse bene; dovendo l'amicizia essere di pochi, e l'intrinsecarsi co' signori, benchè ne fosse dato l'adito, non succede bene, se non a chi ha natura e costumi conformi alla loro vita secreta. Ed a questi ancora dà occasione di perdere affatto la grazia, se non sanno moderare i favori e la domestichezza, dando sempre segno che non si dimenticano di essere servitori, perchè alla fine i padroni vogliono essere padroni.

Con questi modi adunque si acquista, e si conserva la grazia, ed appresso non dimandando mai cosa con istanza così grande, che essendoci negata si creda, che ce ne riputiamo offesi, onde ne siamo di vantaggio odiati, ed avuti per inimici. Inoltre non contendendo ne' ragionamenti ostinatamente, e non volendo sapere ogni cosa; nè costringendo altri a credere, che siamo dotti, nobili, ricchi, o favoriti, nè parlando soli, nè sotto forma d'insegnare, ma più tosto di dubitare e di dimandare; cedendo volontieri ad altrui nella sua professione, e nelle cose ch'egli ha fatte o vedute; e non solo non ingiuriando alcuni con fatti, nè contravenendo alle

cose che desidera, senza nostro danno o vergogna; nè riprendendo più di quello, che ci constringe l'obligo che ne abbiamo; ma nè pure biasimando, nè schernendo persona, anzi tacendo le condizioni non buone, e le buone (che pure alcune se ne ritrovano in ciascuno) moderatamente laudando. Perchè quanto i vituperi offendono colui, contra il quale sono detti; così le molte laudi, oltre che si danno con gran rischio del giudicio e della bontà di chi parla, spesse volte offendono chi ascolta; percioccbè per l'amor proprio che ci regge, il bene e il male che si ode dire d'altrui, si rivolge subito, e si paragona a noi stessi. E di quì viene, che ciascuno che ha simili meriti o difetti, si risente, e ovvero si duole che si tacciano le sue laudi, o teme che si scuoprano i vituperi; ed avviene molte volte che si offende una persona solamente col portare poco rispetto ad uno della medesima o maggior. qualità, giudicando che altrettanto e forse peggio sarebbe fatto a lui.

Ma non solamente dobbiamo aver riguardo di non offendere colui con chi si parla in cose appartenenti al vizio ed al biasimo; ma di non riprendere nè beffare in persona di altri qualunque qualità che sia parimente in coloro, con quali si ragiona, come la patria, il nome, la professione, il mancamento del corpo, e altre disavventure. E pensare che le parole senza poter a dietro tornare, escono e volano in ogni parte; onde i Greci le chiamarono pennate; e perciò astenersi di dire in assenza d'altrui, tutto quello che in sua presenza si tacerebbe, e massimamente parlando di colui, la grazia del quale cerchiamo; e farlo così avvedutamente, che si tacciano ancora le cose fastidiose, guardandosi di dar nuove infelici, e di ragionare di cose discare, se non siamo sforzati; perchè come coloro i quali ci portano avviso di un felice successo, sogliono essere premiati, benchè non vi abbiano alcuna parte, se non forse di un desiderio, che noi tosto sappiamo il nostro bene; così coloro, che portano tristo ed infortunato avviso, sogliono essere odiati; ed in breve quanto a' vizi ed alle cose mal fatte, il più sicuro partito è di tacere, o dovendone parlare, farlo modestamente e con parole tronche, senza acerbità di censura; anzi mostrando dispiacere, ed iscu-

sando volentieri ognuno, quando si può, ovvero diminuendo il male, perchè il modo solo e l' esaggerazione è odiosa, che il resto si consente ad ogni uomo da bene. Conciosiacosache spesse volte il tacere in simili occasioni, possa dare indizio di cattivi costumi, se non si tace in presenza di persone, il rispetto delle quali ci renda scusati; ma quanto alla parte di chi ascolta, si acquista e si mantiene la grazia, udendo pazientemente e dimostrando attenzione, e talvolta eziandio piacere (di essere corretto;) e non facendo il sospettoso, nè pigliando sempre in mal senso le altrui parole; nè dimostrando mai di volersi accorgere ad ogni modo del male animo, che altri abbia verso di noi.

Più lungo e più particolare ragionamento si richiederebbe sopra tali avvertimenti, ma a noi basta di averli brevemente accennati, aggiungendo solamente alcune poche cose d' intorno all' adulazione. Perciocchè potrebbe forse parere ad alcuni, che fossimo passati troppo avanti ne' suoi confini, e ad alcuni altri, che ne fossimo rimasti troppo a dietro, essendo l' adulazione dalla maggior parte degli uomini, riputata la più certa, e forse la sola via di acquistar la grazia. Per il che rispondendo agli uni ed agli altri dico, che secondo me, sono due sorti di adulazione. La prima nasce dalla malizia, e dall' interesse di chi parla; la seconda dall' uso ordinario del conversare. Quella con disegno di trarne profitto, artificiosamente si spinge innanzi, e si studia d' ingannare. Questa senza alcun disegno, per sola tema di non offendere, mal volentieri va seguendo quell' altra, dalla quale non pur gli è fatta la scorta, ma è tirata seco come per forza, con porre in obligo certe umiltà, e rispetti servili, e vanissimi titoli, che sono già fatti proprii, e richiesti da ogni qualità di persone; in modo che non si può del tutto fuggire anco dagli uomini virtuosi; e stando in questi termini circoscritti dall' usanza, noi ne abbiamo di sopra ragionato, astenendoci dall' altra vera adulazione, come da cosa non solo disconveniente ad un uomo da bene, perchè questo, come è facile a dire, così persuade poco, ma per avventura, come da cosa non molto degna di un uomo veramente accorto.

E per intendere ciò più fondatamente da' suoi principii,

lia bene d' investigare prima, che cosa ella sia, e poi come si adoperi, e ultimamente ciò che ne segue. Ma a dover conoscere che cosa ella sia, ci faremo da quello, che è più noto a ciascuno, cioè che l' adulazione si ritrova principalmente nelle corti, ed ancora nelle republiche, e che in ogni luogo, quanto alle persone di chi adula, e di chi è adulato, l' adulatore ha bisogno o desiderio di alcuna cosa, la quale può acquistare, o conservare per mezzo di colui, che egli adula; perciocchè la persona che è adulata, è sempre o del tutto più potente dell' adulatore, o almeno tale, che in qualche modo può fargli favore o disfavore. Per il che nelle republiche si usa fra gli eguali, ed ancora da' superiori verso gl' inferiori. Resta adunque che solo i miseri e bassi uomini, che non sono riputati di poter giovare o nuocere in alcuna cosa, non si adulano. Ed all' incontro, che tanto i magnanimi ed i felici, quanto i presuntuosi, e quelli cha si contentano dello stato loro, non sono adulatori. Ora tutto quello cha altri vuole, si desidera come bene, ed il bene è virtù, onore, utilità, o piacera. Chi desidera la virtù, non ha che fare con l' adulazione, perchè non è mezzo che giovi, nè giovando sarebbe eletto. Il medesimo avviene nell' onor vero, che non è mai separato dalla virtù. Ma per ottenere le dignità ed i gradi e talvolta, laude, ed appresso per il guadagno o per lo diletto, si adopera l' adulazione; benchè per questo ultimo fine del diletto, più rare volte, come per esempio, quando altri finge di essere innamorato, perchè se ama da dovero, dice quello che sente, e spesse volte meno. Si adula adunque massimamente per acquistare utilità ed onore, e così per lo più gli avari e gli ambiziosi, sono gli adulatori.

Abbiamo veduto di che qualità di persone siano gli adulatori, e qual sia il loro fine. Ora essendo l' adulaziona il mezzo che essi adoperano, conviene considerara il numero e la natura de' mezzi, che hanno gli uomini, per conseguire gl' intenti loro. Questi sono tre, la forza, la ricompensa, e l' amorevola volontà d' altrui. I due primi non convengono agli adulatori, perchè chi può far forza, o vuole dare la debita ricompensa, non adula; senza che la forza è sempre del più potente, dove l' adulazione è del più debole; e la ri-

compensa, rende gli nomini almeno in quell'atto egnali fra loro, dove l'adulazione gli fa disuguali. Resta l'amorevolezza, e questa si guadagna con la henevolenza, e si mantiene e gode con l'amicizia, o con la simulazione dell'una e dell'altra. L'adulazione adunque che non disegna dell'amico il bene, ma il suo proprio, sempre o con parole, o con ossequio, e talora con piccioli doni, quasi con esche, si studia di far ritratto; e s'ingegna di assimigliarsi alla henevolenza e alla amicizia per tutte le vie possibili. E prima alla benevolenza, laudando e celebrando colui, coo chi ancora non conversa, acciocchè egli lo risappia; perchè tutto il suo fine è di aequistare a se grazia con colui, e non a lui gloria con gli altri uomini. E poi quando ha peoetrato avanti, e già può conversare, imita, a supera ancora in dimostrazione la vera amicizia; perciocchè non desidera per colui assolutameote il vero bene, che spesse volte gli è dispiacevole; ma quello che gli pare bene, di che finge dilettarsi, conformandosi seco affatto di volontà; e però secondando gli umori di quel tale, e celebrando le sue opinioni, accresce in lui tutti gli affetti suoi naturali, e mostra alcuna volta di patire l'indisposizione, e l'iofirmità istesse, come si legge degli adulatori di Dionisio, quando egli infermò degli occhi. Appresso perchè conosce che la severità non è atta all'amicizia, se ne spoglia talmente; che ognora mostra piacere o stupore di quello che altri dice o fa. E perchè naturalmeote piace a ciascuno la libertà di poter fare e dire ogni cosa a modo suo, e la superiorità sopra gli altri, l'adulazione rifiuta del tutto le parti principali dell'amicizia, che sono la libertà dell'ammooire e del riprendere, e diventa quasi un eco di colui a chi si adula, e finalmeote bandisce tutta l'egualità. E perciò, oltre la raverenza e rispetto che l'adulatore ritieoe in tutta la conversazione, si fa anco ioferiore in tutti i beni dell'animo e del corpo e della fortuna, e nei mali superiore. ecc.

XIX. Sed tempus est ut post longum per varia rerum genera diverticulum, ad Bernardum Guidonis revertamur, cuius biographia romanorum Pontificum, voluminis huius primum praecipuumque caput est. Neque iam de Bernardo rursus loquar, nisi quod auctorum nomina ab eo identidem laudatorum heic adscribam; insuperque indiculum addam Pontificum, ut hi facilius in libro nostro a lectoribus reperiantur.

AUCTORES LAUDATI.

Adonis episcopi viennensis chronicon.
Archiepiscopi cusentini chron.

Bedae chron.
Bonizo sutrinus.

Chronica varia seu chronographi anonymi.

Damasi chron.

Eusebii chronicon et historia.

Fulbertus carnotensis.

Gesta Francorum.
Gesta martyrum.
Gothifredus viterbiensis in libro pantheon.
Gratiani decretum.
Guillelmi chron.

Hieronymi chron.
Historia ecclesiastica.
Historia tripartita.
Honorii solitarii chron.

Isidori hisp. chron.
Iulius Caesar.

Martini poloni chron.

Paulus diaconus cardinalis.
Paulus Orosius.

Sicardi episcopi cremonensis chron.

Vincentii bellovacensis chron.
Vitae sanctorum.

Usuardi martyrologium.

INDEX PONTIFICUM.

(*) Pag. 145. in libro nostro scribitur *Leo III.* Reapse tamen in Bernardi codice, saltem maiore, recte huic, utpote antipapae, (ut ibi diximus in adn.) non apponitur nota *III*; consequenterque in eodem codiee dicitur *tertius Leo* is qui successit Hadriano I., ut fit etiam in libro nostro.

BERNARDI GUIDONIS

PRAEVIA EPISTOLA

AD IOHANNEM ·XXII· P. M.

Sanctissimo patri ac domino suo Iohanni, munera divinae gratiae, sanctae romanae ac universalis ecclesiae summo Pontifici et pastori vicario domini Iesu Christi; suae servulus Sanctitatis frater Bernardus Guidonis ordinis Praedicatorum, inquisitor haereticae pravitatis in regno Franciae per sedem apostolicam deputatus, se ipsum ad devota pedum oscula ex voto debitae servitutis.

Iam pridem ex pluribus antiquis chronicis atque gestis Pontificum romanorum ac Imperatorum excerpens collegi flosculos, in uno compingens opusculo duabus partibus dispertito, quae convenienter in eodem possent compingi volumine, vel haberi quoque separatim, usque ad obitum felicis recordationis Clementis papae ·V· Nunc vero praesens opusculum de romanis Pontificibus, qui vos in sede apostolica praecesserunt, ac de Imperatoribus romanis Regibusque Francorum a domino Iesu Christo usque ad ·XVI· annum apostolatus vestri collectum pariter et excerptum ex silva plurium chronicorum tractatuumque atque gestorum, tam priorum temporum quae fuerunt ante vos, quam etiam modernorum de iis quae in diebus nostris in nostro climate evenerunt, Sanctitati vestrae offero. In quo siquid gratum vobis fuerit, gratias ago Deo a quo fluunt omnia munera gratiarum. Si vero, quod vere vereor, aliquid minus conveniens minusque congruum, minus aptum aut aliter defectivum repertum fuerit in eodem, meae insufficientiae imputo et adscribo, et supplex veniam peto et obsecro corrigi et suppleri. Det Deus omnipotens vobis in cunctis bene agere, longamque ac felicem vitam ad sui gloriam et exaltationem fidei ac eliminationem labis haereticae secundum sancta desideria cordis vestri! Datum Avinione ·VII· idus augusti, completis annis ·IIII· a creatione pontificatus vestri, nec minus nec amplius una die, anno ·M·CCC·XX·

INCIPIT PROLOGUS IN SEQUENTEM LIBRUM QUI INTITULATUR CATALOGUS PONTIFICUM ROMANORUM.

Romanorum Pontificum nomina et tempora, quibus Christi ecclesiae praefuerunt, nec non insignia gesta, quae sub eorum temporibus evenerunt, scire gestiens, plurium tractatorum, historiographorum, et chronicorum, saepe perlegi libros et opera, ac gesta passionesque sanctorum, in quibus ipsorum Pontificum nomina et tempora saepius commemorantur, desiderans in cunctis et singulis veritatis certitudinem plenius invenire, praecipue propter multam ac nimiam dissonantiam varietatemque temporum, quam reperi in diversis chronicis, annorum mensium et dierum, nec non etiam rerum gestarum, quae, ut reor, plerumque contigit propter vitium scriptorum, interdum quoque propter diversitatem positionum et opinionum eorumdem scribentium tractatorum. Itaque fluctuans animo saepe, et multum mecum recogitans et pertractans, quid amplius tenendum sequendumque foret tamquam verius, viam elegi quam scivi et potui tutiorem; ut in huiusmodi varietate, quin immo et contrarietate, incertà minime assererem; nec scripta ab antiquis, ego temerarie iudicans definirem. Ubi vero omnes aut plures fide digni unum idemque conscriberent et consentirent, ego quoque consentirem in idem consona ratione sequendum fore; illud potius arbitratus quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. Ubi autem aliud et aliud tamquam contraria concreparent, utrumque sub disiunctione ponerem, lectoris electioni et iudicio relinquendo, ut in sequentibus apparebit. Hoc autem scire convenit in praesenti, quia differt inter historiographum et chronographum, quia illius est maxime rerum gestarum historiam et ordinem ad plenum per singula conscribere; istius vero tempora principaliter connotare, et succincte transcurrere memoriam ac historiam rei gestae. Chronographiam igitur non historiographiam in sequentibus persequar.

EXPLICIT PROLOGUS.

CATALOGUS
PONTIFICUM ROMANORUM
CUM INSERTA TEMPORUM HISTORIA.

IESUS CHRISTUS DEI FILIUS PONTIFEX AETERNUS.

Iesus christus filius Dei ab aeterno genitus, fons sapientiae, verbum patris, natus est ex virgine Maria, desponsata Ioseph, de tribu Iuda, de domo et familia David, in civitate Bethleem, media nocte diei dominicae, completis ab Adam primo terrigena ab initio mundi conditi, secundum ·LXX· interpretes, et Orosium, et Eusebium caesariensem qui antiquam translationem sequitur, annis quinque milibus centum nonaginta novem. Et hunc numerum assignat Beda, quem usualiter tenet ecclesia - Unum tolle datis a mille quinque ducentis - Nascenti Domino, tot Adae Beda dat protoplasto. Sunt et alii duo versus - Anni ducenti, minus uno, milia quinque - Praecessere tui nascentis gaudia Christe. Secundum vero quosdam alios, completis annis quinque milibus ·CC·XXVIII· At secundum Hebraeos computantur anni quatuor mille ·D·CCC·LIIII· Anno ab urbe condita ·D·CC·LII·, ut ait Paulus diaconus in historia Romanorum, et idem scribit Orosius; hebdomada vero secundum Danielis prophetiam ·LXVI·; olympiadis autem ·C·XCIII· anno primo, secundum chronicas multorum; secundum chronicam Hieronymi olympiadis ·CXCIIII· anno secundo; imperii Octaviani anno ·XLII·; Herodis ascalonitae regis iudaeorum anno ·XXXI·; anno quintae mundi aetatis ultimo, vel sextae aetatis primo.

In nativitate Christi multa miracula apparuerunt (1). Stella magis apparuit; idola Aegypti corruerunt; Romae fons aquae in liquorem olei versus tota die illa in Tiberim defluxit; alibi scribitur in chronicis quod de taberna meritoria etiam, significans in gentibus gratiam effundendam, ubi postmodum in honorem beatae Mariae virginis fabricata est ecclesia a beato Callisto papa. Anno primo quo natus est Christus, tulit eum Ioseph in Aegyptum. Anno Domini sexto Herodes morbo intercutaneo et scatentibus vermibus toto corpore miserabiliter moritur. Cui successit Archelaus filius eius ab Augusto substitutus. Regno in tetrarchias diviso, Archelaus Iudaeam, Herodes Antipas Galilaeam, Lysanias Abilinam, Philippus Ituraeam et Trachonitidem, sortiti sunt. Archelaus anno regni sui ·xi· ob insolentiam abs Iudaeis accusatus apud Augustum, Viennam urbem Galliae relegatur. Anno aetatis suae septimo Iesus rediit de Aegypto in Iudaeam. Anno ·xii· remansit puer Iesus in templo docens. Octavianus anno aetatis ·lxxvii· moritur Nolae in Campania, imperii sui anno ·lvi·, nam ·xliiii· solus, ·xii· cum Antonio regnavit. Sepultus est Romae in campo martio. Anno Domini ·xv·, vel secundum alios ·xvi·, coepit Tiberius, et annis ·xxiii· imperavit. Hic in omnibus negotiis morosus fuit, unde cum statuisset procuratores provincia-

(1) De prodigiis, quae Christi domini nativitatem comitata sunt, sapiente criticaque doctrina disserit Baronius in apparatu, et ad primum Christi annum. Nos illa heic praetermisimus, (quamquam in codicibus scripta) quae vel idoneis testimoniis carent, vel historiae verae adversantur, veluti de pacis templo prostrato, de aurea statua quam Romulus fixerat aeque corruente, de Sibylla quae virginem cum puero in sole sedentem Octaviano augusto ostendit, de peccatoribus sodomitis natali Christi nocte cunctis divinitus interfectis, Octaviano excepto.

rum, vix umquam eos mutabat, dans exempla de muscis famelicis quae acrius angunt ulcerosos, quam plenae. Nec tributa voluit augere dicens, boni pastoris esse tondere pecus non deglutire. Ovidius poëta in exilio moritur, et iuxta oppidum Tomos sepelitur. Anno Domini ·xxvii·, Tiberii vero ·xii·, Pilatus mittitur in Iudaeam procurator, quem Magister in historiis scholasticis natum asserit Lugduni.

Anno Tiberii ·xv· abs Iohanne Baptista praedicante baptizatur Christus ·viii· idus ianuarii, aetatis suae anno ·xxx·. Et in historiis scholasticis legitur quod trigesimum inceperat, tredecim diebus eiusdem anni peractis. Secundum sanctum Chrysostomum in homilia super versiculo " sic nos decet implere omnem iustitiam „ Iesus post ·xxx· annum venit ad baptismum, legem veterem soluturus. Propterea usque ad hanc aetatem, quae omnia solet capere peccata, in legis observatione permansit, nequis diceret, ideo eum solvisse legem quia ipsam implere non potuisset. Tunc igitur venit ad baptismum, docturus evangelium, quasi cumulum cunctis legis observationibus imponens. Et secundum hoc vixit Dominus ·xxxiii· annis integris, et tanto amplius, quantum est de natali ad passionem eius. Eadem die, qua fuit baptizatus, quasi anno revoluto, convertit aquam in vinum. Et sequenti paschate incarceratur Iohannes, et revoluto anno decollatur, et in tertio paschate passus est Dominus. Et ita secundum alios vixit Dominus ·xxxii· annis integris, et de tertio tantum quantum est a natali usque ad passionem Domini, quod pro dimidio anno computatur. Circumcisio cessavit in baptismo Christi, et sexta aetas sive chilias incepit, secundum quosdam. Alii dicunt sextam aetatem incepisse in incarnatione Christi; alii vero in passione.

Non multo post baptismum, nuncium suae praedicationis Christus exordiens, ·xii· discipulos assumpsit, quos prae ceteris apostolos nominavit. Alios quoque ·lxxii· discipulos post hos elegit.

Anno Tiberii ·xviii· Iesus venit ad passionem. Unde Hieronymus in chronica sua dicit " Iesus Christus se„ cundum prophetiam quae de eo fuerat praelocuta, „ ad passionem venit anno Tiberii ·xviii· Quo tempore „ etiam in aliis ethnicorum commentariis haec ad ver„ bum scripta repperimus : solis facta defectio, Bithy„ nia terrae motu concussa, et in urbe Nicaea aedes „ plurimae corruerunt. Quae omnia iis congruunt quae „ in passione Salvatoris acciderunt „. Liquet ergo ex eclipsi solis et aliis quae evangelistae scribunt, quae etiam in libris gentilium habentur, Salvatorem hoc anno passum. Argumentum huiusmodi rei praebet evangelium Iohannis, in quo scribitur, post ·xv· annum Tiberii Caesaris tribus annis Dominum praedicasse. Anno eodem quo Christus primus et summus pontifex crucifixus est, lapidatur Stephanus mensis augusti die tertia; et Saulus convertitur mense decimo, ·viii· kal. februarii.

I. PETRUS.

Petrus, qui et Cephas, frater Andreae, filius Iohannis, de vico Bethsaida, provinciae Galilaeae, anno Domini ·xxxiii·, vel secundum Chrysostomum ·xxxiiii·, primus a Christo electus vicarius tenuit cathedram in partibus orientis annis quatuor, ubi ex institutione Domini celebrari sacrificium constituit de pane et vino, cum oratione dominica et sanctificatione crucis, quem morem apostoli imitati sunt. Tiberius imperii

anno ·XIIII· moritur in Campania. Pilatus Viennae ob plurimas in eum accusationes exulans, semet ipsum interfecit. Herodes Antipas, qui Iohannem Baptistam occiderat, et qui Domino in passione illuserat veste alba, cum Herodiade Lugduni exulans, ambo miserabiliter moriuntur. Anno Domini ·XXXVIII·, secundum chronicam vero Vincentii ·XXXVIIII·, Gaius Caligula succedit Tiberio, imperavitque annis ·III·, mensibus ·X·, diebus ·VIII· Hoc anno Petrus venit Antiochiam, ubi cathedram adeptus, primus sedit annis ·VII· Ibi primo discipuli nominati sunt christiani. Anno Domini ·XL· Matthaeus evangelium scripsit; anno autem Domini ·XLIII· Marcus evangelium suum tradidit, et fames valida fuit. Anno a passione Domini ·XV·, a nativitate ·XLVII· vel ·XLVIII·, Lucas evangelium scripsit.

Anno Domini ·XLIII· Claudius imperavit post Gaium annis ·XIIII·, mensibus ·VII·, diebus ·XXVIII· Huius imperantis anno secundo, vel iuxta alios tertio, anno vero Domini ·XLV· vel ·XLVI· Petrus apostolus cum primus antiochenam fundasset ecclesiam, venit Romam, ibique evangelium praedicans, ·XXV· annis, mensibus ·VII·, diebus ·VIII· eiusdem urbis episcopus perseverat. Hic duas scripsit epistolas quae canonicae appellantur, cuius auditor fuit Marcus et filius in baptismo. Hic etiam fecit ordinationes mense septembri, episcopos ·VI·, presbyteros ·X·, diaconos ·VII· Nec multo post adventum suum Apollinarem misit Ravennam, quae tunc in Italia et magnitudine et populi frequentia post Romam celebrior erat. Syrum vero misit Papiam; Marcum autem interpretem suum, postquam Aquileiae evangelium scripserat, destinavit in Aegyptum, qui alexandrinam ecclesiam primus fundavit. Hoc tempore etiam beatus Petrus audiens gentes gallicas idololatriae er-

rore delusas, plures ex suis illuc ad praedicandum delegavit (1). Savinianum, qui de ·LXXII· discipulis erat, Senonas, quae tunc prae ceteris Galliarum urbibus insignis erat, destinavit. Potentianus vero cum sancto Saviniano egressus, adiuncto sibi Serotino, Trecas adiit. Altinus vero qui etiam Roma cum Saviniano et Potentiano venerat, unito sibi Odaldo dirigitur Aurelianos. Inde Carnutum adeunt, et inde urbem Lutetiam quae nunc Parisii dicitur. Post haec omnes praedicti Senonas ad magistrum reversi praedicationi insistunt. Tandem Savinianus cum praedictis sociis multisque aliis ibidem martyrio coronatur.

Claudio adhuc imperante sanctus Petrus plures alios praedicandi gratia in Galliam mittit discipulos, e quibus sanctus Martialis, unus ex ·LXXII· duobus discipulis qui fertur fuisse puer ille quem Dominus in medio discipulorum statuit, Lemovicum petit urbem, ibique per sacram praedicationem Deo innumerabilem populum acquisivit. Ursinus, qui Nathanahel fertur de quo Dominus dixit ecce vere israhelita in quo dolus non est, Bituricas adiit. Iulianus, qui Simon leprosus, mit-

(1) Quod attinet ad subsequentes gallicanarum ecclesiarum fundationes, nequis eas temere omnes neget (etsi nec omnes secure affirmamus) legat quae a Sammarthano in praefatione ad Gall. christ. cap. IV. de religione christiana temporibus apostolicis in Galliis fundata sapienter scribuntur; ubi ex hoc ipso quod Petrus Marcum Alexandriam direxerit episcopum, recte infertur, nihil obstare quominus Galliarum quoque episcopatus aliquot ab eodem Petro institutos credamus. Idem Sammarthanus cap. I. diserte scribit: *Gallia priores evangelii praedicatores debet S. Petro seu sedi apostolicae. Hinc Gregorius magnus gallicanam ecclesiam romanae ecclesiae bonam sobolem appellat epist.* 53. *lib. V. indict.* 13. Insuper de his episcopatuum gallicanorum initiis, legesis quae nos protulimus ad Domitiani annum octavum et seqq. in chronico Eusebii lib. II. ed. rom. Script. vet. T. VIII.

titur Cenomanos. Hi omnes post multa miracula (Martialis sex mortuos, Iulianus vero tres resuscitasse leguntur) in pace quieverunt. Cum iis etiam Clemens, qui ut traditur patruus fuit Clementis papae, Metensibus; Eucharius, Valerius, et Maternus Trevirensibus, Syrus Remensibus, Mansuetus Tullensibus, Fronto Petrocoricensibus, Minervius Catalaunicis, Saturninus Tolosanis, episcopi diriguntur. Beatus autem Martialis supradictus Aquitaniam intrans, de sanguine Protomartyris secum tulit, habens sanctum in comitatu virum Amatorem, et uxorem eius Veronicam, qui familiares erant beatae Virginis.

Anno Domini ·LVII·, secundum alias chronicas ·LVIII·, Nero post Claudium imperavit annis ·XIII·, mensibus ·VIII·, diebus ·XXVIII·, omnium flagitiosissimus, primus christianorum persecutor. Felix regens Iudaeam, orta seditione in Caesarea Palaestinae, magnam perdidit multitudinem iudaeorum. Felici successit Festus, apud quem praesente Agrippa Paulus apostolus appellans, Romam vinctus mittitur post passionem Domini anno ·XXV·, Neronis secundo, sicut tradit Hieronymus de illustribus viris, et per biennium in libera custodia detinetur, secure praedicans verbum Dei, multosque convertens; ibique extra urbem horreum publicum conduxit, ubi cum fratribus de verbo vitae tractavit, et satis innotuit urbi de signis et sanctitate eius. Concursus quoque magnus fiebat ad ipsum de domo Caesaris; unde et Seneca instructor Neronis familiaris ei extitisse traditur. Post biennium vero relaxatus, Hispaniam petiit; sed a fidelibus romanis, ut dicitur, revocatus rediit; et Trophimum Arelate, Paulum prius Sergium vocatum Narbone reliquit. Statius Ursulus Tolosae celeberrime rhetoricam docet. Nero imperii

suo anno quinto Agrippinam matrem suam et sororem patris interfecit. Iacobus frater Domini apostolus, quem iustum appellabant, Hierosolymis a iudaeis occiditur anno Neronis sexto. In quadam chronica, et in libro Hieronymi de illustribus viris, dicitur septimo. Anno autem Domini ·LXII· vel ·LXIII·, Neronis octavo, Marcus evangelista martyrio coronatur, et Alexandriae sepelitur.

Anno Domini ·LXVIII·, prout in quadam chronica legitur, et idem dicit Damasus papa ad Hieronymum, beatus Petrus Linum et Cletum episcopos ordinavit ad explenda ministeria, ipse vero verbo et orationi vacabat. Seneca cordubensis, patruus Lucani poëtae, iussu Neronis moritur anno Domini ·LXVIII·, biennio ante Petri et Pauli martyrium. Is continentissimae vitae fuit, optavitque ut talis esset inter suos, qualis Paulus inter christianos. Festo in magistratu Iudaeae successit Albinus. Albino Florus, qui iudaeos contra romanos tunc rebellantes die sollemni flagellis Hierosolymis honorabiliores verberavit patibuloque suspendit. Et tunc iudaeis adhuc rebellantibus, Vespasianus magister militum a Nerone mittitur contra eos. Nero imperii sui anno ·XIII· Octaviam uxorem suam interfecit. Petrus apostolus, imminente obitu, in conventu fratrum Clementem post se consecravit successorem. Item statuit ante pascha quadragesimam, et ante natale Domini tres hebdomadas et quartam imperfectam ab omni christiano populo ieiunari, in commemorationem primi et secundi adventus domini Iesu Christi (1).

De pontificatu beati Petri et morte ipsius, ac beati Pauli, scribit Gelasius papa dicens: sancta romana ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce domini et Salvatoris nostri

(1) Ex Bonizone sunt haec de ieiunio.

primatum tenuit dicentis: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Cui data est societas beatissimi Pauli apostoli, qui non diverso, ut haeretici garriunt, sed uno et eodem tempore et die in urbe romana cum Petro, sub Nerone Caesare, agonizans coronatus est; et pariter praedictam romanam ecclesiam Christo domino consecrarunt, ac ceteris urbibus in universo mundo sua corporali praesentia ac venerando triumpho praetulerunt. Proinde romana sedes prior est omnibus dignitate, licet antiochena prior sit tempore. Passi sunt beatus Petrus et Paulus ·III· kal. iulii; Petrus via aurelia iuxta palatium neronianum in Vaticano, ibique sepultus; Paulus vero ad aquas salvias in via ostiensi, anno Neronis ·XIII·, dominicae incarnationis ·LXX·, in quadam vero chronica dicitur ·LXXI·, anno autem post passionem Christi ·XXXVIII· Beda; et Magister in historia scholastica super act. apost. cap. XV., scribunt quod beati Petrus et Paulus passi sunt anno a passione Domini ·XXXIX·

II. LINUS.

Linus natione italicus, de regione Tusciae, patre Herculano, coepit anno Domini ·LXXI·, in quadam chronica dicitur ·LXXII·, seditque annis ·XI·, mensibus ·III·, diebus ·XI· vel ·XIII· In chronica Damasi papae dicitur annis ·XII·, mensibus ·XI· Dicunt qui de cathedra romanae ecclesiae diligentius perscrutati sunt, quod Linus et Cletus non sederunt ut summi Pontifices, sed ut summi Pontificis coadiutores, quibus in vita sua beatus Petrus unam credidit ecclesiasticarum rerum dispensationem, ipse vero orationi et praedicationi instabat; propter quod tanta auctoritate dotati meruerunt in ca-

talogo Pontificum numerari; quod etiam Iohannes papa primus sentire videtur in quadam epistola decretali. Sanctus Damasus in chronica scribit: Clemens ex praecepto Petri suscepit ecclesiam et pontificatum gubernandum. Tamen in epistola, quae ad Iacobum hierosolymitanum episcopum scripta est, qualiter ei a beato Petro commissa sit ecclesia, reperies. Propterea vero Linus et Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso principe apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum episcopi ordinati sunt. Alibi vero in plerisque locis scribitur, quod Clemens, ne huiusmodi apostolica ordinatio posteris transiret in vitium, Linum et Cletum ante se pontificari coëgit. Et sic Clemens primus est post Petrum per electionem, tertius vero per gradum (1).

Nero aetatis suae anno ·xxxii· ad quartum urbis miliare a senatu quaesitus et fuga elapsus interficitur. Tamen aliter scribitur in actibus sanctorum Petri et Pauli. Eoque mortuo, anno Domini ·lxxi· Galba in Hispania, Otho Romae, Vitellius in Germania, Vespasianus in Palaestina, ad imperium electi sunt. Sed Galba avaritiae et segnitiei deditus, septimo imperii sui mense ab Othone occiditur. Otho vero post tres menses a Vitellio proelio devictus se ipsum interfecit. Et Vespasiani milites Vitellium eodem anno, cum Romam victor ingressus esset, in foro occisum in Tiberim proiecerunt. Sicque tribus anno primo mortuis, Vespasianus anno praedicto, hortatu militum in Palaestina ubi tunc erat imperator effectus, imperavit annis ·ix·, mensibus ·x·, diebus ·xxii· Hic multis iudaeorum oppidis captis, et proelio hostibus Hierosolymam usque

(1) Haec de inedito Bonizonis episcopi sutrini decreto mutuatus est noster auctor.

fugatis, Titum filium suum ad obsidionis procurationem relinquens, Romam per Alexandriam proficiscitur. Porro Titus anno imperii patris secundo Hierosolymam capit et subvertit, templum diruit, sexcenta milia iudaeorum interficit. Iosephus vero scribit undecies centena milia captivorum publice venundata, uno denario ·xxx· distractis; iuvenibus aliis ad metalla et labores diversos, aliisque ad ludos gladiatorios ac ad triumphum reservatis. Iosephus captus a Tito libros antiquitatum et de iudaico bello Romae conscripsit.

Anno Domini ·lxxx· vel ·lxxxi· vel ·lxxxii· Titus Vespasiano patri successit, imperavitque annis duobus et totidem mensibus. In chronicis vero Vincentii et Martini dicitur annis tribus. Hic in omnibus virtutibus mirabilis, et largissimus erat. Linus ex praecepto beati Petri statuit ut mulier velato capite intret ecclesiam. Hic Linus actus apostolorum Petri et Pauli graeco et latino sermone conscripsit, mittens ad ecclesias orientis. Huius Lini meminit apostolus Paulus ad Timotheum ep. ii. in fine. Hic multis clarens miraculis, a Saturnino consule decollari iussus est, sepultusque in Vaticano iuxta sanctum Petrum anno Titi secundo, Domini ·lxxxi· vel ·lxxxii· vel ·lxxxiii·, nono kal. octobris. In martyrologio Usnardi scribitur ·vi· kal. decembris. Cuius corpus postea Gregorius ostiensis episcopus cum multa sollemnitate cleri Ostiam transtulit, et in ecclesia maiori, scilicet sancti Laurentii, condidit.

III. CLETUS.

Cletus natione romanus, de regione vico patricio, patre Aemiliano, coepit anno Domini ·lxxxii·, secundum alias chronicas ·lxxxiii·, imperatoris Titi anno se-

cundo. Sedit annis ·xi·, mense ·i·, diebus ·xi· secundum chronicam Martini. In quadam chronica vero, sed non bene, scribitur annis ·xii· Vacavit sedes diebus ·xxxv·, in quadam vero chronica dicitur diebus ·xx· Hic ex praecepto beati Petri ·xxv· presbyteros ordinavit in urbe romana mense decembri. Tito mortuo succedit Domitianus anno Domini ·lxxxiii·, secundum alios ·iiii· vel ·v·, imperavitque annis ·xiii·, mensibus quinque; secundum Vincentium et quosdam alios annis ·xv· Hic secundam persecutionem in christianos exercuit. Idem mirificum templum Romae quod Pantheon dicebatur aedificavit (1). Sub ipso passus est Cletus, imperii anno ·xi·, Domini vero ·xcii·, secundum alios ·xciii·, sexto kal. maii, sepultus in Vaticano.*

IIII. CLEMENS ·I·

Clemens primus, natione romanus, de regione Caelio monte, ex patre Faustino, coepit anno Domini ·xciii·, in quadam vero chronica dicitur ·xcii· Sedit annis ·ix·, mensibus ·ii·, diebus ·x· secundum chronicam Damasi papae, et Martini, et Archiepiscopi cusentini (2), ac secundum ecclesiasticam historiam Eusebii caesariensis lib. III. cap. xxxiii. In chronica vero Hieronymi presbyteri scribitur quod sederit annis ·viii· In alia deni-

(1) Nempe *restituit*; (nam *aedificasse Capitolium* pro *restituisse* dicit etiam Hieronymus de Vespasiano.) Svetonius in Domitiani vita cap. 5: *plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit, in quis et Capitolium* etc. Conferatur etiam Martialis IX. 4. Attamen Pantheon a Domitiano reparatum, alibi non legimus, sed potius ab Hadriano apud Spartianum cap. 19.

(2) En heic quoque distinguitur Martinus polonus ab Archiepiscopo cusentino, quod faciendum iamdiu monuit Eccardus C. H. praef. T. I. n. 23. Codd. constanter habeat *cusantini*.

que chronica dicitur quod sederit annis ·xi· Vacavit sedes diebus ·xxx· Hic multos doctores ecclesiae ad diversas regiones transmisit, Photinum Lugdunum, Paulum Narbonem, Gratianum Turonas, Dionysium ariopagitam Parisios, ubi mortuus est cum sociis capitis abscisione ·vi· idus octobris, aetatis suae anno circiter ·xc· (1), a passione Domini ·lxiii·, Domitiani anno ultimo ingruente. Eodem anno Iohannes apostolus a dolio fervente olei illaesus exiens, in Patmon insulam exul relegatur per Domitianum, qui eodem anno a senatu damnatus interficitur. Aiunt hoc tempore ipsum Iohannem laboribus exilii resolutum, apud Ephesum in qua habebat amicos amantissimos et hospitium secessisse. Anno Domini ·xcviii·, secundum chronicam Vincentii, in alia dicitur ·xcix·, coepit Nerva admodum senex, imperavitque anno uno, mensibus quatuor; in chronica Vincentii dicitur annis duobus. Qui morbo mortuus anno aetatis suae ·lxxii·, Traianum habuit successorem. Tempore Nervae, anno Domini ·xcviii·, vel potius ·xcix·, Iohannes Ephesi evangelium suum scripsit. Anno Domini ·c· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·xcix·, Traianus genere hispanus a Nerva in filium adoptatus, apud Agrippinam Galliae urbem, quae nunc Colonia dicitur, imperii insignia suscipiens imperavit annis ·xix·, alia chronica dicit annis ·xviii·, mensibus ·vi·, diebus ·xx· Hic tertius christianorum persecutor. Usque ad Traiani tempora scribit Irenaeus Lugduni episcopus Iohannem apostolum permansisse. Scribit Hieronymus de illustribus viris Iohannem migrasse ad Christum ·lxviii· anno post passionem Domini, qui fuit annus incarnationis ·ci· vel ·cii· Huius auditores fuerunt insignes Papias

(1) Alius cod. xcvii.

hierapolitanus, Polycarpus smyrnensis, et Ignatius antiochenus, episcopi.

Clemens pontifex distribuit septem notariis septem regiones, in quibus victorias martyrum fideliter et curiose perquirerent, et conscriberent diligenter. Hic ordinavit dici " te igitur „ in canone missae. Statuit etiam ut cathedra episcopalis in eminentiori loco ponatur, in qua residens episcopus omnes possit conspicere, et ab omnibus conspici. Hic etiam statuit, ut puer baptizatus statim confirmetur. Hic multos libros fidei christianae conscripsit; et anno quarto imperii Traiani in mare mersus martyrium pertulit anno Domini ·cii· vel ·ci· Huius corpus circa Chersonam, ubi exulaverat, in mare proiectum ponticum, diu iacuit. Sed post multos annos, mari recedente, a beato Cyrillo Moravorum episcopo, et paene omnium Sclavorum apostolo, divinitus repertum, delatum est Romam tempore Nicolai papae primi, et in ecclesia sancti Clementis per Papam et populum romanum honorifice reconditum: in qua ecclesia etiam beatus Cyrillus, post paucos dies diem claudens extremum, tumulatur miraculis coruscans.

V. ANACLETUS.

ANACLETUS natione graecus de Athenis, ex patre Antiocho, coepit anno Domini ·cii·, vel secundum alios ·ci· Sedit annis ·ix·, mensibus ·ii·, diebus ·x· Vacavit sedes diebus ·xiii· De isto tacet Eusebius, dicens quod iste est idem qui Cletus; sed Damasus in chronica, quam scribit Hieronymo, dicit eos diversos. Non solum autem in hoc, sed et in pluribus aliis chronica Eusebii dissentit ab aliis chronicis. Traiano christia-

nos persequente, anno imperii sui ·x·, Simon filius Cleophae consobrinus et successor Iacobi apostoli Hierosolymis in episcopatu cum esset annorum ·cxx· crucifigitur. Anno vero imperii Traiani ·xi· passus est sanctus Ignatius episcopus antiochenus, qui Traiano de victoria redeunti, et mortem christianis comminanti occurrit, et se christianum confitens, ferro vinctus Romam ducitur. Hic Anacletus construxit memoriam beati Petri, et alia loca ubi episcopi traderentur sepulturae. Idem constituit ut clericus non nutriat comam neque barbam. Is martyrio coronatus tempore Traiani, apud sanctum Petrum sepultus est ·iii· idus iulii, anno Domini ·cx· vel ·cxi·

VI. EVARISTUS.

Evaristus natione graecus, ex patre Iuda iudaeo, de civitate Bethleem, coepit anno Domini ·cxi· Sedit annis ·x·, mensibus ·vii·, diebus ·ii· Damasus dicit annis ·xiii·, mensibus ·vi·, diebus ·ii· In chronica tamen Hieronymi scribitur annis ·ix· Vacavit sedes diebus ·xviii· Traiano apud Selinuntem Ciliciae profluvio ventris extincto, anno Domini ·c·xix· secundum Vincentium et Martinum, secundum alios ·c·xx·, coepit Hadrianus praenomine Aelius, Traiani filius, imperavitque annis ·xxi· Quaedam chronica addit amplius menses ·x·, dies ·xxi· Hic Hadrianus graecis litteris impensius eruditus fuit, et in sermone sciebat singula singulis respondere, ioca iocis, seria seriis, ita prompte et pertinenter, ut eum omnia praemeditatum putares. Rem publicam iustissimis legibus ordinavit, et ultro more maiorum pater patriae appellatus est in senatu, et uxor eius augusta. Evaristus papa titulos in urbe romana divisit, presby-

teros et septem diaconos constituit qui custodirent episcopum praedicantem, ne quid ipsi imponeretur ab aemulis qui diffamarent eum. Martyrio donatus sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, ·vii· kal. novembris, pontificatus ·anno ·xi·, anno Domini ·c·xxi·

VII. ALEXANDER ·I·

Alexander primus, natione romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput Tauri, aetate iuvenis coepit anno Domini ·c·xxi· Sedit annis ·viii·, mensibus ·v·, diebus ·ii· In chronica vero Damasi scribitur annis ·x·, mensibus ·vi· Apud Hieronymum annis ·x· Vacavit sedes diebus ·xxxv· Hic constituit aquam cum sale benedici, et in habitaculis hominum aspergi. Hic in canone addidit " qui pridie quam pateretur „ usque ibi " hoc est corpus meum „. Statuit etiam aquam vino misceri ad designandam unionem Christi et ecclesiae, et ut oblatio fieret in azymo, et in modica quantitate, dicens: haec oblatio quanto potior, tanto parcior. Hic sub Hadriano imperatore missus est in carcerem; ac Hermes praefectus urbis qui per eum credidit, Eventius presbyter et Theodulus diaconus cum Alexandro papa, et cum pluribus aliis, diversis poenis affecti martyrio coronantur ·v· non. martii, anno Domini ·c·xxix· Alexander papa via nomentana sepultus est, postea vero in ecclesiam sanctae Sabinae translatus.

VIII. SIXTUS ·I·

Sixtus primus natione romanus, ex patre Pastore, de regione via lata, coepit anno Domini ·c·xxix· Sedit annis ·x·, mensibus ·iii·, diebus ·xxi· Vacavit sedes die-

bus ·II· Hadrianus imperator praecepit ne cui iudaeorum introëundi Hierosolymam esset licentia, christianis tamen civitate permissa, quoniam ipse in optimum statum murorum exstructionem reparavit, et Aeliam vocari de praenomine suo praecepit; cuius ope factum est ut loca sancta, dominicae passionis videlicet et resurrectionis, quondam extra urbem existentia, nunc eiusdem muro septentrionali circumdentur. Sixtus papa constituit ut diceretur " sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus sabaoth „; et quod mysteria sancta non tangerentur nisi a ministris, et ut mulier vasa sacra et pallas non tangeret. Hic constituit ut quicumque episcoporum vocatus esset ad sedem apostolicam, rediens ad ecclesiam suam non susciperetur nisi cum litteris sedis apostolicae. Hic saeviente persecutione in tantum quod christianitas fere deleta esset in Gallia, dum paucissimi invenirentur qui se dicerent christianos, christianis in Gallia poscentibus, ut ipsis aliquem virum dirigeret, qui paene iam extinctam fidei lucernam reaccenderet, misit eis Peregrinum episcopum cum pluribus aliis genere romanis, qui multis ad fidem conversis, martyrio ibidem coronatur. Secundum Vincentii chronicam Peregrinus Antisiodorum directus est ab alio Sixto; sed falso id dicitur, quod indicat tempus passionis eius cum sociis, quae sub Hadriano imperatore contigisse legitur. Hic Pontifex extra portam in via appia, ubi sanctus Petrus Christo sibi occurrenti dixit " Domine quo vadis „ decollatus fuit, et sepultus apud sanctum Petrum ·III· nonas aprilis. Usuardus tamen in martyrologio dicit: ·VIII· idus aprilis Romae natalis beati Sixti papae et martyris.

Telesphorus natione graecus, natus ex anachoreta, coepit anno Domini ·c·xxxix· Sedit annis ·xi·, mensibus ·iii·, diebus ·xxii· secundum chronicam Martini et Archiepiscopi cusentiui; in chronica vero Damasi papae scribitur annis ·xi· Vacavit sedes diebus ·vii· Hoc tempore floruit Aquila orator, genere ponticus, post ·lxx· legis mosaicae secundus interpres. Hadrianus imperator morbo intercutis aquae apud Baias moritur anno Domini ·c·xl· secundum chronicam Vincentii et aliorum; in chronica vero Sicardi scribitur ·c·xlii· Cui Antoninus cognomento Pius succedit. Hic tranquille rempublicam gubernavit annis ·xxii·, mensibus ·iii·, in tantum ut merito Pius, et pater patriae, nominatus sit; caruit enim omni ostentatione et gloriae apparentia. Huius tempore Galenus medicus, Pergami genitus, Romae claret. Telesphorus papa constituit ut septem hebdomadis ante pascha ieiunetur maxime a clericis. Hic etiam constituit ut missam ante tertiam nullus praesumeret canere. Statuit etiam hymnum angelicum cantari ante sacrificium, et in die natali tres missas celebrari, galli cantu Christo nascente, in aurora quando a pastoribus adorabatur, et hora diei tertia quando illuxit nobis dies redemptionis nostrae. Martyrio coronatus sepelitur apud sanctum Petrum ·iii· nonas ianuarii secundum Damasum, Usuardus dicit nonis ianuarii. Et notandum quod revera post Petrum Telesphorus non ·vii· sed ·viii· in catalogo pontificum occurrit. Sed videtur Usuardus Anacletum iuxta chronicam Eusebii, sicut dictum est supra, minime computasse; et sic Telesphorus septimus invenitur.

X. HYGINUS.

Hyginus, qui in aliquibus libris corrupte scribitur Ignius, natione graecus, ex philosopho de Athenis, cuius genealogia non invenitur, coepit anno Domini ·CL· Sedit annis ·IIII·, mensibus ·III·, diebus ·VI· Vacavit sedes diebus ·III· Hic clerum composuit, et gradus distribuit. Hic statuit patrinos adesse quando quis baptizatur et confirmatur vel catechizatur. Martyrio coronatus obiit, sepultusque fuit in ecclesia sancti Petri ·III· idus ianuarii.

XI. PIUS ·I·.

Pius primus natione italicus, ex patre Rufino, fratre Pastoris, de civitate Aquileia, coepit anno Domini ·CLIIII·, sedit annis ·XI·, mensibus ·IIII·, diebus ·XXI·, secundum chronicam Damasi et Martini; in quadam vero chronica dicitur annis ·IX·; in chronica demum Hieronymi scribitur annis ·XV· Vacavit sedes diebus ·XXIIII· Sub eo Hermes librum scripsit, in quo continetur mandatum quod ei praecepit angelus, ut sanctum pascha die dominica celebretur. Hic Papa fecit ordinationes quinque. Hic constituit venientem ex iudaeorum haeresi suscipi et baptizari. Huius temporibus Polycarpus episcopus Smyrnaeorum, Iohannis apostoli discipulus, Romam veniens multos ab haeretica labe revocavit, qui Valentini et Cerdonis fuerant doctrina corrupti. Huius temporibus fuerunt Romae duae sacratissimae virgines Potentiana et Praxedes. Temporibus huius Papae Iustus episcopus Viennensium, et Photinus Lugdunensium enituere. Hic Pius papa sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano pridie

idus iulii. Anno Domini ·c·lxii· coeperunt Marcus Antoninus Verus, et frater eius Lucius Aurelius Commodus, ab ipso ad imperium assumptus. Hi primum aequato iure imperium administrarunt, cum usque ad hoc tempus singuli augusti fuissent. Porro Marcus Antoninus vir tantae severitatis et gravitatis fuisse dicitur, ut ab infantia vultum nec ex laetitia nec ex maerore mutaverit. Imperavit annis xix· Notandum autem est hic, quod in chronicis Damasi, Hieronymi, Martini, Sicardi, Vincentii, et quorumdam aliorum, nec non in ecclesiastica historia lib. iiii·, item lib. v· cap. vi·, Pius papa praedictus ponitur statim post Hyginum papam, et post Pium papam ponitur Anicetus, sicut fit in praesenti opere. In chronica autem Honorii solitarii, et quibusdam aliis, scribitur e converso, videlicet post Hyginum Anicetus, et post Anicetum Pius. Sed primum aestimo esse verum.

XII. ANICETUS.

Anicetus natione syrus, in decretis dicitur Anicius, ex patre Iohanne, de vico Myrrha, alibi scribitur de vico Anisan (Emisa) coepit anno Domini ·c·lxv· Sedit annis ·xi·, mensibus ·iii·, diebus ·iiii· In historia vero ecclesiastica lib. ·iiii· scribitur quod Anicetus ·xi· anno episcopatus sui defunctus sit. Vacavit sedes diebus ·xv·, in quadam vero chronica dicitur diebus ·xxiiii· Hic constituit ut clerici barbam vel comam non nutriant. Huius tempore Irenaeus natione graecus, doctor eximius, lugdunensem gubernabat ecclesiam. Anicetus papa martyrio consummatus sepultus est via appia in coemeterio Callisti ·xii· kal. maii. Lucius Aurelius anno regni sui nono, vel secundum alios undecimo, apo-

plexia suffocatus interiit, quo defuncto Marcus Antoninus solus rei publicae praefuit. Hoc tempore, in diebus parthici belli, quarta post Neronem persecutio in christianos efferbuit, et tam in Asia quam in Gallia multi sanctorum coronati sunt. In Asia quidem sanctus Polycarpus, secundus Smyrnaeorum episcopus cum aliis ·XII· ex Philadelphia Smyrnam venientibus. In Gallia vero Iustus viennensis episcopus, et Photinus lugdunensis cum innumerabili multitudine martyrio coronantur, quorum mirae passiones leguntur. Hoc tempore Melito sardiensis, Apollinaris hierapolitanus, et Dionysius Corinthiorum, episcopi habentur insignes.

XIII. SOTER.

Soter natione campanus, ex patre Concordio, civitate Fundana, coepit anno Domini ·C·LXXV·, in quadam vero chronica scribitur ·C·LXXIIII· Sedit annis ·IX·, mensibus ·VII·, diebus ·XXI· Vacavit sedes diebus ·XXII· Hic constituit ut monacha velum portet, nec pallas tangat, nec incensum ponat in sancta ecclesia. Huius tempoporibus haeresis Cataphrygarum, qui a Phrygia provincia unde originem habent nominati sunt, oritur; qui dixerunt Spiritum sanctum nec apostolis nec alicui datum nisi ipsis; quorum auctores fuerunt Montanus, Priscilla et Maximilla insanae vates. Theodotio tertius divinae legis interpres, et Hegesippus scriptor historicus per id tempus floruerunt. Hic Papa constituit, ne uxor habeatur legitima, nisi per sacerdotem benedicatur. Anno Domini ·C·LXXXI· Marcus Antoninus imperator in Pannonia morbo periit. Commodus filius eiusdem imperat annis ·XIII· Soter papa martyrio coronatus,

in Vaticano in ecclesia sancti Petri sepultus est, secundum chronicam Martini; Damasus vero dicit quod sepultus sit in coemeterio Callisti via appia ·x· kal. martii.

XIIII. ELEUTHERIUS.

Eleutherius natione graecus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, coepit anno Domini ·c·lxxxiii·, in alia vero chronica dicitur ·iii· Sedit annis ·xv·, mensibus ·vi·, diebus ·v· Vacavit sedes diebus ·vi· Ab isto Lucius rex Britonum missis litteris ac nunciis petiit fieri christianus; et ei Phaganus et Damianus viri religiosi a beato Pontifice mittuntur, qui ipsum et populum convertentes sacro baptismate abluerunt. Erant autem tunc in Britannia, quae nunc Anglia dicitur, ·xxviii· flamines, id est pontifices paganorum, in quorum loco episcopos auctoritate apostolica statuerunt. Erant et tres archiflamines, quorum potestati ceteri fanatici subdebantur; quorum loco archiepiscopos scilicet Londini, Eboraci, et in urbe Legionum, quam veteris muri aedificia super Oscam fluvium in Glamorgacia fuisse testantur, consecrarunt (1). Per idem tempus pax ecclesiae per omnem terram reddi coepit, et sermo Dei ex omni genere hominum ad pietatem animas aggregabat. Eleutherius papa firmatum ab apostolis decretum renovavit, quod nulla esca rationabilis et humana a christianis repudietur. Interim romanum regebat imperium Commodus, ceteris incommodus, qui non multo post in domo Vestalium strangulatus interiit. Cui successit a senatu creatus Aelius Pertinax vir

(1) Beda hist. Angl. I. 4, et praecipue Harpsfeldius hist. angl. eccl. ed. 1622. p. 6. apud quem pro *Glamorgacia* scribitur *Demetia*, et pro *Phagano Fugacius*.

grandaevus et aequissimus; qui sexto mense, postquam regnare coeperat, Iuliani iurisperiti scelere in palatio occisus est, qui Iulianus invasit etiam imperium. Sed eundem ·VII· mense Severus genere afer, anno Domini ·C·XCIIII· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur anno ·C·XCV·, apud pontem Milvium bello civili victum interfecit. Itaque inter Pertinacem et Iulianum unus consumptus est annus. Severus deinde imperavit annis ·XIX· secundum chronicam Vincentii, in quibusdam vero chronicis dicitur annis ·XVIII· Fuit bellicosissimus, acer ingenio, graecis et latinis litteris instructus, et in omnibus fine tenus perseverans. Eleutherius martyr sepultus est in Vaticano apud sanctum Petrum ·VII· kal. iunii.

XV. VICTOR ·I·

VICTOR primus natione graecus (Damasus et Martinus dicunt afrum) ex patre Felice, coepit anno Domini ·C·XCIX· Sedit annis ·X·, mensibus ·II·, diebus ·X· Vacavit sedes diebus ·XII· Celebrato per eum concilio in Alexandria Palaestinae, cui interfuit Narcissus hierosolymitanus et Irenaeus lugdunensis, statuit pascha celebrari die dominica, observata ·XIIII· luna mensis aprilis usque ad ·XXI· pro termino paschali; nam multi episcopi Asiae et orientis cum iudaeis pascha celebrabant. Constituit etiam ut necessitate imminente quilibet sive in mari sive in flumine, dummodo constaret de credulitate eius et christiana professione, baptizaretur. Tempore huius floruit Clemens presbyter alexandrinus, litterarum sacrarum eruditione clarus, qui beati Pantaeni incomparabilis eruditionis viri auditor extitit; multique sacerdotes religiosi sanctitate praecipui, Nar-

cissus Hierosolymorum, Polycrates Ephesiorum, Irenaeus Lugdunensium, Bathyllus Corinthiorum, insigues episcopi claruerunt. Severus augustus quintam in christianos persecutionem exercuit, multique per diversas provincias passi sunt, inter quos Leonidas pater Origenis pro Christi nomine capite caesus, Origenem tenerae adhuc aetatis cum sex fratribus et vidua matre reliquit. Sed praefatus Origenes ·xvii· agens annum ita iam in grammatica eruditus, ut ad docendum sufficeret, victum lucrabatur. Passus est etiam Lugduni beatus Irenaeus cum multitudine magna cleri sui et populi. Item et Victor papa praedictus passus est ·v· kal. augusti, anno Domini ·cc·ix·, sepultusque est in Vaticano apud sanctum Petrum, cuius festum agitur dicta die. Usuardus vero dicit: ·xii· kal. maii Romae natalis sancti Victoris papae.

XVI. ZEPHYRINUS.

Zephyrinus natione romanus, ex patre Abundio, coepit anno Domini ·cc·ix· Sedit annis ·ix·, mensibus ·vi·, diebus ·x· secundum chronicam Martini. Vacavit sedes diebus ·vi· Hic constituit ut omnes fideles ·xii· annorum in die paschatis sumerent eucharistiam, et quod vasa altaris essent vitrea vel stamnea. Eodem tempore Alexander episcopus Cappadociae causa devotionis Hierosolymam veniens, beato Narcisso tunc sene et moriente, per revelationem episcopus ibidem eligitur. Per idem tempus claruit elegans interpres Symmachus, post ·lxx· quintus. Coepit Origenes dicti Clementis auditor, eiusque in docendi officio successor, Alexandriae opinatissimus haberi; ipsoque instanter verbum Dei praedicante, multi ex auditoribus eius martyrio

coronati sunt; inter quos Potamiana virgo, et Basilides eius decollator, qui tempore decollationis dictae virginis impudice illudentes eidem virgini abegit, passusque post ipsam est. Eadem enim virgo promisit Basilidi, quod cum abiret ad Dominum suum, bonam illi remunerationem impetraret; quod et factum est, quia post transitum eius Basilides cum per Deos iurare nollet, capite caesus est. Eadem etiam virgo pluribus aliis, cum quibus in schola Origenis verbo Dei operam dederat Alexandriae, per visum apparens, de martyrio eos certos fecit. Severus Eboraci in Britannia moritur, duos relinquens filios, Getam qui publicus hostis iudicatus interiit, et Bassianum Antoninum, qui cognomento dicitur Caracalla. Hic ad imperium assumptus anno Domini ·cc·xii· imperavit annis ·vii· Is patre asperior et libidinosissimus etiam novercam suam duxit uxorem. Sub hoc quinta editio divinarum scripturarum Hiericunte in dolio inventa est, cuius auctor non apparet. Zephyrinus papa obiit, et sepultus est in coemeterio suo iuxta coemeterium Callisti via appia ·vii· kal. septembris.

XVII. CALLISTUS ·I·

Callistus primus natione romanus, ex patre Demetrio, de urbe Ravenna, coepit anno Domini ·cc·xviii· Sedit annis ·v·, mensibus ·ii·, diebus x·, in chronica quidem Hieronymi scribitur annis ·t·, in illa autem Damasi annis ·vi· Vacavit sedes diebus ·vi· Hic fecit basilicam beatae Mariae trans Tiberim, et constituit ieiunia quatuor temporum. Fecit et coemeterium in via appia, ubi quam plurima multitudo sacerdotum et martyrum est sepulta. Huius tempore pars Capitolii divino

incendio concremata est, et sinistra manus Iovis aurea fulmine liquefacta est. Antoninus Caracalla ab hostibus circumventus occiditur. Post quem Macrinus invadit imperium anno Domini ·cc·xix· Sed verso anno apud Archelaidem occisus est militari tumultu. Anno Domini ·cc·xx· Marcus Antoninus Aurelius, Antonini Caracallae ut putabatur filius, coepit, imperavitque annis ·iii·, secundum alios ·iiii· Hic adeo impudice in imperio suo vixit, ut nullum genus obscenitatis omiserit. Hic Romae tumultu militari orto, cum matre peremptus est. Anno Domini ·cc·xxiii·, secundum vero Vincentium ·iiii·, Alexander Mammacae filius, senatus ac militum voluntate imperator creatus, ·xiii· annis imperavit, sub quo sexta editio Nicopoli in Epiro reperta in dolio est. Callistus papa quinque diebus fame afflictus in puteum praecipitatus est. Sepelitur in coemeterio proprio pridie idus octobris.

XVIII. URBANUS ·I·

Urbanus primus natione romanus, ex patre Pontiano, de regione via lata, coepit anno Domini ·cc·xxiii· Sedit annis ·viii·, mensibus ·xi· vel ·x·, diebus ·xii· In chronica Hieronymi scribitur annis ·ix·, Damasus scribit annis ·iiii· Vacavit sedes diebus ·xxx· Hoc tempore coepit romana ecclesia praedia possidere; ante enim vivebat ecclesia, ad instar apostolorum pecuniam tantum recipiens pro egenis. Iste Papa de praediis clericis et notariis gesta martyrum conscribentibus providebat. Statuit etiam ut vasa sacra essent aurea, argentea, vel stamnea. Per hunc Valerianus sponsus sanctae Caeciliae ac Tiburtius eius frater, multique alii conversi sunt et ad martyrium perducti. Beata quoque Caecilia

passa est martyrium. Hic Urbanus genere nobilis, ab infantia christianus, virtute abstinentiae et castitatis ornatus, multotiens propter praedicationem ex urbe proscribitur, sed clam a fidelibus revocatur. Dum praedicationi et baptizationi insisteret, capitur, et post carceris squalorem decollatur, et cum dictis sanctis sub eodem altari sepelitur anno Domini ·cc·xxx·, cuius festum agitur ·VIII· kal. iunii.

Per idem tempus memorabilis Origenes claruit, cui post apostolos nullus similis ingenio et eloquio excelluit, et in omni virtutum studio. Beatus Hieronymus sex milia librorum eius se legisse fatetur, exceptis homiliis et epistolis. Coepit idem Origenes hoc tempore commentarios in scripturas sacras redigere seu conscribere, habuitque septem notarios sibi invicem succedentes qui scribebant ipso Origene indesinenter dictante. Habuit etiam totidem puellas optime eruditas in scribendo, quas in hoc ipsum vocari fecit. Erat enim ingentis studii, et quicquid arcanum in sacris litteris tegebatur, plene patefecit. Cuius fama Mammaea mater imperatoris excitata, eum ad se Antiochiam accersivit, et ab eo Christi fidem receptam inviolabiliter custodivit. De hoc in proverbio vulgatum est, quod hic esset qui qualem habebat vitam, talem habebat sermonem.

XVIIII. PONTIANUS.

PONTIANUS papa natione romanus, ex patre Calpburnio, coepit anno Domini ·cc·xxxi·, in quadam vero chronica dicitur ·cc·xxxIII· Sedit annis ·V·, mensibus ·II·, diebus ·II· In chronica tamen Damasi scribitur annis ·IX·, mensibus ·V·, diebus ·II· Apud Hieronymum dicitur

sedisse annis ·v· Vacavit sedes diebus ·x· Hic Pontianus baptizavit sanctum Pontium postea martyrem, qui Pontius, sicut ex gestis eius colligitur, mortuo Marco patre suo, cum esset annorum ·xviii·, designatus fuit in palatio imperatoris Romae nutu Dei ac providentia, quia per eum multi convertendi erant ad fidem christianam. Hic siquidem Pontius in Domino iam perfectus omnes facultates suas tradidit Fabiano papae pauperibus erogandas; tandemque imperatorem Philippum et filium eius, nominis eiusdem Philippum, ab idolorum cultura ad fidem Christi convertit. Temporibus autem Valeriani et Gallieni sanctus Pontius gloriosissimum martyrium consummavit, sub Claudio praeside apud civitatem Cemeliam, quae postmodum non longe ab inde ad ripam maris transposita, nunc Nicaea in Provincia appellatur.

Pontianus papa, iubente Alexandro imp., cum Hippolyto presbytero in Sardiniam deportatus est, ubi martyrio coronatus sepelitur ·iii· kal. novembris secundum chronicam Damasi; quem sanctus Fabianus navigio postea Romam adduxit, et in coemeterio Callisti via appia sepelivit, cuius memoria agitur ·xiii· kal. decembris. Porro Alexandro tumultu militari apud Moguntiam occiso, Maximinus, qui et Maximus, interfector eius auctoritate senatus ab exercitu electus est anno Domini ·ccxxxvi· (in chronica Vincentii ·ccxxxvii·) imperavitque annis ·iii· Hic propter Alexandri, cui successerat, et Mammaeae matris eius christianam familiam, vel propter Origenem, sextam post Neronem persecutionem exercuit. Sed non multo post a Pupieno tyranno Aquileiae interfectus, persecutionis et vitae finem fecit. Moxque Pupienus et Balbinus frater eius imperium usurpaverunt; sed statim in palatio perem-

pti sunt. Claruit iis diebus Iulius Africanus historiographus inter scriptores ecclesiasticos nominatissimus.

XX. CYRIACUS.

Cyriacus secundum Martinum successit Pontiano anno Domini ·cc·xxxv·, seditque anno uno, mensibus tribus. Hic quia contra voluntatem cleri cessit pontificatui, Antherum sibi substituendo, et cum ·xi· milibus virginum, quarum Romae multas baptizaverat, Coloniam Agrippinam tendendo recessit, non est positus in catalogo pontificum romanorum. Hic in eadem urbe cum praedictis virginibus martyrio coronatus fuit. Alibi tamen scribitur, quod praefatae virgines non hoc tempore passae fuerint, sed tempore Marciani imperatoris, sub Caelestino papa, quod magis videtur esse tenendum, prout in ipsarum actibus habetur. De isto Cyriaco in chronicis Damasi, Hieronymi, Prosperi, Isidori hispalensis, Sicardi episcopi cremonensis, et plurium aliorum, nulla fit mentio (1).

XXI. ANTHERUS.

Antherus natione graecus, ex patre Romulo, coepit anno Domini ·cc·xxxvii· Sedit annis tribus, mense uno, diebus ·xv·, secundum chronicam Martini. In quadam vero chronica dicitur anno uno. In chronica Damasi scribitur annis ·xii·, mense ·i·, diebus ·xii· Denique in chronicis Hieronymi et Prosperi scribitur mense uno. Vacavit sedes diebus ·vii· In martyrologio Usuardi dicitur quod Antherus papa cum ·xii· annis rexisset ec-

(1) Reapse Cyriacum papam, etsi a permultis infimi aevi scriptoribus receptum, recte excludit Launoius epist. lib. iv. 8.

clesiam, passus est sub Maximino. Hic pariter operam dedit ut gesta martyrum conscriberentur. Sepultus est in coemeterio Callisti via appia ·III· non. ianuarii.

XXII. FABIANUS.

FABIANUS natione romanus, ex patre Fabio, de regione Coelii montis, coepit anno Domini ·CC·XL· Sedit annis ·XIII·, mensibus ·XI·, diebus ·VIII· vel ·XI· In quadam chronica dicitur annis ·XIIII· Apud Hieronymum et Prosperum ·XIII· Hic columba de caelo super caput eius residente, papa electus est. Idem septem diaconis regiones divisit, qui septem notariis iungerentur, ut gesta martyrum conscriberent. Anno Domini ·CC·XL· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·CC·XXXIX·, Gordianus admodum iuvenis imperavit annis ·VI· Hic ingentibus procliis adversus Parthos prospere gestis, cum reverteretur ad patriam, fraude suorum interfectus est. Anno Domini ·CC·XLVI· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·CC·XLV·, Philippus imperator creatus est, et Philippum filium suum consortem imperii fecit, imperavitque annis ·VII· Hic primus omnium imperatorum a beato Pontio martyre christianus effectus fuit: ac tertio imperii sui anno millesimus a fundatione Urbis impletus est annus; ob quam sollemnitatem tribus diebus et noctibus pervigilante populo theatrales ludos celebrabant, et innumerabiles bestiae in circo magno interfectae sunt.

Ad hunc et ad matrem eius Origenes litteras misit. Porro Origenes tam vivacis et clari ingenii extitit, ut omnes scientias, grammaticam, dialecticam, geometriam, musicam, rhetoricam, astronomiam, arith-

meticam, et omnium philosophorum sectas ita didicerit, ut studiosos quarumcumque saecularium litterarum sectatores haberet, et multi ad eum confluerent, quos libenter recipiebat, ut sub occasione saecularis litteraturae eos in fide Christi institueret. Hic tantum studium scripturarum sacrarum habuit, ut etiam hebraeam linguam contra aetatis gentisque suae naturam addisceret. Idem omnes editiones sacrarum litterarum in unum congregavit, et invicem comparavit. Philippus senior Veronae, iunior Romae tumultu militari et Decii fraude occisi sunt. Anno Domini ·cc·LIII· secundum chronicam Vincentii, alibi dicitur ·cc·LII·, Decius coepit, imperavitque anno uno, mensibus tribus. Hic septimus christianorum persecutor post Neronem feralia dispersit edicta, plurimosque sanctorum martyrio consummavit; sub quo Fabianus papa passus est ·XIII· kal. februarii, et sepultus est in coemeterio Callisti.

XXIII. CORNELIUS.

Cornelius natione romanus, ex patre Iustino vel Crastino, in quadam vero chronica dicitur ex patre Constantino, coepit anno Domini cc·LII· Sedit annis ·III·, mensibus ·II·, diebus ·X· In chronicis Hieronymi et Prosperi scribitur annis ·II· Vacavit sedes diebus ·XXXV· In gestis sancti Cornelii scribitur: Cornelius ex patre Crastino genitus, arcem apostolatus gubernavit annis duobus, mensibus totidem, diebus tribus, Fabiano succedens. Hic rogatu matronae cuiusdam Lucinae, corpora apostolorum Petri et Pauli de catacumbis nocte levavit. Corpus quidem beati Pauli sancta Lucina posuit in praedio suo via ostiensi ad latus, ubi decollatus est; corpus vero beati Petri accepit Cornelius pa-

pa, et posuit iuxta locum ubi crucifixus est in monte Aureo in Vaticano palatii neroniani. Decio christianos persequente, septem dormientes quieverunt Ephesi (1). Alexander Hierosolymis, Babylas Antiochiae, et Dionysius Alexandriae, episcopi cum multis passi sunt. Quot vero in desertis et montibus latitantes fame siti frigore languore latronibus bestiisque consumpti sint, evolvere non possumus. His diebus Novatianus romanae ecclesiae presbyter ambiens episcopatum, auctore Novato Cypriani presbytero, haeresim condidit Novatianorum, qui se catharos id est mundos vocitabant, lapsis spem veniae denegantes. Ob quam rem in urbe romana congregatur concilium episcoporum ·LXX·, presbyterorum quoque totidem, et diaconorum plurimorum, in quo statuitur ut lapsis in certamine, misericorditer venia promitteretur, et reconciliatio post dignam paenitentiam concederetur.

Antonius monachus nascitur in Aegypto. Romae Cornelio praesidente, Carthagini vero sancto Cypriano, ambobus fide virtuteque praecipuis, orta est quaestio in Africae partibus, utrum oporteret haereticos rebaptizari; sed tandem definitum est sola eos manus impositione posse purgari. Cornelius papa primo pulsus Centumcellas, demum sub Decio plumbatis caesus, ut habetur in chronica Damasi, martyr effectus est, et decollatur anno Domini ·CC·LIIII·, sicut de anno in quadam chronica invenitur, sepeliturque in via appia in praedio Lucinae ·XVIII· kal. octobris. Eodem die beatus Cyprianus episcopus apud Carthaginem passus est, quo Romae Cornelius, sed non eodem anno. Decius

(1) De his legendus Victorius in descriptione veteris monumenti hanc rem exhibentis, quod servatur in museo sacro bibliothecae vaticanae.

imperator cum filio suo, quem iam Caesarem delegerat, in medio barbarorum situs perimitur. Anno Domini ·cc·LIII· secundum chronicam Vincentii, Gallus cum Volusiano filio suo imperat annis duobus et mensibus quatuor.

XXIIII. LUCIUS ·I·

Lucius primus natione tuscus, de civitate Luca, ex patre Lucino, secundum Damasum; secundum Martinum natione romanus, ex patre Porphyrio, coepit anno Domini ·cc·LV· Sedit annis ·III·, mensibus ·III·, diebus ·III· In chronicis Hieronymi et Prosperi scribitur, quod sederit mensibus ·VIII· Hic statuit ut duo presbyteri et tres diaconi episcopum non deserant propter testimonium ecclesiasticum, et propter titulum erroris. Gallus et Volusianus filius eius imperatores dum contra Aemilianum novis rebus studentem bellum moliuntur civile, occisi sunt. Aemilianus tamen tertio mense invasae tyrannidis extinctus est. Hoc tempore Origenes septuagesimo aetatis suae anno moritur. In huius viri opusculis plurima reperiuntur catholicae fidei obviantia et reprehensione digna. De quo Hieronymus sic dixisse fertur: Origenes ubi bene locutus est, nemo melius; ubi male, nemo peius. Quidam vero dicunt haec in eius libris odiose ab aemulis fuisse inserta. Hieronymus enim in epistola ad Pammachium quae incipit: schedulae quas misistis etc. dicit, eum egisse paenitentiam, et ad Fabianum papam scripsisse epistolam in qua quod talia scripserat paenitentiam egit.

Anno Domini ·cc·LVI· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·cc·LV·, Valerianus in Rhaetia ab exercitu, Gallienus filius eius a se-

natu, imperatores creati imperaut annis ·xv· Porro primum Valerianus ita sanctos venerabatur, ut domus eius Dei ecclesia esse videretur; sed depravatus per quendam, fidem christianorum detestari coepit, et octavus a Nerone christianos compelli per tormenta ad idololatriam iussit. Multus ubique funditur sanguis, et innumera sanctorum caterva martyrii gloria decoratur. Qua persecutione Cyprianus afer, primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum carthaginiensis episcopus, doctrina praecipuus et omni virtute admirandus, martyrio coronatur. Lucius papa primum in exilio fuit; demum ad ecclesiam suam reversus, capite truncatur ·iiii· nonas martii. Hic sicut habetur in chronica Damasi, potestatem dedit omnis ecclesiae Stephano archidiacono suo dum ad passionem pergeret. Sepultus est in coemeterio Callisti.

XXV. STEPHANUS ·I·

Stephanus primus natione romanus, ex patre Iuliano, coepit anno Domini ·cc·lviii· Sedit annis ·iiii·, mensibus ·ii·, diebus ·xv· In chronica vero Hieronymi scribitur annis ·ii·, in chronica Prosperi annis ·iii·, in speculo Vincentii lib. xi. cap. lx. et in chronica Damasi scribitur quod sederit annis ·vii· Vacavit sedes diebus ·xxi· Hic constituit sacerdotes et levitas veste sacrata in cotidiano usu non uti. Sane Valerianus imperator non fuit tantorum malorum diutius impunitate gavisus. Nam dum adversus Saporem regem Persarum congreditur, statim ab ipso capitur, ibique in servitute miserabili consenescit, infame scilicet officium gerens, ut ipse acclinis semper ascensurum regem in equum non manu sed dorso attolleret. Stephanus papa cum multos gen-

tilium convertisset, et multa corpora martyrum sepelisset, comprehensus, et post templi idolorum ruinam quam impetraverat evadens, missam demum celebrans in sua sede decollatur cum ·XII· presbyteris, ·VII· diaconis, et ·XVI· clericis, sicut colligitur ex chronica Archiepiscopi cusentini. Sepultus est in coemeterio Callisti ·IIII· nonas augusti, anno Domini ·CCLX·

XXVI. SIXTUS ·II·

Sixtus secundus natione graecus atheniensis, ex patre philosopho (1), coepit anno Domini ·CC·LXI· Sedit annis ·II·, mensibus ·XI·, diebus ·VI· In chronica vero Hieronymi scribitur annis ·VIII·, in chronica Prosperi annis ·VII· Vacavit sedes secundum chronicam Damasi diebus ·XXXV·, in quadam vero chronica dicitur diebus ·XXII· Hic constituit ut missa celebretur super altare, quod antea non fiebat. Hic beatum Peregrinum civem romanum ordinavit episcopum, Marsum vero presbyterum, et Concordium diaconum, Iovinianum denique virum per omnia eloquentem lectorem esse constituit, et ad Gallias gratia praedicandi direxit. Qui navali tramite Massiliam petentes, Lugdunum versus perducti celare se nullatenus potuerunt. Exinde ad Antricum quod nunc Antisiodorum vocatur venientes, ubi tunc ingens ob culturam Deorum convenerat multitudo, coeperunt voce publica Christi gloriam praedicare; et quicquid ipsius loci primorum fuit, ad christianitatis gloriam convolavit. Moxque sanctus Peregrinus parvo ambitu ecclesiam constituit, Christique nomini consecravit. Porro quid sanctus Peregrinus egerit, vel quos agones pro Christo pertulerit, historia passionis eius

(1) Cod. *Sophor.*

evidenter declarat. Complevit autem martyrium suum abscisione capitis kalendis iulii. Verius autem tenendum est, quod sanctus Peregrinus cum sociis suis missus fuerit non per istum Sixtum papam secundum, sed per primum, sicut superius notatum est.

Interea dum Sixtus Romae praesidet, impetus persecutionis effervet; unde ipse cum Felicissimo et Agapito Decio praesentatur, capiteque truncatur ·VIII· idus augusti. Quos beati Laurentius et Hippolytus cum multis aliis per martyrium sunt secuti. Ubi notandum est quod uti aiunt Vincentius in chronica sua et Gothifredus viterbiensis in libro qui dicitur pantheon, Gallienus imperator binomius fuit; dictus est enim Gallienus et Decius (1); et sub isto Gallieno, qui et Decius appellatur in gestis martyrum, passi sunt Sixtus et Laurentius. Martinus vero in chronica sua dicit, quod a Valeriano et Gallieno imperatoribus quidam Decius nomine in caesarem est creatus, sed non fuit imperator, et dictus est Decius iunior; et ab isto Decio caesare, sed non imperatore, sancti Sixtus, Hippolytus, et Laurentius martyrizati sunt; quod credimus verum esse, sicut in gestis ipsorum plenius et notatum.

(1) Non est instituti nostri de imperatorum rom. nominibus, genealogiis, successionibus, aut agnationibus disputare, praesertim quia sub Gallieno tot fuere tyranni. Ceteroqui Valerianum certe quendam iuniorem, Valeriani augusti filium, Gallieni fratrem, vel caesarem vel augustum fuisse dicit Trebellius Pollio, quem tamen copiose refutat Eekhelius doctr. num vet. T. VII. p. 427. sqq. Videndus etiam Tillemontius hist. des emp. T. III. ed. Paris. p. 512.

XXVII. DIONYSIUS.

Dionysius ex monacho, cuius genus non invenitur, coepit anno Domini ·cc·lxiii· Sedit annis ·ii·, mensibus ·iii· In chronica vero Damasi scribitur annis ·vi·, mensibus ·ii·, diebus ·iiii· In chronica demum Hieronymi scribitur annis ·xi· Vacavit sedes diebus ·viii· Hic in urbe divisit parochias, et presbyteros constituit in titulis, dans singulos singulis, propter paenitentes suscipiendos et baptismum. Hic martyrio coronatus, in coemeterio Callisti cum aliis pontificibus est sepultus. In martyrologio autem Usuardi scribitur: vii. kal. ianuarii Romae via appia depositio sancti Dionysii papae, qui fidei documentis sub Claudio imperatore clarus effulsit.

XXVIII. FELIX ·I·

Felix primus natione romanus, de regione Caput Tauri, ex patre Constantio, coepit anno Domini ·cc·lxvi· Sedit annis ·ii·, mensibus ·x·, diebus ·xxv· In chronicis vero Hieronymi et Prosperi scribitur quod sederit annis ·v· Vacavit sedes diebus ·iii· In martyrologio quoque Usuardi scribitur quod Felix papa rexerit ecclesiam annis ·v· Hic constituit super memorias martyrum missas celebrari. Hic fecit basilicam in via aurelia miliario ab urbe, ubi sepultus est ·iii· kal. iunii, sub Claudio principe martyrio coronatus.

XXVIIII. MARCUS ·I·

Marcus confessor scribitur hoc loco in chronica Sicardi episcopi cremonensis, in qua dicitur quod suc-

cesserit Felici papae (1), et de tot pontificum numero evaserit martyrium; quod ipsum scribitur in chronica Archiepiscopi cusentini (2), additurque quod sederit annis ·VIII· Requiescit in ecclesia in qua prius fuerat presbyter ordinatus, quae sancti Marci dicitur, et appellatur pinus (3). Hic Marcus in loco isto non ponitur in chronicis Damasi, nec Hieronymi, nec Prosperi, nec Isidori, nec Vincentii, nec Martini (4).

XXX. EUTYCHIANUS.

Eutychianus natione tuscus, de civitate Luna, ex patre Marino, coepit anno Domini ·CC·LXX· secundum chronicam Martini, in quadam vero chronica dicitur ·CC·LXVIII· Sedit annis ·VIII·, mensibus ·X· diebus ·III· In chronicis vero Hieronymi et Prosperi scribitur quod sederit mensibus ·VIII· Vacavit sedes diebus ·XIII· Hic constituit ut fruges super altare et fabae primae benedicerentur. Hic sanctissimus Papa per diversa loca ·CCC·XLII· martyres manu propria sepelivit. Hic consti-

(1) Ergo vel noster errat, vel mutilus falsatusve est apud Muratorium R. I. S. tomo VII. p. 551. Sicardus, qui diserte ibi ait Felici successisse Eutychianum, nulla huius Marci interposita mentione.

(2) Archiepiscopi cusentini verba proferre nequeo, quia chronicon eius ineditum est. Fides ergo omnis apud nostrum auctorem esto. Quin immo tam adhuc nos latet hic Archiepiscopus, ut ne nomen quidem eius sciamus. Quetif B. PP. T. I. p. 362.

(3) Num *ad palatinas*? Vide Hugonium in sacris stationibus fol. 156.

(4) Nihil de hoc Marco vel ipsi Bollandiani dicunt in conatu ad catal. rom. PP. in maii propylaeo, eiusque appendice T. VII. maii, quamquam ipsi utroque in loco Cyriacum, de quo supra, ex rom. Pontificum catalogo expungunt. Res est alibi vel a me vel ab aliis diligentius ventilanda.

tuit ut quicumque ex fidelibus martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret. Gallienus cum rem publicam deseruisset, ac Mediolani libidinibus inserviret, occisus est. Anno Domini ·cc·lxxi· secundum chronicam Vincentii et Martini, in chronica vero Sicardi dicitur ·cc·lxxiii·, Claudius secundus voluntate senatus imperator creatur, imperavitque anno uno, mensibus ·viii·, et apud Sirmium morbo correptus interiit. Claudio mortuo, Quintillus frater eius ab exercitu imperator creatus, ·xiii· die imperii sui interfectus est apud Aquileiam.

Anno Domini ·cc·lxxii· secundum chronicas Vincentii et Martini, in quadam vero chronica dicitur ·cc·lxxiii·, Aurelianus imperavit annis ·v·, mensibus ·vi· Hic in Gallias transgressus, nonus post Neronem crudelia in christianos edicta proponit. Veniens itaque ad urbem Senonensem, quoscumque christianos ibidem reperit, et sanctam Columbam gladio animadverti praecepit. Missis quoque satellitibus sanctos iussit inquiri, et inventos puniri. Porro funesti satellites dum huc illucque discurrerent, sanctum Priscum cum ingenti multitudine apud pagum Antisiodorensem, in loco qui Conciatus dicitur, repererunt, eosque cum invicti in fide persisterent, trucidarunt. Sanctum quoque Benignum presbyterum, qui Divione quiescit, et plures alios idem Aurelianus variis affecit suppliciis. Galliae urbem antea Genabum dictam, Aurelianos nuncupari fecit; castrum vero Divionense construxit. Iste primus apud romanos capiti imposuit diadema, gemmisque et aurata omni veste, quae adhuc romanis moribus fere incognita videbatur, usus est. Eutychianus papa martyrio coronatus sepultus est via appia in coemeterio Callisti ·viii· kal. augusti.

Gaius natione de Dalmatia, ex genere Diocletiani, ex patre Gaio vel Gallo, coepit anno Domini ·cc·lxxviii·, seditque annis ·xi·, mensibus ·iiii·, diebus ·xii·, in chronica vero Hieronymi et Prosperi scribitur quod sederit annis ·xv· Vacavit sedes diebus ·xi· Hic constituit ut ad omnes ordines in ecclesia sic ascenderetur, ut si quis dignus fuisset, primo ostiarius, deinde lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter, et demum episcopus ordinaretur. Hic pariter Romae regiones divisit diaconis, ut gesta martyrum perquirerent et conscriberent, ac alia negotia pertractarent. Aurelianus imperator cum plurimum sanctorum sanguinem effudisset, fulmen ante ipsum cum magno pavore circumstantium ivit, ac non multo post in itinere occisus est. Anno Domini ·cc·lxxviii· iuxta chronicam Vincentii, vel ·cc·lxxix· secundum aliam chronicam, Tacitus imperavit mensibus ·vi· Quo apud Pontum occiso, Florianus obtinuit imperium diebus ·lxxxix· Ipso quoque apud Tarsum perempto, regnavit Probus. Praefatis ergo duobus imperatoribus adnotatur in chronicis annus unus. Anno Domini ·cc·lxxix· secundum chronicam Vincentii et Martini, in quadam vero chronica dicitur ·cc·lxxx·, in alia vero ·cc·lxxxi·, Probus imperavit annis ·vi·, mensibus ·iii·

Hoc tempore Manes haereticus, a quo Manichaei dicuntur, malo sidere erupit. Hic genere perses, vita et moribus barbarus, tam acri ingenio fuit, ut insanire plenus daemonio videretur. In Christi forma nunc se conabatur ostendere, nunc se esse Paraclitum asserebat. Duodecim discipulos elegit, quos ad praedicandum misit, dogmata stulta et impia a diversis hae-

reticis qui iam extincti fuerant mutuata disseminans, et nostro orbi persica venena propinans. Hic inter alia quae perversissime adinvenit, duo principia esse asseruit, unum boni et alterum mali, unum lucis et alterum tenebrarum; cum tamen nihil sint tenebrae nisi absentia lucis, nec aliud sit malum quam non bonum. Probus apud Sirmium militari tumultu peremptus est. Anno Domini ·cc·lxxxv· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·cc·lxxxvii·, Carus narbonensis imperat annis duobus. Hic cum filios suos Carinum et Numerianum imperii consortes fecisset, bello parthico postquam duas nobilissimas urbes, et Ctesiphontem ceperat, transgressus Tigrim fluvium, in castris fulminis ictu interiit. Numerianus autem, qui cum patre fuerat, cum ob dolorem oculorum veheretur lectica, insidiis Apri soceri sui occisus est.

Anno Domini ·cc·lxxxvii· secundum chronicam Vincentii, secundum chronicam autem Martini et quandam aliam ·cc·lxxxix·, Diocletianus genere dalmaticus, scribae filius, ab exercitu imperator creatus imperavit annis ·xx· Hic mox ut copiam habuit potestatis, Aprum interfectorem Numeriani interfecit manu propria. Carinum denique, quem Carus pater eius in Dalmatia caesarem reliquerat, flagitiose degentem difficillimo bello devictum extinxit. Deinde cum in Gallia Amandus et Aelianus seu Aliaudus collecta rusticorum manu, quos Bagaldas vel Bagavas vocabant, perniciosos tumultus excitasset, Maximianum cognomento herculeum caesarem fecit, misitque in Gallias, qui facile agrestium hominum imperitam et confusam manum militari virtute compescuit. Sed etiam in ipso itinere thebaea legio, cui beatus Mauricius praeerat, dum sacrificare rennit, sub praefecto Maximiano Seduni, Galliae loco

Aganno, pro Christo tam fortiter quam libenter occubuit. Diocletianus Maximianum herculeum ex caesare fecit augustum, Constantium etiam et Galerium caesares fecit.

Interea Diocletianus in oriente, Maximianus in occidente vastare ecclesias, affligere interficereque christianos decimo post Neronem loco coeperunt; quae persecutio omnibus fere actis antea diuturnior immaniorque fuit. Nam per decem annos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, caedibus martyrum incessanter acta est. Nefariis itaque edictis ubique propositis iubentur divinae scripturae comburi, ecclesiae ad solum dirui, et ecclesiarum principes trucidari. In diebus paschae subversae sunt ecclesiae; non sexus, non conditio, non aetas excipitur; sed si quis sacrificare renuit, exquisitis suppliciis necabatur. Sub hac persecutione Diocletiani Gaius papa in cryptis latitans martyrio coronatur. Sepultus est via appia in coemeterio Callisti ·x· kal. maii.

XXXII. MARCELLINUS.

Marcellinus natione romanus, de regione Caput Tauri, ex patre Proiecto, coepit anno Domini ·CC·LXXXIX· Sedit annis ·VII·, mensibus ·II·, diebus ·XXV· secundum chronicam Damasi et Martini; in martyrologio vero Usuardi, et in chronica Prosperi scribitur quod sederit annis ·IX·, mensibus ·IIII· Vacavit sedes annis ·VII·, mensibus ·VI·, diebus ·XXV· Hic a Diocletiano compulsus incensum posuit, idolis immolans (1). Sed postea

(1) Controversiam de Marcellini papae lapsu cuncti propemodum ecclesiasticae historiae scriptores versaverunt. Patronus maximus, et unus instar omnium divus Augustinus est de unico ba-

paenituit, et ultro se offerens Diocletiano, cum Claudio, Cyriuo, et Antonio capite truucatur, et vivens prohibuit ne corpus suum sepeliretur. Sed Marcellus presbyter nocte cum presbyteris et diaconis et Lucina cum hymnis sepelivit illud in coemeterio Priscillae, via salaria, ·VII· kal. maii. Tempore siquidem Marcellini papae tanta vis persecutionis efferbuit, ut intra ·XXX· dies decem et septem milia hominum promiscui sexus per diversas provincias martyrio coronarentur. Persecutione itaque Diocletiani immaniter saeviente, in Urbe passi sunt Anastasia virgo, Sebastiauus, Agnes, Lucia, item Agatha virgo, Gorgonius, Quintinus, et Chrysogonus. His quoque diebus apud Aegeam urbem passi suut Cosmas et Damianus inclyti martyres, una die partu editi, carne spirituque gemelli, et uno die martyrio decorati.

Apud Phrygiam urbs quaedam christianorum, cum omnes simul fidem Christi inconcusse tenerent, inssa est a militibus circumdari, ne quisquam posset evadere, et iniecto igne cum omni populo pariter concremari. In Britannia quoque fere deleta est christianitas, quae a tempore Eleutherii papae et Lucii regis eiusdem insulae illic floruerat. Tempore quoque Diocletiani sub Daciano praeside Hispaniae, dominicae incarnationis anno ·CCC·V· paulo plus minusve, passi sunt sanctus Valerius caesaraugustanus episcupus, et Vin-

ptismo cap. XVI. 27: *quid opus est, ut episcoporum romanae ecclesiae, quos incredibilibus calumniis insectatus est, obiecta ab eo (Petiliano) crimina diluamus? Marcellinus et presbyteri eius traditionis codicum divinorum et thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur? aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit, ego* INNOCENTES *fuisse respondeo.*

centius eius archidiaconus, ac Georgius miles, Felix gerundensis, Caprasius agennensis; virgines etiam sanctae scilicet Fides Agenni, Eulalia in Hispania. Corpus vero beati Vincentii post multa annorum curricula, et post impetum Sarracenorum transvectum est ad locum qui Castrum dicitur in dioecesi Albiensi, anno Domini ·D·CCC·LV, sicut antiqua historia translationis refert, ubi iacet in ecclesia sollemni ipsi a fidelibus fabricata. Alii dicunt quod in ecclesia ulixipponensi quiescit.

XXXIII. MARCELLUS.

MARCELLUS natione romanus, ex patre Benedicto, de regione via lata, coepit anno Domini ·CCC·III·, post Marcellinum et post episcopatus vacationem septennem cum dimidio. Sedit annis ·V·, diebus ·XXII·, in chronica vero Hieronymi scribitur annis ·III·, in alia quadam annis ·VI· Vacavit sedes diebus ·XXV· Hic constituit ·XV· (1) Cardinales in urbe romana propter baptismum et sepulturas hominum. Huic praeceptum fuit a Maximiano imperatore, ut quia Diis sacrificare nollet, iumenta et animalia custodiret. Nocte vero clerici eius eduxerunt eum de stabulo. Sed cum consecrasset domum Lucinae in via lata, Maximianus turbatus de ecclesia stabulum faciens, ipsum sub custodia publica ut custodiret animalia intus reclusit; ibique defunctus, in coemeterio Priscillae via salaria sepelitur, cuius festum recolitur ·XVII· kal. februarii.

Diocletianus denique ab invito Maximiano exegit, ut simul purpuram vivi imperiumque deponerent; ac iunioribus in re publica constitutis, ipsi in privato otio

(1) Alius cod. *XII*. Liber pontif. *XXV*. *titulos*. Confer nostrum in Dionysio.

consenescerent. Itaque sub una die Diocletianus apud Nicomediam, et Maximianus apud Mediolanum, potestatem imperii simulque cultum deponunt. Post quos Galerius Maximianus, et Constantius in duas procurationes orientis scilicet et occidentis primi romanorum imperium diviserunt. Galerius habuit Illyricum, Asiam, et orientem; Constantius Africam, Hispaniam, et Gallias obtinuit. Verumtamen Constantius vir tranquillissimus Gallia tantum Hispaniaque contentus, Galerio ceteras partes concessit. Porro Galerius post se duos caesares elegit, Maximinum quem in oriente constituit, et Severum cui Italiam permisit, ipse Illyrico contentus. Hic persecutionem a Maximiano susceptam atrocioribus cumulavit edictis, et cum nimium deditus esset superstitioni, iussit per orientem vetusta delubra reparari; tantaque impietate coepit persequi christianos, ut omnes qui eum praecesserant persecutores nominis christiani, magnitudine scelerum anteiret.

Sub huius persecutionis impetu passus est apud Alexandriam Petrus eiusdem urbis episcopus, vir inclytus et maximis virtutibus adornatus. Passus est etiam Pamphilus presbyter caesariensis, inter praecipuos tam moribus quam doctrina, qui tantam in bibliotheca sua librorum copiam adunaverat, ut cunctos qui eum in hoc labore praecesserant superaverit; siquidem in bibliotheca sua prope ·xxx· milia librorum dicitur habuisse. Huius vitam scripsit Eusebius caesariensis episcopus, qui et Eusebius Pamphili dictus est; qui etiam eiusdem Pamphili in omni studio et virtute et sacrae bibliothecae diligentissima pervestigatione ita aemulator extitit, ut alter Pamphilus crederetur. Haec quidem in oriente Galerius. Verum Constantius in occidente multa clementia apud homines, erga Deum vero magna

religione utebatur. Qui tandem Eboraci in Britannia obiit, et Constantinum suum ex concubina Helena procreatum imperatorem Galliarum reliquit. Anno Domini ·ccc·ix· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·ccc·x· Constantinus, qui postea dictus est magnus, in Britannia gubernacula imperii a Constantio patre suo suscepit, quae annis ·xxx· et mensibus ·vi· felicissime tenuit. Qui statim ut creatus est imperator, quadam gratia civibus carus, exercitui acceptus, viris fortibus imitandus, facinorosis vero et ignavis terribilis fuit.

XXXIIII. EUSEBIUS.

Eusebius natione graecus ex medico, coepit anno Domini ·ccc·x·, in quadam vero chronica dicitur ·ccc·xi· Sedit annis ·ii·, mensibus ·ii·, diebus ·xxv· In chronica vero Damasi scribitur quod sederit annis ·vi·, mense ·i·, diebus ·iii· In chronicis demum Hieronymi et Prosperi scribitur quod sederit annis ·vii· Vacavit sedes diebus ·vii· Huius tempore inventa est sancta crux Hierosolymis, sicut innuitur in decreto *de consecr.* dist. iii. *crucis.* In quibusdam vero chronicis dicitur quod inventa fuerit tempore Silvestri papae, sicut infra continetur. Hic sanctus Eusebius papa dum in sabbato sancto paschae sanctum celebraret baptismum, puer Eusebius cum matre sua nomine Restituta ac sorore unica virgine a sancto Eusebio pontifice baptizatus est, a quo vocatus est Eusebius, eius filius in baptismate, consors in nomine, ac socius in sanctitate. Hic est Eusebius vercellensis antistes et martyr. Erat autem tunc tanta immanitas perfidorum imperatorum in christianos, ut baptizato Eusebio in vigilia paschae, dum bea-

tus Eusebius pontifex ipsa die paschae cum christianis sacra perageret missarum sollemnia, ab impiis pius sacerdos et victima interemptus fuerit, et cum ipso etiam alii christiani accepto pro viatico ab eodem corpore Christi transiverint de morte ad vitam.

XXXV. MELCHIADES.

Melchiades natione afer coepit anno Domini ·ccc·xii· iuxta chronicam Martini; in quadam vero chronica scribitur ·ccc·xiii· Sedit annis ·iii·, mensibus ·vi·, diebus ·viii· In chronica demum Hieronymi et Prosperi scribitur annis ·iiii· Vacavit sedes diebus ·xvi· Hic constituit ut nulla ratione ageretur ieiunium die dominico vel die Iovis, quia eos dies pagani quasi sacrum ieiunium celebrabant. Hic post exilium fuit martyrio coronatus, sepultusque est in coemeterio Callisti ·iiii· idus decembris. Nam quotquot pontifices in romana sede ipsum praecesserunt, martyres extiterunt, Marco dumtaxat excepto iuxta chronicas aliquorum, sicut supra in loco suo notatum est de eodem.

XXXVI. SILVESTER ·I·

Silvester primus natione romanus, ex patre Rufino, coepit anno Domini ·ccc·xv·, in quadam vero chronica invenitur ·ccc·xvi· Sedit annis ·xxiii·, mensibus ·x·, diebus ·xi·, in chronica autem Hieronymi scribitur annis ·xxii·, in chronica demum Prosperi annis ·xxiii· Vacavit sedes diebus ·xv· Tempore huius pontificis maxime deleta est gentilitas, et christianitas dilatata. Imperante igitur in Galliis Constantino, et imperii consorte Licinio, Romae Maxentius Maximiani Herculei filius a

praetorianis militibus imperator creatur; adversus quem Galerius augustus Severum caesarem cum exercitu mittit. Sed Severus dum Romam obsidet, a suis deseritur, fugiensque Ravennae occiditur. Porro Maximianus Maxentium filium suum deponere nisus est imperio; sed repulsus, ad generum suum Constantinum se contulit, ut ipsum quoque dolis imperio deturbaret. Verum per filiam detectus, Massiliae fugiens occiditur. Interea Galerius cum multis christianorum caedibus provincias exhausisset, alios proscribens, alios inauditis tormentis afficiens, morbo scilicet horrendo correptus, ita ut ei pectus introrsus putresceret; cum medicos iam eius foetorem non ferentes iuberet occidi, quia nihil conferrent remedii, a quodam medico responsum est ei, non hunc humanum esse morbum, sed divinam vindictam ob sua scelera inrogatam. Quibus omnibus imperator commotus, edictis late missis imperat proscriptis sua restitui, et a christianorum persecutione cessari. Ipse autem cruciatus non sustinens, miserabiliter interiit.

Interim Maxentius in urbe Roma plus se tyrannum exhibens quam augustum, in tanto impuritatis coeno versabatur, ut per vitia cuncta difflueret, nullumque genus flagitii praeteriret. Deinde inter Constantinum et Maxentium bellum exoritur. Cum itaque Constantinus de bello imminenti sollicitus secum pervolveret, vidit per soporem in caelo crucis signum rutilans, angelosque dicentes: Constantine, in hoc vinces. Evigilans vero spem de victoria concipit; et signum, quod viderat, tam in fronte sua quam in militaribus vexillis depinxit. His itaque religiosis armis instructus, adversus hostem progreditur. Et ecce Maxentius agitur in occursum, et cum exercitu portis Romae proruens

praeoccurrit armatus. Cumque utrinque acriter pugnaretur, et non tam armis quam virtute crucis victoria cederet Constantino, Maxentius ad urbem refugit, et pontem quem super fluvium navigiis dolose strui iusserat incautus ascendit; cumque festinaret, lapsu equi in praeceps agitur ac demergitur in profundum; quo demerso, bellum dirimitur. Sed alia chronica dicit Maxentium fugatum Alexandriam se recepisse, ubi beatam Catharinam diversis suppliciis tandem plexione capitis interfecit.

Constantinus ergo triumphat; cumque triumphanti sibi ad honorem imagines a senatu erigerentur, vexillum crucis dominicae in dextera sua iubet depingi, et subtus scribi: hoc signum invincibile Dei vivi (1). Sic itaque his et omnibus aliis ministris nefariae persecutionis et tyrannis extinctis, ad Constantinum orbis monarchia devenit. Quem postea valida caloris lepra perfusum, a beato Silvestro baptizatum, eiusdem pontificis actus plenius declarant, qui statim a lepra mundatus est. Hic christianae fidei dedit augmenta, gratias Deo referens, quod cum Deus habere ministrum consilii sui dignatus sit, quatinus per ipsum a britannico mari usque ad orientem christiana religio augeretur. Denique incredibile est memoratu quam brevi eius studio sancta creverit ecclesia. Publico siquidem edicto statuit paganorum templa claudi, sacrificia prohiberi, per diversa loca ecclesias Christi constitui, earumque in construendo expensas ex imperiali fisco largissime ministrari. Ex terra sibi subdita in unaquaque civitate detrahens publice certum vectigal ecclesiis provincia-

(1) De hac inscriptione, quam multo prolixiorem recitat Eusebius, vide quae nos adnotavimus ad inscript. christ. Script. vet. T V. p. 1.

libus cleroque distribuit, et in perpetuum hoc manere sancivit (1). Sed et per totum romanum imperium privilegia singulis civitatibus dedit, ut omnis populus christianus sub episcoporum ordinatione libere Deo deserviret; Christum ab omnibus adorari praecepit, signo crucis signari munirique milites fecit, suppliciumque crucis quod prius apud romanos erat in usu lege prohibuit.

Alexandriae post Achillam Alexander sanctitate praeclarus ordinatur episcopus. Huius presbyter Arrius fuit, qui a veritate catholicae fidei aberrans, execrabile plurimis dogma constituit, impie blasphemans in Dei filium dominum Iesum Christum, dicens ipsum esse creaturam et non creatorem, non consubstantialem nec coaequalem Deo patri. Qui Arrius primum Alexandriae inter confusos vulgo sectatores insectatoresque versans, ab eodem mox Alexandro de ecclesia pulsus est. Cumque homines, quos in errorem pellexerat, in seditionem etiam excitaret, apud Nicaeam urbem Bithyniae conventus ·ccc·xviii· patrum episcoporum, iussu ipsius Constantini factus est; per quos Arrii dogma execrabile et miserum esse evidentissime deprehensum, et homousii oppositione deiectum est, fidemque orthodoxam confirmaverunt, consubstantialem patri filium praedicantes, creatoremque universitatis et non creaturam, sed Deum verum et dominum confitentes, quemadmodum in symbolo fidei catholicae, quod ibidem secundum, post primum apostolorum symbolum, factum fuit, continetur. Arrius vero impius et damnatus fuit, tamquam veritatis inimicus, et omnes cum eo idem sapientes, sicut Eusebius Nicomediae

(1) De hac Constantini ergà ecclesiam munificentia late scribitur in libro pontificali.

episcopus, et postea Eunomius, et Macedonius, qui quamvis in dictionibus suis differrent, tamen ut arriani a veritate exciderunt. Multaque ibidem fuerunt salubriter instituta. Huic concilio beatus Nicolaus Myrrhaeorum episcopus interfuisse asseritur. Fuit autem haec sancta et universalis synodus prima celebrata, anno imperii Constantini vigesimo, in plerisque tamen libris scribitur decimo, sub beatissimo papa Silvestro, qui Osio episcopo cordubensi ab Hispania, et Victori ab Italia vices commisit apostolicas in eadem. Hic Silvester papa post conversionem praefati Constantini, magnos conflictus a Iudaeis (1) procurante matre Con-

(1) S. Silvestri papae ·I· disputatio quaedam cum Iudaeis recitatur in actis latinis apud Surium die 31. decembris. Mihi vero in italicis bibliothecis codices comperti sunt, qui etiam graece disputationem illam continent. Iamdudum autem in septimo Scriptorum veterum tomo p. 134. dixi Leontium byzantinum de sect. act. III. 4. collocavisse Silvestrum papam inter ecclesiae patres atque doctores, propter praedictam ut puto cum Iudaeis altercationem: nam reapse Leontius in opusculo a me edito tom. praed. fragmentum profert ἐκ τῶν πρὸς ἰουδαίους. Rursus in tomo VIII. part. 2. p. 26. S. Silvestri aliud fragmentum extuli ἐκ τῆς πρὸς ἰουδαίους ἀντιλογίας (sic enim inscribitur in codice) de catena ms. sumptum. Denique etiam in codice quodam arabico vaticano, ubi sunt plurimae theologicae patrum auctoritates, Silvestri rursus particula legitur, quae cum secundo fragmento a me graece edito partim congruit. Sic enim ad verbum apud arabicum auctorem legitur: *Siquis in meridie arborem sole splendente caedere vellet, nonne tunc securis arborem feriret sole undique circumvestitam? Sane, inquit Noë. Tum Silvester addidit: num fieri potest, ut sol feriatur aut caedatur, qui ceteroqui securim et arborem prorsus circumambit? Sic igitur in Christo corpus quidem est arbor, securis passio, sol est divinitas.* Iam ergo cognoscimus tria vaticana fragmenta, duo nimirum graeca, tertium arabicum, ad unum idemque Silvestri scriptum, seu dialogum cum Noë iudaeo, pertinere; idque ipsum partim certe la-

stantini iudaizante perpessus est; in quo conflictu post multorum verborum altercationem, Helena cum omnibus iudaeis ad Christum conversa fuit.

HUC USQUE CHRONICAM SUAM PERDUXIT EUSEBIUS PAMPHILI MARTYRIS CONTUBERNALIS; ABHINC AUTEM BEATUS HIERONYMUS SUI TEMPORIS DIGESSIT HISTORIAM.

Per idem tempus Helena Constantini mater, femina incomparabilis fidei, divinitus admonita Hierosolymam abiit, et loco sibi caelitus ostenso crucem Domini et clavos reperit; et omnibus rite dispositis, partem pretiosi ligni desiderabile munus filio detulit, partemque thecis argenteis conditam dereliquit templo ibidem mirifico regia ambitione constructo. De clavorum autem parte filio frenum composuit (1) quo uteretur in bellis, quod frenum Carpentoracte in civitate Galliae in provincia arelatensi ostenditur in ecclesia cathedrali; de parte vero reliqua fecit galeam filio suo belli usibus aptam. Floruit his temporibus beatus Antonius, monachorum regula, anachoretarum forma, exemplar virtutis, speculum sanctitatis. Ad hunc Constantinus misit, ut pro se ac liberis suis Domino supplicaret. Donatus haereticus exoritur, a quo per Africam dispersi sunt Donatistae. Floruit hoc tempore et beatus Atha-

tine editum, graece autem deinde esse vulgandum; quod ne infimorum saeculorum figmentum putemus, adest testis locuples, ut diximus, doctus auctor saeculi sexti Leontius byzantinus.

(1) Hoc nimirum intelligit S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii ff. 40. et 47. ubi in Constantino completum dicit illud Zachariae XIV. 20. propheticum: "*in illo die erit quod super frenum* „ *equi est, sanctum Domino omnipotenti* „. *Quod illa sanctae memoriae Helena mater eius infuso sibi Dei spiritu revelavit.*

nasius, vir mirabilis et aeterna memoria dignus, qui quantas persecutiones pro fide catholica sustinere meruerit, tripertita historia et liber vitae ipsius, quamvis non ad plenum, commemorant. Hic diu post, pro integritate fidei ostendenda, in quodam puteo apud Treviros latitans, symbolum " quicumque vult „ composuit. Hoc tempore natus est Hieronymus divinae legis interpres.

Romae Constantinus exstruxit domino Salvatori et sancto Iohanni Baptistae ecclesiam intra lateranense palatium, ·xii· cophinos terrae propriis humeris a fundamento deportans, quam ecclesiam voluit et censuit esse caput et matrem omnium ecclesiarum, eamque Silvester papa sollemniter consecravit. Fecit et ecclesiam beato Petro in templo Apollinis; fecit quoque ecclesiam beato Paulo, quas auro argentoque locupletavit, ibidem in thecis preciosissimis ipsorum corpora recondens. Fecit et basilicam beato Laurentio martyri in via tiburtina in agro Verano super arenarium cryptae, et usque ad corpus beati Laurentii fecit gradus ascensionis et descensionis. Aedificavit praeterea Byzantium maritimam civitatem, quae Constantinopolis dicitur; imperialem vero sedem ibidem constituit. Dignitate tamen romani, non constantinopolitani, imperatores appellati sunt qui postea imperium tenuerunt, unde et Constantinopolis dicta est altera Roma, et circa eam regio Romania. Praeterea Silvester papa consilio Constantini augusti, post nicaenum concilium, aliud ·ccLvii· episcoporum celebravit in Urbe, in quo Arrium et Photinum Sabelliumque damnavit. Idem pontifex constituit ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et quod diaconi dalmaticis uterentur. Idem constituit ut sacrificium altaris non in serico,

nec in panno tincto celebretur, sed tantum in lineo ex terra procreato, sicut corpus domini Iesu Christi in sindone linea sepultum est. His quoque temporibus multae gentes in Christum crediderunt. Gens Iberorum per quandam mulierem christianam ab eis captam conversa est. Similiter in India per duos pueros christianos Christus annunciatur. Hic beatus papa Silvester in pace obiit, sepultus Romae iuxta palatium Octaviani in loco quod dicitur ad Caput.

XXXVII. MARCUS ·II·

Marcus secundus natione romanus, ex patre Prisco, coepit anno Domini ·ccc·xxxviii·, in alia vero chronica scribitur ·ccc·xl·. Sedit annis ·ii·, mensibus ·viii·, diebus ·xx·, in chronicis vero Hieronymi et Prosperi scribitur eum sedisse mensibus ·viii· Vacavit sedes diebus ·x· Hic constituit ut episcopus ostiensis, qui Papam consecrat, pallio uteretur; et ut symbolum in missa alta voce cantaretur. Hic beatum Eusebium vercellensem episcopum ordinavit. Sepultus est Romae apud sanctum Petrum, cuius festum recolitur nonis octobris. Constantinus donec vixit habitum regium gemmis, et caput suum perpetuo diademate exornavit. Nutrivit semper bonas artes, sed praecipue studia litterarum, nunc legens, nunc scribens, nunc meditans. Sciendum est etiam quod Constantinus duos fratres habuit, non quidem ex eadem matre sed ex eodem patre, quorum unus Dalmatius, alter vero Constantius vocabatur. Dalmatius quidem sui nominis habuit filium, qui caesar fuit constitutus; Constantius vero duos habuit filios Gallum et Iulianum; quorum Gallus modico tempore sub Constantio augusto caesar factus, sed ab ipso

peremptus fuit; Iulianus vero imperium postea solus obtinuit.

Constantinus cum bellum pararet in Persas, in villa publica iuxta Nicomediam, rem publicam bene dispositam filiis tradens obiit anno aetatis suae ·LXVI· Postea tres filii eius Constantius, Constantinus, et Constans, ex caesaribus appellantur augusti. Dicunt quidam, sicut in historia tripertita legitur, Constantinum augustum in extremo vitae suae ab Eusebio nicomediensi episcopo arriano rebaptizatum, in arrianum dogma conversum esse. Sed hoc mendose de isto Constantino dicitur, quia beatus Gregorius in registro loquens Mauricio de eodem, eum bonae memoriae appellat; et in historia tripertita actus eius atque facta bona inveniuntur. Et super psalmum ·XIII (1) beatus Ambrosius dicit eum magni esse meriti apud Deum, quia primus imperator viam fidei et devotionis principibus dereliquit. Unde et graeci Constantinum in catalogo sanctorum adnumerant, et festum de ipso cum sollemnitate agunt ·XXI· die mensis maii. Non enim verisimile est, tantae devotionis principem in tantum desipuisse, ut baptismum quem a beato Silvestro susceperat, per quem se et corporaliter a lepra, et spiritualiter a peccato mundatum cognoverat; ac ipsum Christum se vidisse in baptismo testatus fuerat, sic dimisisse, et ut rebaptizaretur consensisse (2). Unde

(1) Immo dic *in oratione de obitu Theodosii ff.* 40.

(2) S. Ambrosius loc. cit. ait: *baptismatis gratiam Constantino in ultimis constituto omnia peccata dimisisse.* Ergo Ambrosius Constantinum putabat in morte quidem baptizatum, sed a catholicis ministris; secus enim peccasset, potius Constantinus quam peccatorum veniam obtinuisset. Namque ab haereticis validum quidem baptismum sed tamen illicitum catholicus accipit, nisi forte necessitas cogat.

propter eximiam quam habuit erga cultum Christi religionem, et propter nimiam suam erga clerum reverentiam, creditur hoc ab adversariis fidei fuisse confictum. Sed haec quae mendose de praedicto Constantino dicuntur, de filio eius Constantio omnia vera esse inveniuntur. Anno Domini ·ccc·xl· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur ·ccc·xli·, Constantius cum Constantino et Constante fratribus suis adeptus imperium, imperat annis ·xxiiii·, in quadam vero chronica dicitur ·xxiii· Imperavit Antiochiae Constantius, Romae Constans, in Galliis vero Constantinus.

XXXVIII. IULIUS ·I·

Iulius primus natione romanus, ex patre Rustico, coepit anno Domini ·ccc·xl·, in quadam vero chronica dicitur ·ccc·xliii· Sedit annis ·xi·, mensibus ·ii·, diebus ·viii· In chronicis vero Hieronymi et Prosperi scribitur annis ·xvi·, mensibus ·iiii· Vacavit sedes diebus ·xv· Constantius autem confirmatus in regno magis arrianis quam catholicis favere coepit. Factus est inde Ario eiusque discipulis promptus et facilis, quia suadetur Constantio ut quosdam gradus in Deo credat; et qui per ianuam ab errore idololatriae fuerat egressus, rursus in sinum eius, dum in Deo gradum quaerit, tamquam per pseudothyron inducitur. Perverso igitur zelo potestas armatur illusa, et sub nomine pietatis vis persecutionis acrius agitatur. Denique rabies arrianorum et ceterarum haeresum hoc tempore ita efferbuit, ut in multis civitatibus diversi ordinarentur episcopi. Antiochia enim et Alexandria et Constantinopolis multo tempore binis sive ternis praesulibus dividebantur in semet ipsis, et interdum miserabili con-

tentione dissentiebant, caedesque plurimae catholicis ingruebant. Celebrata sunt hoc tempore multa concilia propter Arrii infidelitatem nequissimam, cuius complices multarum urbium praesules, dolo inimici decepti sunt errantes et in errorem inducentes. Siquidem quinto Constantii imperantis anno actum est Antiochiae ·LXX· episcoporum concilium, ubi Photini dogma, Sabellii libyci, et Pauli samosateni damnatum est, et recta fides exposita sub Constantii praesentia.

Constantinus dum Constantem fratrem suum bello insectatur, incauta petulantia proelio se offerens, a ducibus illius iuxta Aquileiam occisus est. Floruit hoc tempore Hilarius pictaviensis episcopus, qui nimia profunditate subtilis et cautissimus disputator, thesaurus scientiae, lux doctrinae, altas scripturarum divinarum abyssos in medium reverenter adduxit; cuius dicta qui legerit, non credit eum dicere sed tonare. Floruit etiam Eusebius vercellensis episcopus, quem Iulius papa episcopum consecraverat. Eodem tempore Vercellae civitas Ligurum primatum tenebant, quem postea Mediolanum obtinuit. Florebant tunc beatus Nicolaus, Athanasius alexandrinus, Maximinus quoque trevirensis episcopus; a quo, cum Athanasius praefatus a Constantio quaereretur ad poenam, honorifice susceptus est. Hi omnes et doctrina praecipui, et sanctitate praeclari, velut luminaria quaedam ecclesiae immobilesque columnae magnam fidelibus constantiam verbo fidei atque miraculis praebuerunt. Erat enim facies ecclesiae tunc deformis, cum hinc premerentur catholici, illinc invalescerent arriani. Florebant quoque sanctus Paphnutius, Victorinus rhetor, sanctus Hilarion, sanctus Epiphanius, et multi eremitae ac sancti, ut Sisoys et Pastor abbas.

Constantius adversus Persas et Saporem, qui Mesopotamiam vastaverat, novem proeliis parum prospere certavit; novissime seditione atque intemperantia militum adoriri nocte pugnam tractans, partam paene victoriam insuper victus amisit. Constans, cum se intolerandis vitiis dedisset, ac poena provincialium favorem militum compararet, Magnentii dolis in oppido, cui Helena nomen, in proximo Hispaniae occisus est. Iulius vero papa post exilium ·x· mensium, et post multas tribulationes, quas a Constantio imperatore perpessus fuerat, ad sedem beati Petri cum gloria reversus est; et fecit duas basilicas, unam in foro, aliam sancti Valentini via flaminia. Hic sepultus fuit in coemeterio Calepodii, miliario tertio ab Urbe, cuius festivitas agitur pridie idus aprilis.

XXXVIIII. LIBERIUS.

Liberius natione romanus, ex patre Ligusto, de regione via lata, coepit anno Domini ·ccc·lv·, in quadam vero chronica dicitur annis ·ccc·liii· Pontificatum tenuit annis ·x·, mensibus ·vii·, diebus ·iii· Hic pro fide catholica a Constantio imperatore in exilium detrusus est, eo quod noluisset consentire haeresi arrianae, episcopatus sui anno ·viii·, Domini ·ccc·lxii· secundum chronicam Hieronymi; in chronica vero Prosperi scribitur episcopatus sui anno ·ix·, fuitque in exilio tribus annis. Quo facto, omnes clerici iurarunt, ut nullum alium susciperent. Verum Felice Liberii presbytero ab arrianis in ipsius sacerdotium substituto, plurimi deieraverunt. Qui tamen Felix fidem nicaenam inconcusse tenuit et servavit, et celebrans Romae concilium, cum duos ibi presbyteros Ursacium et

Valentem arriana peste cognovisset infectos, nec non imperatoris Constantii familiares, Constantio non consentiente immo aegre ferente, eos a concilio .XLVIII. episcoporum expulit, et ab ecclesiastica communione praecidit. Unde indignatus Constantius Felicem deposuit, et Liberium revocavit; qui taedio victus exilii haereticae pravitati subscripsit (1); atque ita Constan-

(1) Liberii causam doctissime scribit Baronius ad annum Ch. 357. n. 38-75; quem qui leget, nihil iam requiret quod ad tantae rei cognitionem verumque statum adtinet. Sirmianae formulae primae, quae diserte non erat haeretica, subscripsisse Liberium, latam in sanctum Athanasium sententiam sanxisse, cum arrianis communicasse, et sic grande scandalum in ecclesia effecisse, concedit Baronius; haereticum tamen fuisse negat, idque diu multumque demonstrat. Consonat Natalis Alexander hist. eccl. saec. IV. dissert. 32. cum Mansii animadversionibus. Nam reliquos. huius controversiae scriptores infinitum sit numerare, quos inter Petrus Corgnius in dissert. 3. collect. Zachar. tom. 10, Liberium omni culpa absolvere nititur. Certe Iustinianus imperator in suo tractatu adversus Monophysitas a me his annis edito in Script. vet. tomo VII. p. 304. liquide ait " romanos Pontifices nomquam invicem (doctrina) dissensisse, sed rectam veramque fidem ad suam usque aetatem custodisse ". Quod gravissimum graeci Augusti testimonium nemo non plurimi faciet; nam si Liberius arrianus fuisset, numquam sic Iustinianus loqui potuisset. Denique in inedita Bonizonis sutrini episcopi canonica collectione seu decreto, nova quaedam liberiani lapsus mitisque admodum notio exhibetur, quae ita se habet.

Liberius post Iulium suscepit pontificatum. Hic exilio deputatur a Constantio eo quod noluisset haeresi arrianae consentire, et fuit in exilio annis III. Postea vero multorum religiosorum rogatu, et maxime ad sedandam Imperatoris quam habebat erga christianos crudelitatem, concessit arrianis ut unam haberent Romae ecclesiam. Quod factum, licet si ab aliquo alio fieret, non esset vituperabile, ne auctoritas tamen romani Pontificis omnes posset ad hoc tam crudele inflectere episcopos, communi cum consilio ab omnibus catholicis, hoc concessum cassatum est. et ne nomen eius in-

tius convocato concilio cum haereticis arrianis et cum Ursacio ac Valente, Liberium reposuit in sede. Sicque infelix Liberius basilicam sanctorum Petri et Pauli et sancti Laurentii sex tenuit annis, ubi facta est proinde persecutio magna in urbe et populo et clero; ita ut intra ecclesias clerici et presbyteri tunc ab arrianis, non prohibente Liberio, necarentur (1). Qua persecutione beatus Eusebius presbyter in Urbe per quosdam cubiculo interclusus interiit, quia Liberium esse haereticum declarabat. In chronica vero Hieronymi et Prosperi scribitur: " isto modo Liberio in exilium ob fidem „ truso, omnes clerici iuraverunt, ut nullum alium „ susciperent. Verum cum Felix ab arrianis fuisset in „ sacerdotium substitutus, plurimi peieraverunt, et „ post annum cum Felice eiecti sunt; quia Liberius „ taedio victus exilii et haereticae pravitati subscribens „ Romam quasi victor intraverat. „ In historia vero ecclesiastica lib. IX. cap. XXIII. ita scribit auctor histo-

ter catholicos recitaretur, prohibitum; quamquam sanctus sit et bonus, et beato Ambrosio teste laudabilis. Sepultus est in basilica apostolorum Principis.

Ambrosii quidem testimonium de Liberio extat lib. III. I. et 4. de virginib., ubi orthodoxa recitatur Liberii ad Marcellinam monialem oratio, ante enim initium nec non in calce ab Ambrosio Liberius dicitur *beatae et sanctae memoriae*. Et quidem pares de Liberio laudes ab aliis sanctis gravibusque viris, puta a S. Basilio magno ep. 263, a S. Epiphanio haer. 75, scriptae occurrunt. Quamquam et multae adversus eumdem vituperationes apud antiquos leguntur. Denique in martyrologio Coptorum alexandrinae ecclesiae, cuius descriptionem nos divulgavimus Script. vet. T. IV. p. 97. *Liberius papa sanctus* dicitur *et acerrimus catholicae fidei adversus arrianos propugnator.*

(1) De hac persecutione Baronius an. dict. n. 57. Qui vero fieri possit ut haec de Liberio credantur, siquidem eius memoriam tantopere honorabat Ambrosius, equidem non video.

riae: " Liberius urbis Romae episcopus Constantio „ vivente regressus est de exilio; sed an hoc quod „ acquieverit voluntati ipsius Constantii ad subscri- „ bendum, an ad populi romani gratiam, a quo pro- „ ficiscens fuerat exoratus indulserit, pro certo com- „ pertum non habeo. „

XL. FELIX ·II·

Felix secundus proxime memoratus, natione romanus, ex patre Anastasio, exulante Liberio substitutus est in papatum anno Domini ·ccc·lxvi·, secundum aliam chronicam ·lxix· Sedit anno uno, mensibus ·iii·, diebus ·ii· Omnes dies Felicis dinumerantur sub papatu Liberii secundum chronicam Damasi papae. Hic Felix declaravit Constantium filium Constantini magni esse haereticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio nicomediensi episcopo arriano; et propter hoc ab eodem Constantio depositus de papatu, secedens in quendam locum non longe ab Urbe, postea pro fide capitis decollatione martyrio coronatur ·iii· kal. augusti; alibi scribitur ·x· kal. augusti, anno Domini ·ccc·lxvii·

LIBERIUS ITERUM.

Liberius ante dictus secunda vice repositus coepit post Felicem anno Domini ·ccc·lxvii· Sedit annis ·v· vel circa; quem postmodum Damasus papa synodali iudicio condemnavit, et omne quod fecerat adnihilavit (1). Arrianis igitur saevientibus et persecutionem moven-

(1) Fortasse in Damasi decreto quo violatores nicaenae fidei etiam mortuos damnavit (de quo Baronius ad an. 373. n. 13) intelligebatur anonymus etiam Liberius. Sed haec videlicet incerta sunt.

tibus, Constantius favens parti eorum catholicos episcopos in exilium iubet trudi, inter quos erant Eusebius vercellensis, Lucifer caralitanus, Dionysius mediolanensis illustres episcopi. Pancratius quoque romanus presbyter, et Hilarius diaconus exilio sunt damnati. Hoc tempore reliquiae Timothei, et ossa beati Andreae apostoli, nec non Lucae evangelistae a constantinopolitanis miro favore suscepta sunt. Synodus ariminensis facta est, in qua primum antiqua fides decem primum legatorum, dehinc omnium proditione damnata est, et omnes paene ecclesiae toto orbe, sub nomine pacis et regis, arrianorum consortio polluuntur. Victorinus rhetor natione afer, et Donatus grammaticus praeceptor Hieronymi clari habentur. Paulinus episcopus Trevirorum in Phrygia ob fidem Christi exulans moritur (1). Orta est in Syria haeresis anthropomorphitarum a syro quodam Audaeo nomine huius perversi dogmatis inventore. Hic quidem fatue intelligens quod scriptum est, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, humanam formam asserebat Deum habere, partibusque corporeis circumscriptum. Re autem vera quod scriptura plerumque commemorat Deum oculos habere vel manus ceterasque huiusmodi corporis partes, nequaquam intelligenda est corporalis formae distinctio, sed potius quaedam potentiae spirituales.

Constantius augustus XIX regni sui anno Iulianum patruelem suum Galli fratrem sublimat in caesarem, dansque ei coniugem Helenam sororem suam, eum ad Gallias contra barbaros destinavit. Hic Iulianus ab initio christianus, tam saecularibus quam divinis litteris

(1) Alius cod. *moratur*; sed *moritur* retinendum est cum Hieronymo in chronico ad an. 22. Constantii.

eruditus, sed ex christiano in paganum declinans, ut interim suspicionem celaret, attonsus monasticam simulabat vitam; denique in ecclesia Nicomediae lector est constitutus. Itaque Iulianus a Constantio caesar factus eversas oppressasque Gallias ab hoste strenuissime in integrum restituit, Alamannorum magnam multitudinem parvis copiis stravit, Rheno Germanos reiunxit. His elatus successibus fastigium usurpavit augusti, et mox Italiam Illyricumque pervadens, Constantium parthicis bellis occupatum regni parte privavit. Constantius autem scelere Iuliani comperto, dimissa expeditione Parthorum, dum ad civile bellum revertitur, inter Ciliciam et Cappadociam in itinere defunctus est. Itaque factum est ut qui ecclesiae unitatem disciderat, totum tempus imperii sui bellis tam in consanguineos quam in extraneos duceret inquietum, ac sub eo acciderent innumerae tam populorum quam locorum ruinae.

Anno Domini ·ccc·lxiii· Iulianus iamdudum caesar post autem augustus imperat anno ·i·, mensibus ·viii·, in quadam vero chronica dicitur annis ·ii·, mensibus ·viii· Hic christianam religionem arte potius quam potestate insectari coepit, honoribus magis alliciens quam tormentis impellens. Aperto tandem praecepit edicto, ne quis christianus docendorum liberalium studiorum professor esset. Sed tamen omnes ubique propemodum, amplexati conditiones praecepti, officium potius quam fidem deserere maluerunt. Iulianus itaque coepit erga cultum idolorum fortius insanire. Dehinc publice iubet edici, ut christiani milites aut sacrificarent aut cingulum deponerent militare. Dicebat enim procurationem provinciarum, militiae cingulum, iuris docendi officium christianis non debere committi, utpote qui-

bus lex propria contraibat. Multi autem in fide viriliter persistentes, palmam martyrii perceperunt; inter quos Paulus et Iohannes Constantiae magni Constantini filiae cubicularii glorioso sunt martyrio coronati. Tunc Arethusii et Gazaei sacrarum virginum uteros diviserunt, et hordeo cumulantes porcis ad comedendum dederunt. Marcum etiam suae urbis episcopum, sanctitate et canitie reverendum, primum per plateas tractum ac dilaceratum, truncatum auribus, graphiis transfixum a pueris, dehinc in foetentia loca depositum, liquamine ac melle perunctum appendentes in porta exposuerunt vespis et apibus comedendum. Heliopolitani quoque Cyrillum diaconum non solum proiecerunt, sed etiam secantes ventrem ipsius, ex eius iecore comederunt. Sed non impune; nam huiusmodi auctores sceleris dentes linguas visumque perdentes, tabe consumpti sunt. Innumera quoque alia in omni terra et mari ab impiis commissa sunt contra pios.

Tunc Hilarion monachus signis admirandus et vita, et plurimorum in Palaestina monasteriorum fundator per diversa fugiebat loca, latere cupiens sed non valens, quia ubique nomen eius et sanctitas per daemones vulgabatur. Per idem tempus Valentinianus, postmodum imperator, erat millenarius et circa palatium constitutus. Hic zelum quem habebat pro pietate non celans, quadam die dum quoddam templum ingrederetur Augustus, et ex utraque parte valvarum adstarent ministri templi, qui aspersione aquae, ut dicebant, ingredientes purgarent, Valentinianus praecedens Principem, aspersionis guttam sua vidit in chlamyde, et indignatus pugno ministrum templi percussit dicens, se illa aspersione maculatum potius quam purgatum fuisse; quod videns Imperator, iussit eum in custodiam

recipi, et demum ad eremum destinari. Iudaeis idem Iulianus licentiam dedit templum Hierosolymis reparandi; qui ex diversis locis convenientes cum omnia reaedificationi necessaria praeparassent, terrae motus ingens oboritur, et non solum fundamentorum saxa longe iactantur, sed et paene totius loci aedificia complanantur. Porticus quoque, in qua erat multitudo operi insistentium iudaeorum, subito corruit, et omnes qui ibi reperti sunt, oppressit. De quadam etiam aede, in qua ferramenta et alia operi necessaria servabantur, repente globus igneus emicuit, et per medium plateae discurrens, omnes qui aderant de iudaeis adussit. Sequenti etiam nocte in vestimentis omnium qui residui erant, signum crucis apparuit ita evidens, ut deleri non posset. Sic igitur deterriti iudaei male coeptum opus deserunt et locum.

Porro Iulianus bellum adversus Parthos parans diis suis sanguinem christianorum devovit, palam persecuturus ecclesiam, si posset victoriam adipisci. Nam et amphitheatrum Hierosolymis exstrui iussit, in quo reversus a Parthis episcopos innocuos omnesque eiusdem loci sanctos bestiis saevissimis laniandos obiceret, ipseque spectaret. Itaque postquam a Ctesiphonte castra movit, dolo cuiusdam transfugae in deserta perductus, cum fame et siti exercitum apostata perdidisset, et a suis agminibus inconsultius exivisset, ab obvio forte equite hostium conto ilia perfossus est; acceptoque vulnere, sanguinem proprium manu in aërem iactans, blasphemiam in Christum protulit dicens: vicisti, Galilaee, vicisti; atque miser in his vocibus expiravit. Sicque misericors Deus impia consilia impii morte dissolvit. In vita tamen beati Basilii caesariensis dicitur, sicut Fulbertus carnotensis episcopus attestatur: cum

Iulianus apostata pergens contra Persas in Caesaream Cappadociae pervenisset, cum christianis ei sanctus Basilius obviavit; quem videns Iulianus dixit: sero philosophatus sum, o Basili. Cui ait: utinam philosophareris! Et obtulit ei benedictionis nomine tres hordeaceos panes. Quos quidem iubet recipi, et ei pro panibus foenum mitti dicens: hordeum iumentorum est pabulum, recipiat et ipse foenum. Respondit Basilius: nos quidem quod comedimus, tibi obtulimus; tu vero reddidisti nobis unde bestias tuas nutris. Unde ad hoc iratus Iulianus respondit: cum Persas subegero, hanc urbem destruam, et arabo, ut fiat farrifera magis quam hordeifera. Exiu beatus Basilius Iuliani interitum in visione cognovit. Sed et historia tripertita lib. VI. cum, inquit, Iulianus esset in Perside obsessus, et sedens equo deficientem exercitum confortaret, et inermis spe felicitatis suae praesumeret, contra ipsum iaculum repente delatum, discurrens per brachium in eius latus immersum est, et ex hoc vulnere nactus est terminum vitae; quis vero iustissimum vulnus intulerit, ignoratur.

* *immo* LXIII.

Anno Domini ·CCC·LXVI· * Iovianus in summo rerum discrimine post mortem Iuliani ab exercitu imperator creatus imperat mensibus ·VIII· Hic fuit vir fortis et nobilis, et illo tempore millenarius quo Iulianus militibus suis proposuit optionem, ut aut militiae cederent aut idolis immolarent; maluit autem cingulum deponere militare quam praeceptis impiis obedire. Hunc tamen Iulianus ad bellum parthicum proficiscens belli necessitate inter viros militares habebat. Qui cum violenter post Iuliani necem ad imperium a militibus traheretur, dixit non se velle paganis hominibus imperare, cum ipse existeret christianus. Cumque vox

omnium ei consequenter acclamasset dicentium, se quoque christianos esse, voluntati eorum acquievit, imperiumque suscepit. Factus ergo imperator, cum et locorum captus angustia, et hostibus circumseptus, nullam evadendi prospiceret facultatem, foedus cum Sapore rege Persarum pepigit, partemque superioris Mesopotamiae illi concessit. Moxque rex Persarum romano exercitu inedia iam consumpto forum victualium statuit in deserto. Sicque Iovianus de medio hostium exercitum reduxit illaesum. Inde ad Illyricum rediens, cum in cubiculum quoddam novum sese cubitum recepisset, calore prunarum et ardore parietum calce nuper illitorum gravatus vitam finivit.

Anno Domini ·ccc·lxvii· * Valentinianus tribunus scutariorum de Pannonia cybalensi apud nicaenam urbem consensu militum imperator creatus imperat annis ·xi· secundum chronicam Vincentii, in quadam vero chronica dicitur annis ·xiii· Hic ab impio Iuliano pro fidei constantia militiae tribunatu expulsus, sed retribuente Deo restitutus, non modo fortitudine sed et temperantia et iustitia atque corporis magnitudine praefulgebat; vir per omnia egregius, et Aureliano in omnibus similis; nisi quod severitatem eius nimiam et parcitatem quandam, crudelitatem et avaritiam interpretabantur. Sic etiam regalis et urbanus extitisse perhibetur, ut cum ei alium consortem dare temtaret exercitus, responderit: vestrum, o commilitones, fuit mihi regimen dare imperii; vestrum, ut hoc ego suscepi, non est de rebus communibus cogitare. Moxque fratrem suum assumpsit in regimen, partes sibi occiduas retinens, illi vero orientales regendas concedens. Porro Valens frater Valentiniani cum esset catholicus, coniugis suae quae arriana erat colloquio est seductus,

* *immo* LXIV.

et ab Eudoxio arrianorum episcopo, qui tunc constantinopolitanam ecclesiam regere videbatur, secundo baptizatus et persuasns, in saevissimam haeresim declinavit, iuramento se coram Eudoxio obligans quod in illa impietate permaneret, et undique expelleret contraria sapientes. Malignam tamen insectationem diu texit, nec voluntati admiscuit potestatem quousque viventis adhuc fratris auctoritate compressus est.

XLI. DAMASUS ·I·

Damasus primus natione hispanus, ex patre Antonio, coepit anno Domini ·ccc·lxx·, in alia vero chronica dicitur ·ccc·lxxi·, secundum chronicam vero Hieronymi coepit imperii Valentiniani et Valentis anno ·ii· Sedit autem post Liberium et Felicem annis ·xviii·, mensibus ·ii·, diebus ·x· Vacavit sedes diebus ·xxx· Hic elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque et brevia opuscula epico metro edidit. Hic multa corpora sanctorum requirens invenit, quorum tumbas versibus decoravit. His temporibus floruit in India Iosaphat eremita factus, et Barlaam qui ipsum convertit. Floruit et Apollinaris antiochenus in scripturis sacris eruditissimus, quem beatus Hieronymus reverenter audivit. Anno Valentiniani et Valentis tertio Gratianus Valentiniani filius Ambianis factus est imperator. Anno Domini ·ccc·lxxii· sanctus Hilarius pictaviensis episcopus, romanorum lucifer, ecclesiarumque lucerna, et pretiosus lapis *et apex*, ad quem mortalium vix ullus ascendit, qui pulchro sermone aureoque ore loquitur universa, obiit.

Athanaricus rex Gothorum christianos in gente sua crudelissime persecutus, plurimos eorum ob fidem Chri-

sti interfectos ad coronam martyrii sublimavit; quorum quam plurimi in romanum solum fugerunt. Floruit hoc tempore Didymus alexandrinus, qui in parva aetate luminibus orbatus, et ob id elementorum quoque ignarus, tamen miraculum sui omnibus praebuit, ut dialecticam, geometriam, astronomiam quoque et arithmeticam, quae vel maxime visus indigent usu, ad perfectum didicerit. Is plura nobiliaque conscripsit, commentarios in psalmos omnes, in evangelium Matthaei et Iohannis; librum quoque de Spiritu sancto composuit, quem Hieronymus de graeco transtulit in latinum. Per idem tempus patres monachorum vita et antiquitatis merito, Macarius, Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides, et Pambo, Antonii discipuli, Moyses, Beniamin, Paulus, Poemen, et Ioseph, per Aegyptum maxime in Nitriae partibus clari habebantur viri, qui consortium vitae et actuum non cum ceteris mortalibus sed cum angelis credebantur habere.

Anno Domini ·ccc·lxxiii· beatissimus Martinus Turonensibus episcopus datur, vir omnibus virtutibus et prodigiis inclytus. Athanasius alexandrinus post multos agones multasque patientiae coronas anno sacerdotii sui ·xlvi· migrat ad Dominum ·vi· nonas maii anno ·ccc·lxxiii· Qui interrogatus de successore, Petrum tribulationum suarum participem delegit sibi in sacerdotium subrogandum. Sub hoc tempore Ambrosius adhuc cathecumenus Mediolano datur episcopus sub anno Domini ·ccc·lxxiiii· vel ·lxxv· Hic dum plebem alloqueretur, ut seditionem inter catholicos arrianosque compesceret pro loco et officio praefecturae suae, subito vox infantis insonuit Ambrosium episcopum. Moxque Ambrosius capitur et baptizatur, et octavo die cum magna laetitia pontifex consecratur. Hic cum quadam

die verbum in ecclesia faceret, quidam arrianus vidit angelum, qui ei susurrabat in aurem quid deberet populo praedicare.

Interea Valentinianus Saxonum gentem in oceani littoribus et paludibus inviis sitam, virtute ac agilitate terribilem, periculosam romanis finibus, et irruptionem magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit, Francosque multis proeliis lacessivit. Porro Franci origine troiani, post eversionem Troiae, Priamo duce digressi, iuxta Thraciam super ripam Danubii consederunt intra terminos Pannoniarum, aedificantes ibi civitatem quam vocaverunt Sicambriam, manseruntque ibidem usque ad tempora Valentiniani imperatoris; a quo inde expulsi propterea quod tributa romanis iuxta morem ceterarum gentium solvere recusarent, egressi inde, Marcomiro, Suinione, et Genebaudo ducibus habitaverunt iuxta ripam Rheni in confinio Germaniae et Alamaniae; quos cum multis proeliis postmodum idem Valentinianus attemtasset, nec vincere potuisset, proprio eos nomine Francos id est feroces appellavit. Ab illo autem tempore in tantum virtus Francorum excrevit, ut totam tandem Germaniam et Galliam usque ad iuga Pyrenaei et ultra subiugarent. Alii dicunt eos Francos a quodam Francone appellatos fuisse. Aiunt enim quod post excidium Troiae multitudo magna inde fugiens, ac deinde in duos populos se dividens, alia pars Franconem quendam super se regem levavit, alia Turcum secuta fuit; atque ex eo duos populos, sumpto nomine Franconis et Turci, Francos et Turcos usque hodie vocari. Valentinianus denique cum Sarmatae sese per Pannonias diffudissent, easque vastarent, bellum in eos parans apud oppidum Brigitionem quadam subita effu-

sione sanguinis, quam Graeci apoplexiam vocant, suffocatus interiit.

Post quem Gratianus filius eius, qui occidentis imperium tenuit, fratrem suum Valentinianum admodum parvulum consortem creavit imperii, Valente patruo in orientis partibus constituto. Eunomius agnoscitur, a quo haeresis eunomiana dicitur. Theodulus miserabilis presbyter, dum adversus conscientiam furoris sui sacrificia offerre Deo praesumit, in mediis precibus eliditur. Anno Domini ·CCC·LXXVII· Valens cum Gratiano et Valentiniano nepotibus imperat annis ·IIII· Hic legem dedit ut monachi militarent, nolentesque necari fustibus iussit. Unde tribuni cum militibus missi sunt per Aegyptum qui multa sanctorum agmina dum militare renuunt occiderunt. Clarebant hoc tempore Gregorius nazianzenus, et Basilius caesariensis, insignes episcopi. Gregorius apud Nazianzum oppidum postea in loco patris episcopatum suscepit, et haereticorum turbinem fideliter tulit; cuius se gloriatur Hieronymus fuisse discipulum in explanationibus scripturarum. Valens itaque cum multas orientis ecclesias pastore nudasset, praefectum suum ad hunc Basilium misit, qui eum sibi favere aut minis aut precibus deflecteret; sed non potuit.

Per idem tempus gens Hunnorum ab inaccessis seclusa montibus repentina rabie exarsit in Gothos, eosque sparsim conturbatos, ab antiquis sedibus expulit. Gothi autem fugientes Danubium transierunt, et in regnum Valentis sine ulla suscepti sunt foederis pactione. Feruntur autem fuisse quatuor Scythiae gentes Gothi scilicet, Hypogothi, Gepidae, et Vandali qui nunc dicuntur Poloni, unam linguam habentes sed nomine tamen diversi, quibus duo duces praeerant, Fri-

digernus et Athanaricus. Porro hi cum inter se post transitum Danubii dissiderent, Athanaricus ad Valentem confugit, a quo susceptus cum foedere et adiutus, Fridigernum devicit. Huius beneficii gratia Gothi a Valente deposcunt episcopos sibi mitti, qui eos essent de regula fidei instructuri. Tunc Valens arrianos episcopos eis misit, a quibus non tam fidei sacramenta quam execramenta perfidiae perceperunt. Postea ipse Valens cum sagitta saucius fugeret a Gothis, et ob dolorem nimium saepe equo laberetur, ad cuiusdam villulae casulam deportatus est; quo persequentibus eum barbaris, et domo incensa, commuui caruit sepultura anno Domini ·ccc·lxxx·

HUC USQUE HIERONYMUS PRODUXIT CHRONICAM SUAM. ABHINC VERO SCRIBUNT PROSPER ET BEDA ET SIGEBERTUS MONACHUS GEMBLACENSIS.

Anno Domini ·ccc·lxxxi· Gratianus cum Valentiniano fratre post mortem patrui imperat annis ·vi· Hic pietate et religione omnes paene qui ante fuerant superabat, usu armorum strenuus, corpore velox, et ingenio bonus; sed iuvenili exultatione plus fere laetus quam sufficiebat, et plus verecundus quam rei publicae intererat. Hic Theodosium virum militia strenuum, moribus et aetate maturum, apud Sirmium purpura induens, orientis imperio Thraciaeque praefecit, sibi vero ac fratri suo partes occiduas reservavit. Porro Theodosius gentes illas scythicas, quas etiam magnus Alexander dicitur evitasse, hoc est Alanos, Hunnos, et Gothos incunctanter aggressus, multis ac magnis procliis vicit, et sic mira celeritate lassam rem publicam in orientis partibus reparavit. Verum ne romanum

imperium et exercitum assidue bellando attereret, foedus cum Athanarico rege Gothorum percussit (1), qui confoederatus Theodosio, et ab eo Constantinopolim invitatus, mox ·xv· die quo illuc venerat obiit. Clarebat eo tempore Ambrosius mediolanensis episcopus, qui libros de Spiritu sancto ad Gratianum imperatorem scripsit. Clarebat et Martinus turonensis, et Pachomius vir apostolicae gratiae tam in docendo quam in signa faciendo, et fundator coenobiorum Aegypti, qui scripsit regulam aptam omni generi monachorum, quam angelo dictante didicerat. Clarebat et Rufinus aquileiensis ecclesiae presbyter, non minima pars doctorum ecclesiae, qui maximam partem bibliothecae graecorum latinis exhibuit. Per idem tempus Paula inter nobiles romanorum matronas praenobilis cum filia sua Eustochio mundo abrenuncians Hierusalem adiit, omni saeculari pompa postposita, Christi pauperiem amplexata.

Psalterium, quod secundum ·lxx· interpretes in omnibus ecclesiis cantabatur, correxit Hieronymus. Quo iterum vitiato, psalterium novum composuit, quod etiam a ·lxx· interpretum editione non multum discordaret, et multum cum hebraico congrueret; quod ut omnibus clarum fieret, ipsum psalterium per asteriscos id est stellas, et per obelos id est virgas iacentes distinxit; docens, ea quae sub asterisco continentur usque ad duo puncta, in hebraico haberi, et a ·lxx· interpretibus intermissa esse; ea vero quae continentur sub obelo usque ad duo puncta, non haberi in hebraeo, sed a ·lxx· addita esse iuxta Theodotionis

(1) Theodosii mansuetudinem erga Scythas seu Gothos post pacem factam, copiose laudat Themistius in orat. de sua praefectura, quam nos Mediolani vulgavimus.

translationem dumtaxat. Hoc psalterium Damasus papa rogatu Hieronymi in ecclesiis cantari instituit gallicanis, et ideo gallicanum vocatur; romanis psalterium secundum ·LXX· sibi retinentibus, quod ideo vocatur romanum. Haec duo psalteria cum non sufficerent ad proponenda testimonia de Christo contra iudaeos, qui non recipiunt nisi ea quae in hebraeo habentur, addidit et tertium idem Hieronymus quod vocatur hebraicum, propterea quod rogatu Sophronii sapientis viri ex hebraica veritate de verbo ad verbum id transtulit in latinum. Quod psalterium et alia Hieronymi opuscula idem Sophronius transtulit de latino in graecum. Damasus vero papa instituit psalmos in ecclesia nocte dieque cantari, et ut chori in duas partes divisi psalmos ipsos alternatim cantarent. Instituit et rogatu Hieronymi dicere in ecclesia in fine psalmorum gloria patri etc. Instituerant autem tempore Constantii imperatoris in ecclesia antiochena psalmos cantari Flavianus et Diodorus viri probatae fidei et doctrinae, quod idem ad totius orbis terminos usque pervenit. Claruit et Basilius caesariensis tam miraculis quam doctrina, quem Deus docuit propriis verbis sacrificium consecrare. Ei etiam revelatum fuit Iulianum apostatam interemptum fuisse a beato Mercurio milite et martyre, quem antea Iulianus occiderat. Hic Basilius iuvenem, qui se ob amorem puellae diabolo dederat, reconciliavit Christo. Impetravit etiam a Deo ut sanctus Ephrem syrus graece loqueretur. Peccata quoque cuiusdam feminae scripta delevit orando. Et cum medicus quidam hebraeus imminere ipsi mortem per tactum venae revera nunciaret, mortem orando in crastinum distulit; et sic ipsum medicum cum suis ad Christum convertens, feliciter obdormivit.

Francis post Priamum Marcomirus Priami filius, et Suinio Antenoris filius, principabantur; quorum ducatu de Sicambria civitate egressi consederunt in oppidis Germaniae secus Rhenum. Interea Theodosius imperator cum subactis barbaris Thracias liberasset, et filium suum Arcadium ad imperium promovisset, Maximus vir quidem strenuus et augusti apice dignus, nisi contra rem publicam conspirasset, in Britannia propemodum invitus ab exercitu imperator creatur; qui cum Pictos et Scotos Britanniam incursantes vicisset, in Gallias transiit, ubi Gratianum augustum dolis circumventum occidit, fratremque eius Valentinianum triennio Italia expulit, pacis foedere simulato. Valentinianus vero nece fratris audita, ad Theodosium confugit, qui eum et paterne suscepit, et imperio restituit.

Secunda synodus universalis ·CL· patrum iubente Theodosio et annuente papa Damaso Constantinopoli congregatur, quae Macedonium negantem Spiritum sanctum esse Deum condemnans, consubstantialem Patri et Filio Spiritum sanctum esse docuit, dans symboli formam quam tota latinorum et graecorum confessio in ecclesia ad missas in sollemnibus diebus decantat. Hinc decretum est, ut constantinopolitanus tamquam Romae iunioris episcopus post romanum pontificem habeat privilegium. Exorta est hoc tempore haeresis Priscillianistarum. Priscillianus enim in Hispania episcopus a fide devians, personas sanctae Trinitatis confundebat dicens eundem Patrem esse qui Filius et Spiritus sanctus, et multa alia. Super his autem in conciliis episcoporum condemnatus Romam petiit, ibique a sanctis Damaso et Ambrosio repudiatus est. In Galliis quoque in synodo burdegalensi a sancto Mar-

tino et aliis episcopis haereticus est iudicatus. Damasus papa prope octogenarius Theodosio imperatore Romae feliciter obiit. Eius festum agitur ·III· idus decembris.

XLII. SIRICIUS.

Siricius natione romanus, ex patre Tiburtio, coepit anno Domini ·CCC·LXXXIX· Sedit annis XV·, mensibus ·XI·, diebus ·XV·, in alia vero chronica dicitur diebus ·XXVI· Vacavit sedes diebus ·XX· Hic Manichaeos in Urbe invenit, quos in exilium deportavit, et constituit ut non participarent cum fidelibus communionem; et praecepit ut si quis de eadem secta conversus rediret ad ecclesiam nullatenus communicaretur, ac tantummodo relegationi in monasterio omnibus diebus vitae suae obnoxius teneretur, ieiuniis et orationibus maceratus, probatus sub omni examine usque ad ultimum diem transitus sui, et ita viaticum acciperet (1). Ambrosius ritum antiphonarum in ecclesia canendarum primus transtulit ad latinos a graecis, apud quos hic ritus iamdudum inoleverat ex instituto Ignatii antiocheni episcopi et apostolorum discipuli, qui per visionem raptus in caelum vidit et audivit sanctos angelos per antiphonarum reciprocationem hymnos sanctae Trinitati canere. Hic etiam beatus Ambrosius post Hilarium pictaviensem hymnos canendos in ecclesia primus composuit. Augustinum quoque adhuc manichaeum ad fidei integritatem reduxit, et relictis scholis mundanis-

(1) In margine. " In quadam chronica invenitur quod iste „ Papa cum .CCC.L. episcopis apud Constantinopolim synodum ce„ lebraverit; quae autem fuerit synodus haec, non inveni inter „ synodos universales ubi agitur de eisdem. „

que negotiis baptizavit anno Domini .ccc.lxxxxv. (1) Iohannes anachoreta in Aegypto sanctitate claret.

Franci Quintinum et Heraclium romanorum duces cum omnibus paene suis iuxta Treviros delent. Per idem tempus (2) Theodosius imperator, instigante diabolo, facinus immane commisit; nam Thessalonicae seditione facta, cum quidam iudices fuissent occisi, repentini nuncii atrocitate succensus iussit omnes pariter interimi, nec a nocentibus innocentes secerni. Hac itaque caede fere .vii. milia hominum perempta sunt. Hanc cladem audiens beatus Ambrosius, cum princeps Mediolanum veniens templum ingredi voluisset, eum ab ingressu modeste obiurgando prohibuit; quam ille obiurgationem et ab ecclesia expulsionem patienter excipiens, commissum facinus mirabili paenitentia diluit. Qui cum denique a beato Ambrosio absolutus fuisset, hanc legem statuit ut intra .xxx. dies sententia mortis atque proscriptionis in litteris tantum scripta permaneat, et interim examinetur causa, et denuo consulatur, ut demum quid facto opus sit, sub libra iudicii proferatur.

Per idem tempus Gregorius nazianzenus vir vitae piissimae et incomparabilis eloquentiae obiit. Arsenius Romae claret, qui usque ad .xl. aetatis suae annum in aula imperatorum gloriose militans, ex senatore fit monachus, et per annos .xlv. in eremo sanctitatis exemplo omnibus enituit. Hoc tempore in Emmaus castello Iudaeae natus est puer perfectus, ab umbilico et sur-

(1) Conversum quidem Augustinum anno .ccc.lxxxv. ait etiam Baronius, baptizatum tamen anno .ccc.lxxxviii. Inter utrumque hunc terminum rem utramque collocant Maurini editores in vita Augustini lib. II. 7., nempe an. - vi. et vii.

(2) Immo anno .ccc.xc.

sum divisus, ita ut haberet duo pectora, et duo capita, et unusquisque proprios sensus: unus edebat et bibebat, alter non edebat: unus dormiebat, alter vigilabat; nonnumquam simul dormiebant, simul colludebant, et alternatim flebat uterque, et percutiebant invicem. Porro vixerunt fere annis duobus; et unus quidem mortuus est, alter vero diebus quatuor supervixit. Valentinianus iunior cum transisset in Galliam, et tranquillam rem publicam in pace regeret, apud Viennam a suis occiditur cum adhuc catechumenus esset; baptismum enim distulerat, quia propter devotionem cupiebat a beato Ambrosio baptizari. Quod cum audisset sanctus antistes, vehementissime doluit, et de eius morte librum lamentationis conscripsit.

Theodosius bene iam re publica tranquillata apud Mediolanum constitutus obiit anno ·xvii· regni sui, Domini anno ·ccc·xcviii Post quem filii eius Arcadius et Honorius pariter imperium divisis tamen sedibus tenuerunt, et imperant annis ·xiii· Floruit Iohannes chrysostomus primo presbyter antiochenus, postea archiepiscopus constantinopolitanus. Romae etiam Paulus Orosius (1) beati Augustini discipulus floret, qui multa librorum opuscula edidit; itemque ad beatum Augustinum scribens chronicam ab exordio mundi incipiens usque ad finem suorum temporum luculento sermone produxit. Hoc tempore obiit magnus Didymus aetatis suae anno ·lxxxv·, anno secundo imperii Arcadii et Honorii, anno vero Domini ·ccc·xcix· Beatissimus Martinus obiit aetatis suae anno ·lxxxi·, episcopatus vero sui anno ·xxvi·, cuius transitum beatus Severinus coloniensis episcopus existens Coloniae vidit, et angelos cantantes audivit. Nec non et beatus Ambrosius Medio-

(1) Cod. *ditissimus* mendose pro *Orosius*.

lani existens, Turonibus eius exequias celebravit, sicut plenius legitur in vitis eorum. Anno quoque tertio dictorum imperatorum, Domini autem ·cccc· (1) beatus Ambrosius Mediolani obiit. Hic tantae pietatis tantaeque dulcedinis extitit, quod cum illi aliquis lapsum suum confessus fuisset, ita compungebatur in fletum, ut etiam flere compelleret ei confitentem.

XLIII. ANASTASIUS ·I·

Anastasius primus natione romanus, ex patre Maximo, coepit anno Domini ·cccc·iiii·, in quibusdam vero chronica invenitur ·cccc·v· Sedit annis ·ii·, diebus ·xxvi· Vacavit sedes diebus ·xxi· Hic constituit, ut qui caret aliquo membro, non possit fieri clericus (2). Hoc tempore florebant Iohannes chrysostomus et Orosius historiographus supra memorati. Hieronymus quoque librum de illustribus viris composuit. Hic Anastasius constituit ut quotienscumque evangelium recitaretur, presbyteri et clerici non sederent. Item constituit ut nullus transmarinus ad clericatus officium vel honorem susciperetur, nisi quinque episcoporum sigillis signatum exhiberet chirographum propter Manichaeos. De hoc Anastasio dicit Hieronymus quod eius diuturna vita mundus inmeritus fuerit.

XLIIII. INNOCENTIUS ·I·

Innocentius primus albanensis, ex patre Innocentio, coepit anno Domini ·cccc·vii·, in quadam vero chro-

(1) Vulgo et verius .ccc.xcvii.

(2) Hoc videtur mendose huc traici ex epistola quarta Innocentii ·I·

nica scribitur ·cccc·viii· Sedit annis ·xv·, mensibus ·ii·, diebus ·xx· Vacavit sedes diebus ·xxi· Hic constituit sabbato ieiunium celebrari, quia sabbato Dominus iacuit in sepulcro, et discipuli ieiunaverunt. Hic fecit constitutum de ecclesia et regulis monasteriorum, et de iudaeis et de paganis, et multos Cataphrygas invenit, quos in exilium relegavit, et Caelestianos damnavit. Constituit etiam ut qui natus fuerit de christiana, per baptismum denuo debeat renasci. Hic decrevit ad missam pacis osculum dari. Idem constituit oleo ad usum infirmorum ab episcopo consecrato uti non tantum presbyteros sed etiam omnes alios christianos. Idem excommunicavit Arcadium imperatorem (1), quia consensit ut sanctus Iohannes chrysostomus a sua sede constantinopolitana pelleretur ab Eudoxia uxore sua propter praedicationem quam fecerat contra eam, eo quod circa imaginem eius quam erexerat, mulieres et puellas ludere, quod Chrysostomus praedicavit vitium esse idololatriae. Florebant in ecclesia Dei Donatus Cypri episcopus, Severinus agrippinensis, Servatius decimus tungrensis episcopus. Hieronymus et Rufinus, orta inter se simultate super quaestionibus scripturarum, libros invectionum satis quidem luculento sed nimis mordaci sermone in alterutrum conscribunt.

Anno Arcadii et Honorii octavo Romae Alexii romanorum nobilissimi, ex patre Euphemiano, declarata est vita; qui prima nuptiarum nocte sponsam relinquens pro Christo peregrinaturus, per ·xvii· annos in Edessa urbe, tandem per imaginem sanctae Mariae divulgatus, indidem fugit, et ad portum romanum prae-

(1) Extat quidem huiusmodi damnationis epistola Innocentii, ex auctoribus sequioris aevi sumpta, apud Baronium ad Ch. annum 407. n. 23: verum eam recte dicit spuriam Pagius.

ter voluntatem suam applicuit, et a patre suo Euphemiano, qui diu eum quaeri fecerat, ut pauper in urbe recipitur, et nulli cognitus per alios ·xvii· annos in hospitio patris moratur, et vitam suam in charta describens moritur, qui divina voce manifestatus stupore affecit et gaudio totam urbem. Pachomius ·c·x· agens annum in virtutibus consummatur. In Britannia Pelagius execrabili doctrina Dei ecclesiam nititur perturbare dicens, hominem sine gratia Dei suis meritis unumquemque ad iustitiam propria voluntate regi; infantes sine peccato originali nasci, tamque insontes esse quam insons fuit Adam ante praevaricationem; nec ideo baptizandos esse ut a peccato solvantur, sed ut per adoptionem in regnum Dei admittantur; qui etsi non baptizarentur, esse cum eis regnum Dei aeternum et beatam vitam; Adamque solum suo peccato laesum esse, non ex culpae merito sed ex conditione naturae, qui mortuus fuisset etsi non peccasset. Dicebat quoque irritas orationes quae fiunt ab ecclesia sive pro fidelibus sive pro infidelibus. Hunc Pelagium, et Caelestium ac Iulianum complices eius, Innocentius papa damnavit, Hieronymus vero et Augustinus, aliique fideles armis veritatis eosdem impugnarunt.

Arcadius imperator ossa Samuelis prophetae a Iudaea Constantinopolim transtulit, tam hilariter occurrentibus turbis ac si viventem cernerent. Anno Arcadii nono Paula in Bethleem obiit, cuius vitam Hieronymus scripsit. Augustinus afer, oppidi hipponensis episcopus, in ecclesia philosophatur, vir quidem eruditione divina et humana orbi clarus, fide integerrimus, vita purissimus, debellator haereticorum, defensor fidelium, et sanctissimorum palma certaminum. Huius librorum, tractatuum, et epistolarum numerus

plusquam ad triginta milia extenditur, multis numero non comprehensis. Scripsit enim quanta nec inveniri possunt; ut merito id dictum ei conveniat " mentitur qui te totum legisse fatetur. „ Hic in quibusdam nimia difficultate reconditus, in quibusdam vero sic planissimus, ut et parvulis probetur acceptus; cuius aperta, suavia sunt; obscura, magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Huius autem ingenii vivacitatem siquis noscere desiderat, libros confessionum eius legat, ubi se refert omnes mathematicas disciplinas sine magistro comprehendisse, quas aliis sub doctis expositoribus vix datur attingere. Claret Severus cognomento Sulpicius ex aquitanica provincia, litteris nobilis, et paupertatis atque humilitatis amore conspicuus, qui vitam beati Martini et alia multa conscripsit. Tichonius afer claret in divinis scripturis evidentissimus. Hic regulas ·vii· ad inveniendam et investigandam intelligentiam scripturarum composuit, quas in volumine uno conclusit. Exposuit quoque apocalypsin Iohannis ex integro, nihil in ea carnale, sed totum intelligens spirituale; in qua expositione dicit angelicam stationem corpus esse.

Anno Domini ·cccc·xi· Honorius post mortem Arcadii, cum fratruele suo Theodosio iuniore imperat annis ·xv· Hoc tempore femina magnitudinis giganteae de parentibus nostrae staturae nata, multis fuit stupori. Sub hoc tempus martyrizantur multi, inter quos fuit Autidius vesuntinus episcopus. Franci saepe Gallias incendentes diripiunt. Prima et secunda irruptione succendunt urbem Treviros. Anno Honorii septimo corpora sanctorum protomartyris Stephani, et Nicodemi, Gamalielis, atque Abibae, Luciano presbytero revelata sunt. Anno nono Honorii Suinione et Marcomiro ducibus Francorum defunctis, Franci in commune deli-

berant, ut et ipsi sicut aliae gentes unum regem habeant; et filium Marcomiri ducis Faramundum nomine ordinant sibi regem, qui regnavit annis ·xi· Anno Honorii undecimo beatissimus Hieronymus apud Bethleem obiit anno aetatis suae ·xcviii· *, circa annum Domini ·cccc·xxi· Hic usque ad finem vitae suae interpretando et exponendo scripturas totum tempus expendit, litteris hebraicis graecis et latinis incomparabiliter eruditus, totus divinae scripturae deditus, semper aut legens aut scribens, ecclesiae murus immobilis. Hic denique per annos ·lvi· libris suis confectis, ita corpore prae laboribus exhausto defecerat, ut surgere de lecto nequiret nisi apprehenso manibus fune qui ad hoc pendebat ex trabe. Innocentius vero papa obiit ·v· kal. augusti, sepultusque est Romae ad ursum pileatum.

* *ita cod.*

XLV. ZOSIMUS.

Zosimus natione graecus, ex patre Abrahamio, coepit anno Domini ·cccc·xxii·, in quadam vero chronica dicitur ·cccc·xxiii· Sedit anno ·i·, mensibus ·viii·, in alia chronica dicitur annis ·ii·, diebus ·xv·, in alia denique chronica invenitur diebus ·xxv· Vacavit sedes diebus ·xi· vel ·xv· Hic constituit ut servus nullo modo clericus fieret, et ut in sabbato sancto cereus benedicatur, et nullus clericus potum in publico venderet.

XLVI. BONIFACIUS ·I·

Bonifacius primus natione romanus, ex patre Iucundo presbytero, coepit anno Domini ·cccc·xxv· Sedit annis ·iii·, mensibus ·viii·, diebus ·xiii· Vacavit sedes die-

bus ·ix· Hic decrevit ut nulla mulier aut monacha aut vidua pallam sacratam altaris contingeret aut lavaret, et ut servus aut noxius curiae non fiat clericus. Anno Domini ·cccc·xxvi· mortuo Romae Honorio imperatore, Theodosius iunior solus imperat annis ·iii·

XLVII. CAELESTINUS ·I

Caelestinus primus natione romanus, in quadam vero chronica dicitur natione campanus, ex patre Prisco, coepit anno Domini ·cccc·xxviii·, in quadam autem chronica invenitur ·cccc·xxix· Sedit annis ·viii·, mense ·i·, diebus ·ix· Vacavit sedes diebus ·xxi· Hic constituit ut psalmus " iudica me Deus et discerne causam meam „ diceretur ante introitum missae; et psalmus ·cl· ante sacrificium psalleretur, canendo ab omnibus antiphonatim quod antea non fiebat, sed epistolae Pauli et evangelium legebantur; et ex hoc instituti sunt introitus et gradualia similiter et offertoria ante sacrificium. Anno Domini ·cccc·xxxi· vir illustrissimus Germanus pontificatum antisiodorensem suscepit, in quo per ·xxx· annos tamquam clarissimum sidus incomparabili luce claruit. Iamvero qualem et quantum se exhibuerit, lingua mortalis explicare non sufficit, quia supra hominem fuit omne quod gessit; cuius talis extitit vita, ut si miraculis caruisset, incredibilis videretur; tanta autem fuerunt miracula, ut nisi piae conversationis merita praecessissent, phantastica putarentur.

Theodosius Arcadii filius, nepos Honorii, imperat annis ·xxvii· Hic tertio anno imperii sui, scilicet anno Domini ·cccc·xxviii·, Valentinianum Placidiae amitae suae filium secum imperatorem fecit, et Placidiam designavit augustam, et utrumque Romam ad imperan-

dum direxit, simulque annis ·xxiiii· regnaverunt. Paulinus nolanus episcopus claret, qui rogatu beati Augustini vitam beati Ambrosii scripsit (1), signis florentem atque doctrina et meritis apostolorum non imparem. Hic cum esset innumerabilium praediorum dominus, admirabili exemplo venditis omnibus, religionem expeditus elegit, cui Therasia ex coniuge facta soror bonae vitae testimonio adaequatur. Hic se ipsum pro filio viduae pauperis in servitutem barbarorum episcopus factus addixit; sed divinitus proditus quis esset, multos captivos restituit libertati. Iohannes Cassianus a Iohanne chrysostomo diaconus ordinatus, sed postea de ecclesia constantinopolitana ab ipso eiectus, apud Massiliam Galliae urbem presbyteri honorem adeptus scripsit experientia magistrante, librato sermone, et ut apertius dicam, sensu verba inveniens, et actione linguam movens, res omnium monachorum professioni necessarias, et in Aegypto compertas vitas patrum doctrinasque et regulas datas, ac plurimos libros exposuit.

Anno Domini ·cccc·xxx· Clodius seu Clodion Faramundi regis filius crinitus super Francos regnare coepit, imperavitque annis xix· Ex hoc Franci crinitos reges habere coeperunt. Caelestinus papa misit in Hiberniam sanctum Patricium, genere britonem, filium Conches sororis beati Martini turonensis, in baptismo quidem dictum Suchad, a sancto Germano Magonum, a Caelestino vero papa Patricium, a quo est Scotorum (2) archiepiscopus ordinatus. Hic per ·xl· annos signis sanctitate et doctrina excellens, totam insulam Hiberniae convertit ad Christum. Tertia synodus universalis,

(1) Immo alter est Paulinus, presbyter mediolanensis, vitae ambrosianae auctor.

(2) Scoti tunc iidem qui Hiberni.

ephesina prima, ·cc· episcoporum iussu Theodosii iunioris edita est, quae Nestorium duas personas asserentem in Christo anathemate condemnavit, ostendens manere in duabus naturis unam domini nostri Iesu Christi personam, ut et beata virgo Maria theotocos, id est mater Dei, appelletur.

XLVIII. SIXTUS ·III·

Sixtus tertius natione romanus, ex patre Prisco, de regione Caelii montis, coepit anno Domini ·cccc·xxxvi· Sedit annis ·viii·, diebus ·ix·, in quadam vero chronica invenitur diebus ·xviii·, in alia denique chronica diebus ·xxix· Vacavit sedes diebus ·xxii· Hic constituit ut nullus clericum in parochia alterius ordinare praesumat. Hic congregata synodo purgavit se coram ·lvi· episcopis de crimine quod ei Bassus coram Augusto imposuerat, et Bassus fuit in concilio condemnatus. Hic aedificavit ecclesiam sanctae Mariae maioris, quae dicitur ad praesepe, sicut scribit Isidorus in chronicis suis, et Paulus diaconus Cardinalis. Hic etiam multas basilicas alias auro argentoque decoravit, et multa pauperibus distribuens obiit, sepultusque est in via tiburtina iuxta corpus sancti Laurentii.

Wallia rex Gothorum Wandalos insectans, persequi eos in Africa disponit, sed morte praeventus, Theodoricum habuit regni successorem. Wandali igitur Africae navibus irruentes, provinciam universam devastant rapinis, caede, incendiis, nulli ordini, nulli sexui, vel aetati parcentes. Sub hoc turbine tribulationis beatissimus Augustinus amarissimam et lugubrem, prae ceteris suae senectutis hominibus, iam paene vitam duxit extremam, videns tantam saevitiam ubique

grassari, videns alios hostili nece extinctos, alios effugatos, ecclesias sacerdotibus viduatas, civitates cum suis accolis dissipatas. Accrevit denique causa macroris ipsius, quod sub ipsius tempore Hipponensem urbem cui pontifex praeerat barbari obsederunt. Sed ecce tertio obsidionis mense febribus decubuit; sibique septem paenitentiales psalmos scribi iussit, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus infirmitatis suae intuebatur et legebat, et ubertim ac iugiter flebat. Et ne impediretur a quoquam eius intentio, ante fere ·x· dies migrationis suae petiit ad se nullum ingredi nisi iis tantum horis quibus medici ad eum inspiciendum ingrediebantur, vel cum ei refectio portabatur. Obsidionis deinde mense ·xiii· coram positis fratribus et orantibus migravit ad Dominum anno aetatis suae ·lxxvi·, clericatus vero vel episcopatus sui anno ·xl·, praefulgidum sapientiae lumen, propugnaculum veritatis, errorum excidium, fidei tutamentum. Hic omnes ecclesiae doctores ingenio vicit; incomparabiliter florens tam exemplis virtutum quam affluentia doctrinarum. Etenim tanta scripsit, ut non solum ab aliquo toto tempore vitae suae scribi, sed ne lectione quidem possint percurri. Obiit anno Domini ·cccc·xxx· (1)

XLVIIII. LEO ·I·

Leo primus natione tuscus, ex patre Quintiano, coepit anno Domini ·cccc·xliii· Sedit annis xxi·, mense ·i·,

(1) Annum .cccc xl. scribit noster. Sed quis ignorat S. Augustinum obiisse anno .cccc.xxx? Notam igitur numeralem correxi, narrationem tamen ad pontificatum Caelestiai non retraxi, ne codicis seriem gravius perverterem.

diebus ·xxv· Vacavit sedes diebus ·vii· Hic in homiliis dictandis multum effloruit, mirabili sanctitate praecipuus, incomparabili eloquentiae venustate praeclarus. Hic misit epistolam Marciano augusto, et eius coniugi, omnem fidem exponens. Misit quoque ad Flavianum episcopum constantinopolitanum epistolas ·viii·, inter quas scripsit unam adversus Eutychem de incarnatione domini nostri Iesu Christi, in qua redarguit eius blasphemiam. Hic quidem, cum ad Flavianum scriberet contra Eutychem epistolam, antequam mitteret, Romae super altare sancti Petri posuit, et per ·xl· dies ieiuniis et orationibus et vigiliis rogavit sanctum Petrum, ut si quid esset in eadem epistola emendandum ad fidei propter quam scripta erat informationem, ipse dignaretur corrigere et emendare; id quod factum est. Nam in fine ·xl· dierum invenit eandem epistolam in omnibus ad propositum correctam et emendatam, hoc sibi sancto Petro revelante. Hic Leo papa addidit in canone missae " sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. „

Anno Theodosii iunioris ·xxiii· apud Ephesum ·vii· fratres dormientes, qui a Decio imperatore pro Christo cruciati se clauserant in spelunca, post annos suae dormitionis ·c·lxxxxii·, ostio speluncae quod Decius obstrui fecerat divinitus patefacto, surgunt; et coram Theodosio fide nostrae resurrectionis, quam quidam haeretici contradicere intendebant, asserta, iterum obdormierunt in Christo. Anno Domini ·cccc·xlviii· Meroveus, qui aliter dicitur Merion, filius Clodii seu Clodionis, regnat super Francos annis ·x·, a quo nimis utili rege, Franci cognominati sunt Merovingi seu Merovei. Anno Theodosii ·xxv· Remigius remensis nascitur. Eodem anno beatissimus Germanus cum Severo trevirensi episcopo in Britanniam missus transfre-

tat, ibique renascentem haeresim pelagianam extirpat. Porro inde rediens Italiam adiit, ubi apud Ravennam a Valentiniano et Placidia matre eius cum summa veneratione susceptus, paucis transactis diebus vidit in somnis se a Christo vocari, datoque viatico, de peregrinatione ad patriam migravit anno Domini ·cccc·l·, episcopatus sui ·xxx· Eius corpus sicut ipse petierat Antisiodorum reportatum est kal. octobris, et dignae traditum sepulturae. Hic praeter alia miracula tres mortuos legitur suscitasse, unum Aurelianis praesente Aniano episcopo; alterum in Italia praefecti filium; tertium discipulum suum, quem revoluto sepulcro cum ex nomine appellasset, interrogassetque quid ageret, et an vellet adhuc secum militare; ille spiritu resumpto resedit dicens, sibi cuncta constare suavia, nec velle huc ulterius revocari; sicque deposito capite rursus obdormivit.

Theodosius iunior imperator obiit, post quem Marcianus a militibus imperator creatus est, Valentiniano iuniore adhuc in occidentis partibus imperante. Anno igitur Domini ·cccc·lii·, in quadam vero chronica dicitur ·xlix·, in alia denique ·liii·, Marcianus cum Valentiniano imperat annis ·vii· Hic litteris apprime eruditus, scripturarum studiosissimus fuit. Hoc anno ob instantiam Leonis papae congregata et habita est quarta universalis ·dc·xxx· episcoporum apud Chalcedonem, in qua constantinopolitanum abbatem Eutychem pronunciantem verbum Dei in carne unam naturam, eiusque defensorem Dioscorum alexandrinum quondam episcopum, una patrum sententia condemnavit. Anno Marciani imperatoris secundo, et Merovei regis Francorum quinto, Attila Hunnorum rex Wallameris Westgothorum regis et Andarici Gepidarum aeque regis,

et multarum aquilonarium gentium sibi subiectarum auxilio fretus, e Pannoniis egressus occidentale imperium invadit cum quingentis milibus armatorum. Et primo per totas Gallias tanta per eos Dei efferbuit indignatio, ut nullam omnino civitatem castellum vel oppidum aliqua a furore eorum potuerit tueri munitio. Postremo Aurelianensem civitatem eis obsidentibus, ad subsidium Galliarum advolavit patricius romanorum Aëtius, fultus et ipse Theodorici Westgothorum regis, et Merovei Francorum regis, aliarumque gentium copiis militaribus; consertoque proelio in campis catalaunicis pugnatum est usque ad noctem: Aëtius quidem superior recessit, Attilam tamen non usque ad internecionem delevit. Caesa sunt ·c·lxxx· milia pugnatorum, inter quos etiam cecidit Theodoricus rex Gothorum. Attila resumpta spe ex Aëtii discessu repatriavit, maturius expleto exercitu reversurus.

Nicasius remensis episcopus cum Eutropia sorore sua martyrizatur. Sub hac tempestate destructae sunt paene omnes Galliae civitates ac Germaniae, Remi metropolis, Carnutum, Atrebatum, Treviri, Tungrae, Tornacum, Morinum, Colonia, Ambiani, Beluacum, Parisii, Maguntiacum quondam nobilis civitas Germaniae, Nemetes, Lugdunum, Narbo, et aliae innumerae, circum adiacentiaque castella, quorum nomina ob fastidium legentium omittuntur. Sanctus Exuperius et Saturninus meritis suis servarunt Tolosam, Lupus Trecas, Servatius Traiectum, Anianus Aurelianos; Brictius, immo antecessor eius venerandae humilitatis Martinus, Turonas. Ecclesia tandem Metensis cum omnibus qui ad eam confugerant, a beato Stephano, in cuius honore est, infulato super ecclesiam ipsam sollemniter apparente, et ex ampulla aquam super incen-

dium iactante, liberata est. Undecim milia virginum hoc tempore ab Hunnis Coloniae caesa sunt. Huic autem contradicit, quod in quadam chronica legitur, et superius scriptum est sub Cyriaco papa, quod harum passio facta fuerit tempore dicti Cyriaci. Verius autem videtur quod tempore isto Marciani imperatoris passae fuerint, quo tempore Hunni, qui Hungari nunc dicuntur, multas civitates et oppida Galliarum et Germaniae devastarunt.

Leo papa Attilam praedictum, postquam de Pannonia in Italiam regressus fuisset, et per triennium Aquileiam obsidens cepisset, ferro igneque consumptam, ac Veronam, Vicetiam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, que nunc Papia dicitur, diripuisset; Leo, inquam, papa ne Attila Romam veniens idem faceret, coram adiit ipsum ubi circa Padum morabatur, et non solum romanam sed etiam totius Italiae salutem reportavit. Et mirantibus omnibus barbaris, cur sic Attila honorifice contra consuetudinem Papam recepisset, et in omnibus exaudisset, respondit se vidisse senem quendam venerabilem, calvum, vultu terribilem, prope astitisse cum evaginato gladio sibi mortem minitantem, nisi Papae voluntatem expleret. Unde statim de Italia exiens in Pannoniam rediit. Idem quadam nocte in nuptiis crapulatus, emanante per apoplexiam de naribus sanguine, suffocatus est. Claruerunt hoc tempore Genovefa virgo parisiensis, Eucherius lugdunensis archiepiscopus, et Hilarius arelatensis, et Musaeus massiliensis ecclesiae presbyter, qui hortatu sancti Venerii episcopi massiliensis de divinis scripturis lectiones totius anni excerpsit festis diebus aptas, responsoria et psalmos et capitula tempori et diei congruentia.

Anno Domini ·cccc·lix·, in chronica vero Vincentii dicitur ·cccc·lviii·, Leo primus imperavit annis xviii. Floruit hoc tempore sanctus Anianus aurelianensis episcopus. Sanctus quoque Simeon apud Antiochiam, qui ·xl· annis stetit in columna inclusus, qui etiam inter cetera monebat ne quis per Dei vel sancti alicuius nomen iuraret, sed per nomen Simeonis, promittens impunitatem in se deierandi se postulaturum a Deo. Anno primo Leonis imperatoris Childericus post Meroveum patrem suum Francorum regnum suscepit, tenuitque ·xxvi· annis. Anno dicti Leonis imperantis septimo Elisaeus propheta de Samaria ubi multis claruerat miraculis, Alexandriam transfertur. Per idem tempus beatus Mamertus viennensis episcopus floruit, qui tres dies rogationum ante ascensionem Domini instituit celebrari. Eudoxia augusta, Valentiniani uxor, filia Theodosii iunioris Hierosolymam ex voto properat, et inde reliquias protomartyris Stephani et duas catenas, quas angelus de manibus beati Petri excusserat, Dei nutu Romam attulit, eisque adiuncta est catena, qua etiam Romae beatus Petrus vinctus fuit; et ideo romanus pontifex sollemnitatem quae dicitur ad vincula kal. augusti Romae fieri instituit, idcirco maxime ut revocaret a pompa superstitionis gentilem populum. Adhuc enim sollemnizabat civitas illa die ob victoriam Octaviani de Antonio et Cleopatra habitam eadem die (1). Leo papa sepultus est Romae in basilica sancti Petri. In martyrologio Usuardi scribitur: tertio idus aprilis Romae natalis beati Leonis papae, cuius temporibus facta fuit synodus chalcedonensis.

(1) In mense consentit Macrobius Saturn. I. 12. Sed tamen confer Petavium de doctrina temp. lib. x 71.

L. HILARUS.

Hilarus natione sardus, ex patre Crispino, coepit anno Domini ·cccc·lxv· Sedit annis ·vi·, mensibus ·iii, diebus ·x· Vacavit sedes diebus ·x· Hic decrevit ut nullus pontifex successorem sibi constituat. Fecit ad sanctum Laurentium balneum et monasterium, ibidemque sepultus est iuxta corpus eiusdem martyris. Floruit hoc tempore Prosper natione aquitanicus, beati Leonis papae notarius, qui apud Rhegium Italiae urbem factus episcopus doctrina et miraculis claruit, ibique honorifice quiescit.

Per idem tempus, ut historia Britonum testatur, in Britannia regnabat Artus, qui et Arturus dicitur (1), filius Utheri cognomento Pendagi, quem ex uxore ducis Cornubiae in adulterio procreavit, qui praedecessoribus suis longe fuit insignior, tam honore potentia et largitate quam fama, cui tantam gratiam innata bonitas praestiterat, ut a cunctis fere populis amaretur; siquidem bellicosus et inclytus fuit, resistentes sibi potenter debellans, pacem vero quaerentes libenter suscipiens. Propter hoc, ut fertur, Franciam acquisivit, Flandriamque et Aquitaniam possedit, Norvegiam, Daniam, ceterasque maritimas insulas sibi servire coëgit. Lucinum etiam romanorum consulem in bello prostravit, caputque eius loco vectigalis Romam transmisit. In proelio denique letaliter vulneratus, secessit in insu-

(1) Confer de Arturo Scriptores rer. angl. post Bedam p. 9. et p 313. Sed longe copiosiora de Arturi ac Merlini historiis dabunt tibi fabulosi auctores, quos recenset vir illustris et doctissimus, longa mecum amicitia coniunctus, Caietanus de comitibus Meltiis mediolanensis in opere a se edito *bibliografia dei romanzi* etc. p. 309. seqq.

lam Avallonis ad curanda vulnera sua, et deinceps de vita ipsius Britonibus nulla certitudo remansit. Haec de Arturo dicta sint, ne a nobis omnino praetermissum videatur quod tam crebro ab omnibus ventilatur. Verum nonnullam diffidentiam nostris animis iugerit, quod de Arturo nulla prorsus mentio in ceteris historiis habeatur, cum tanta ut dicitur nobilitate claruerit, ut omnes qui eum praecesserunt in regno Britannorum superaverit. Temporibus praedicti Utheri regis fuit in Britannia Merlinus vates ex incubo et moniali genitus, quae filia regis Demetiae in ecclesia sancti Petri in urbe Kaermedio degebat. De isto Merlino leguntur multa in historia Britonum.

LI. SIMPLICIUS.

Simplicius natione tiburtinus, ex patre Castino, coepit anno Domini ·cccc·lxxii· Sedit annis ·xv·, mense ·i·, diebus ·vii· Vacavit sedes diebus ·vi· Hic dedicavit basilicam sancti Stephani iuxta basilicam sancti Laurentii, nec non basilicam sanctae Bibianae martyris ubi corpus eius requiescit cum quatuor milibus et ducentis ·lvii· sanctorum corporibus, exceptis parvulis et mulieribus. Hic constituit ad sanctum Petrum et ad sanctum Paulum ut ·vii· presbyteri per hebdomadas manerent propter paenitentes et baptizandos, et fecit ·v· regiones presbyteris dividendas; primam regionem ad sanctum Petrum, secundam ad sanctum Paulum, tertiam ad sanctum Laurentium, quartam ad sanctum Iohannem, quintam ad sanctam Mariam maiorem. Idem constituit ut nullus clericus iuvestituras a laico accipiat. Huius tempore Merlinus vates praedictus dicitur in Britannia fuisse, sicut in quadam chronica invenitur.

Anno Domini ·cccc·lxxiiii· Zenon imperat annis ·xviii· Hunnericus rex Wandalorum Deo odibilis arrianorum fautor immanissimam ecclesiis Christi in Africa persecutionem intulit, multosque orthodoxos diversi ordinis diversaeque aetatis ad numerum nongentorum lxxvii· in exilium trusos diversis in locis, diversis temporibus, diversis poenis excruciavit ad mortem. Franci post Wandalos qui fuerunt Poloni, post Alanos qui sunt Vasculi in finibus Vasconiae et Navarrae hodie habitantes, post Gothos qui fuerunt Daci, et post Hunnos qui et Hungari, lacessunt Gallias non tamen ut eas habeant direptioni, sed ut sint sibi perpetua habitatione.

Hunnericus praedictus Wandalorum rex in ecclesiam Dei gravius efferatus omnes Africae episcopos quasi ad synodum convocat; et effugatis et exulatis quadringentis ·xliiii· episcopis catholicis, ecclesias clausit et arrianis dedit, plebem miris suppliciis afflixit, et innumeram multitudinem catholicam pro fidei veritate peremit, innumeris etiam manus abscidens; et ut catholicae fidei confessionem auferret, linguas quoque praescindens, paene totam Africam in catholica veritate fundatam, unam quodammodo martyrem fecit; Lactum episcopum incendio concremavit, Eugenium vero carthaginensem episcopum et clericos supra quingentos cruciatos multis modis exulavit.

LII. FELIX ·III·

Felix tertius natione romanus, ex patre Felice presbytero de regione Fasciolae, coepit anno Domini ·cccc·lxxxvi· In quadam vero chronica invenitur ·cccc·lxxxv· Sedit annis ·viii·, mensibus ·vi·, in quadam autem chronica

scribitur mensibus ·XI·, diebus ·XVII· Vacavit sedes diebus ·V· Hic fecit basilicam sancti Agapiti iuxta basilicam sancti Laurentii martyris. Idem constituit ecclesias ab episcopo esse consecrandas. Huius tempore venit relatio de Graecia, Petrum alexandrinum antea propter haeresim iam damnatum, ab Acacio constantinopolitano revocatum; quod sanctus Felix graviter accipiens, convocato concilio damnavit Acacium et Petrum. Hic etiam duos episcopos, quos ob dictam causam Constantinopolim legatos direxit, quia per imperatorem pecunia corrupti fuerant, convocato concilio condemnavit. Idem constituit quod accusato dandae sunt induciae, ut ad respondendum praeparare se possit, et quod accusatores et iudices tales esse debent qui omni careant suspicione. Sepultus est in basilica sancti Petri vel sancti Pauli. Clodoveus filius Childerici post mortem patris sui regnum Francorum circa annum Domini ·CCCC·LXXXV· obtinuit, quod ·XXX· annis strenuissime rexit.

LIII. GELASIUS ·I·

Gelasius primus natione afer, ex patre Valerio, coepit anno Domini ·CCCC·XCIIII· Sedit annis ·IIII·, mensibus ·VIII·, diebus ·XXVIII· Vacavit sedes diebus ·VII· Hic fecit orationem, hymnos et tractus sicut Ambrosius, et praefationem missae composuit " vere dignum et iustum est " in cotidiano usu. Barnabas apostolus revelatione sua fecit inveniri proprium corpus, cum quo evangelium Matthaei manibus suis hebraice scriptum quod erat reconditum invenitur. Clodoveus quicquid Galliarum sub iure erat Romanorum, transfert ad ius Francorum. Claret quoque Avitus viennensis episco-

pus, scientia saecularium litterarum doctissimus, et sanctitate praecipuus, qui defendit Galliam ab haeresi arriana. Hic metrice de conditione mundi libros composuit. Apparitio sancti Michaëlis in monte Gargano. Zenon imperator obiit anno Domini ·cccc·xciii·, in chronica Vincentii dicitur ·cccc·xcii· Anastasius imperat annis ·xxvi· Hic decus romani imperii eutychianae haereseos illuvie maculavit, favensque haereticis persecutus est christianos. Guntramnus rex in Africa ecclesias catholicorum a patre suo Hunnerico clausas aperuit, et omnes Dei sacerdotes petente Eugenio carthaginiensi episcopo ab exilio revocavit. Quo postmodum defuncto, Transmundus fuit eius successor in regno, qui paternae impietatis heres rursus catholicorum ecclesias in Africa clausit, et ·cxx· episcopos apud insulam Sardiniam relegavit. Hac persecutione Fulgentius ruspensis episcopus multa ab arrianis pro vera fide perpessus, diuturno in Sardinia exilio maceratur.

LIIII. ANASTASIUS ·II·

Anastasius secundus natione romanus, ex patre Fortunato, coepit anno ·cccc·xcviii·, in quadam vero chronica dicitur ·cccc·xcix·, in alia demum anno quingentesimo. Sedit annis fere duobus, in quadam vero chronica dicitur anno uno, mensibus ·xi·, diebus ·xxiii· Vacavit sedes diebus ·iiii· Hic constituit ut nullus clericus praetermitteret officium ira vel rancore, praeter missam. Hic Anastasius excommunicavit imperatorem. Eo tempore multi clerici et presbyteri contra ipsum Papam se erexerunt, et separarunt se ab eius communione, eo quod communicasset Photino diacono thes-

salonicensi, qui familiaris fuerat Acacii damnati per ecclesiam, et quod Acacium restituere voluit (1), licet non potuerit divino indicio percussus, nam intestina egerendo miserabiliter vitam finivit (2).

LV. SYMMACHUS.

Symmachus natione sardus, ex patre Fortunato, coepit anno Domini quingentesimo, in quadam vero chronica dicitur quingentesimo primo. Sedit annis ·xv·, mensibus ·vii·, diebus ·xxviii·. Vacavit sedes diebus ·vii·. Hic constituit ut omni die dominico, et in natali sanctorum " gloria in excelsis Deo „ canatur; et quae sequuntur post verba angeli, addidit in eodem hymno. Hic sub contentione ordinatus est uno die cum Laurentio, Symmachus in basilica constantiniana, Laurentius vero in ecclesia sanctae Mariae maioris, ex qua

(1) Sic loquitur etiam liber pontificalis, cum quo noster quoque historicus errat. Namque Acacium mortuum esse ante pontificatum Anastasii, demonstrant veterum testimonia apud Bellarminum de rom. Pont. lib. IV. 10. Ergo Acacium certe noluit restituere Anastasius; sed neque memoriam eius in diptycha revocare; habemus enim ipsius Anastasii notissimas litteras, quibus mandat Acacii nomen reticeri. Si ergo Anastasius neque Acacio neque eius memoriae favit, quis credat eundem Photino acaciano favisse? Leguntur Bellarminus loco cit., Baronius ad an. 497, Binius in adnot. ad Concil. ubi de Anastasio, ed. Florent. T. VIII. p. 187 Actum quippe agerem si rursus ab his aliisve criminationibus romanos Pontifices post tot apologias defenderem.

(2) Quod divino iudicio percussus obierit Anastasius papa, didicit noster a libro pontificali, cuius libri auctorem mendose transtulisse interitum Anastasii imperatoris (qui fulmine exanimatus fuit) ad rom. Pontificem, iam dixerunt praedicti scriptores. Alteram vero odditam partem de intestinis in moriendo egestis, ex credulo admodum et fabuloso chronographo noster excripsit Martino polono.

causa separatus est clerus, et populus divisus est a senatu; quae res grave dissidium ecclesiae diu usque ad ipsa pertraxit homicidia; donec tandem hanc altercationem compressit Theodorici potestas, hoc aequitatis indicio obtinente, ut Symmachus papa esset qui prior fuerat ordinatus, eique pars magna faveret. Ob cuius dissensionis culpam animam Paschasii diaconi, qui pertinacius Laurentio faverat, alioquin magnae sanctitatis viri, Germanus episcopus capuanus vidit in igne purgatorio positam, prout recitat Gregorius in dialogo (1).

Chlodoveus autem rex Francorum erat adhuc gentilis tam pertinax, ut nec uxor sua Chlotildis christianissima eum ab errore gentili revocare posset, licet id saepius attemtasset. Verum cum contra Alamannos esset egressurus, videns immensos globos hostium cum expavisset, votum vovit Deo, quod si victoriam ei tribueret, ipse christianismum susciperet. Voto itaque fidei se obligans, victoria potiri meruit, et perempto Alamannorum rege, Alamanniam sub tributo redegit. Porro reversus sanctum Remigium adiit, petens se fieri christianum; cumque ad fontem sacri baptismatis pervenisset, nec adesset qui chrisma debuerat afferre, ecce columba caelitus delapsa ampullam chrismatis rostro detulit, de quo Remigius regem in baptismo linivit (2); quae ampulla Remis in monasterio sancti Remigii usque hodie custoditur, et inde omnes reges Franciae inunguntur. Baptizata sunt quoque multa Francorum milia, regis sui exemplo permota. Erat autem annus Domini fere quingentesimus, regni vero sui ·xv· quando

(1) Lib. iv. cap. 40.

(2) Baptizatum Chlodoveum sub Anastasio demonstrat epistola huius Pontificis in concil. Labb. T. iv. p. 1282. Quamquam Baronius aliique cum nostro communem errorem sequuntur.

fidei militiam recepit, et in gente Francorum christianitas dilatata est.

Eodem tempore Symmachus, convocata synodo, ex misericordia constituit praedictum Laurentium nucerinum episcopum. Post paucos vero annos criminatio fit in Symmachum ex invidia per falsos testes, et occulte revocatur Laurentius, et iterum fuit divisus clerus; quidam adhaerent Symmacho, alii vero Laurentio; sed convocata rursus synodo ·cc·xv· episcoporum expurgatus Symmachus de crimine falso cum gloria restituitur, Laurentius vero cum suis condemnatur.

LVI. HORMISDA.

Hormisda natione campanus, ex patre Iusto, de civitate Frusinone, coepit anno Domini ·d·xvi·, in quadam vero chronica dicitur ·d·xvii· Sedit annis ·ix·, diebus ·xvii· Vacavit sedes diebus ·vi· Hic clerum composuit et psalmis erudivit, et graecos reconciliavit, qui ligati fuerant vinculo anathematis propter Petrum alexandrinum episcopum. Floruit sanctus Sacerdos lemovicensis episcopus, a beato Martiali vigesimus nonus, qui patrem suum inveniens sine viatico migrasse, in nomine Domini suscitavit eum, communionem dedit, et pater ipse petita benedictione, et data, mox in Christo quievit. Beata virgo Genovefa octogenaria transit ad Dominum. Virgo Dei Brigida in Scotia obiit. Anno Domini ·d·xix· Sigismundus mortuo Gondebando patre suo regnat in Burgundia.

Chlodoveus christianus factus Aquitaniam subiugat, et eam de manu Alarici regis Gothorum arriani, qui eam romanis abstulerat et Tolosae regnabat, eripuit, precibus beatorum Martini et Hilarii decimo miliario

a Pictavis eum devincens; direxitque Theodoricum filium suum per Albiam et Ruthenam civitatem in Arverniam, qui omnes urbes illas usque in Burgundiam a manu Gothorum liberavit. Chlodoveus autem hiemat Burdegalae, et thesauros Alarici de Tolosa recipit, et per Cadurcum rediens Engolismam obsedit, in cuius adventu muri corruerunt; totaque terra subiugata in Sanctonia, Engolismae et Burdegalae Francos reliquit contra Gothos. Huius Chlodovei nepos Chilpericus filium suum Chlodoveum iu Aquitaniam misit, ut Agennensem et Petrocoriensem pagos subiceret.

Aquitania autem ut dicunt Iulius, Orosius, et Isidorus, et gesta Francorum, tertia pars est Galliarum, tres provincias habens, bituricensem scilicet, burdegalensem, et novempopulanam, quae hodie Auxis in Vascouia est. Bituricensis has habet civitates, Lemovicum, Claromontem, Mimatum, Ruthenam, Albiam, Cadurcum, et exemptam Vellavam quae nunc Anicium sive Podium dominae nostrae dicitur. Burdegalensis habet Pictavos, Sanctonas, Engolismam, Petricorium, Agennam. Auxis habet Vasatum, Baionam, Aquas, Elaronam, Lascuram, Tarbiam, Aduram, Lactoram, Convenas, Couseranum. Habet etiam Aquitania, exceptis his civitatibus, Turonos et Tolosam. Quicquid enim est inter Ligerim et Garumnam et Pyrenaeum et oceanum, totum in partes Aquitaniae cedit; unde Aquitania dicitur, quia Ligeri et Garumna et mari fere circumdatur. Secundum antiquos autem et Isidorum narbonensis archiepiscopus primati bituricensi suberat, ut habetur in decreto caus. IX. cap. *conquestus*. Sed Karolus ducatum ponens Narbone, terram ultra Garumnam usque ad Rhodanum ei adiunxit. Et haec est provincia narbonensis, cuius pars Septimania dicitur.

Chlodoveus autem rex post victos Gothos et Aquitaniam liberatam ab eis, meritis sanctorum Martialis, Hilarii et Martini, dum Turonis fessum exercitum recrearet, ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu, et coronam auream cum gemmis, et tunicam blatteam suscepit (1), et ex ea die consul appellatus est et augustus. Porro Parisios inde reversus, pro tantis honoribus et beneficiis a Deo sibi collatis regalem ecclesiam aedificavit ibidem, quam sanctis apostolis Petro et Paulo consecrari praecepit, quae hodie dicitur sancta Genovefa. Chlodoveus rex regno Francorum per totas Gallias dilatato et legitime ac pacifice confirmato moritur, sepeliturque in monte proximo civitati in ecclesia quam ipse fundaverat ante dicta, anno ·xxx· regni sui, aetatis vero suae ·xlv·, anno Domini ·d·xv· vel ·xvi· Post Chlodoveum quatuor filii eius Theodoricus, Chlodomirus, Childebertus, Chlotarius, regnum inter se partiti sunt. Childebertus Parisios cum Flandria et Normannia sortitus est. Theodoricus Metas cum Germania. Chlodomirus Aurelianos cum Aquitania, Burgundia, et Provincia. Chlotarius Suessiones cum Lothoringia et Francia, ad quem postea regni monarchia devenit, et annis quinquaginta regnavit.

Per idem tempus floruit Cheudechildis filia Chlodovei, virginitate pariter et pietate famosa. Haec in prospectu senonensis civitatis coenobium sibi in honorem apostolorum construxit, multis aedificiis id amplians et praediis locupletans. Quo perfecto, ad dedicandam basilicam cum sancto Eradio tunc senonensi praesule processit; vicinarum quoque urbium praesules affuere; ubi dum in ecclesia pernoctarent, angeli-

(1) Hoc factum anno Domini .dvii. narrat Petavius in fastis, qui et mortuum Chlodoveum anno .dx. adnotat.

cas audiere voces dulcissime concrepantes. Facto autem mane, respicientes altare, viderunt in quatuor angulis et in medio marmoris signacula crucis decenter impressa. Stupentes proinde non sunt ausi ulterius consecrare locum quem cernebant caelitus consecratum. Sigismundus rex Burgundiae, qui monasterium agaunense ob honorem sancti Mauricii sociorumque eiusdem ibi quiescentium construxerat, filium suum Sigericum malo consilio novercae usus peremit. Qui competenti paenitentiae se adiciens, et martyribus agaunensibus se totum devovens, quod venia dignus fuerit, crebra post mortem eius facta miracula attestantur.

Beatissimus Leonardus eo tempore in regno Francorum enituit, qui cum esset civis aurelianensis, et beati Remigii discipulus in Lemovici urbis territorio diaconus existens, longo tempore eremiticam vitam duxit, captivorum spiritualis patronus; qui apud Deum quodam privilegio singulari devote se invocantibus compeditis frequentius adfuisse, exprimentis evidentibus comprobatur. Hormisda papa beato Remigio per id tempus vices suas in regno Francorum commisit. Anastasius imperator eutychiana haeresi pollutus fuit; cui Hormisda legatos sollemnes Constantinopolim dirigens, ipsum monuit ut ab haeresi discederet; qui non solum legatos audire, sed nec videre volens, subito divino iudicio fulminis ictu percussus interiit. Anno Domini ·D·XVIII· Iustinus senior coepit, imperavitque annis ·X· secundum chronicam Vincentii, in chronica vero Martini scribitur annis ·IX· Hic ardore fidei certabat ut haereticos dissiparet, statuitque ut omnes haereticorum ecclesiae, catholicorum religione consecrarentur. Hic Hormisda papa postquam eleemosynas multas pauperibus erogasset, nec non et basilicis di-

versa ornamenta contulisset, apud sanctum Petrum crucem argenteam mille quadraginta librarum reliquisset, ibidem sepultus quiescit.

LVII. IOHANNES ·I·

Iohannes primus natione tuscus, in quadam vero chronica dicitur romanus, ex patre Constantino, coepit anno Domini ·D·XXV· Sedit annis ·II·, mensibus ·VIII·, diebus ·XVIII· Vacavit sedes diebus ·VIII· Boëthius, annuente sibi Symmacho patricio, cum auctoritate romani senatus, contra Theodoricum regem Gothorum arrianum Italiam, quam is premebat, tueri nititur; sed ab ipso fugatus, per triennium exulat. Tandem a praedicto tyranno in territorio mediolanensi iussus est strangulari, ac Papiae postea sepelitur, et cum beato Augustino in eadem ecclesia, quae caelum aureum dicitur, quiescit. In praedicto autem exilio librum de consolatione philosophiae edidit. Hic vir summae prudentiae dialecticam, arithmeticam, musicam, ceterasque artes suo nobilitavit eloquio, aliaque plura composuit, inter quae etiam ad Symmachum patricium mira subtilitate conscripsit de trinitate libellum, in quo dicit beati Augustini vestigia se fuisse secutum; eundemque Symmachum eiusdem Boëthii socerum, nec non et hunc Iohannem papam idem Theodoricus rex Gothorum in Italia tyrannus arriana haeresi pollutus peremit. Coëgit siquidem Iohannem papam ire Constantinopolim ad Iustinum imperatorem, comminatus quod nisi arrianis ecclesias restitueret, omnes christianos per Italiam perimeret gladio. Qui Iohannes papa a Iustino honorifice receptus est; et ad preces eius compatiens neci christianorum, de ecclesiis arrianorum

supersedit imperator, de quibus iusserat ut ubique catholicorum religione consecrarentur.

Interim vero Theodoricus tyrannus Boëthium et quosdam alios viros catholicos gladio trucidavit. Iohannem vero papam, cum iis quibuscum fuerat profectus, postquam redierunt Ravennam ad ipsum, carcerali angustia peremit. Sed hanc ipsius crudelitatem mox animadversio divina secuta est; nam nonagesimo die post hoc facinus subita morte extinctus est, cuius animam quidam sanctus vir eremita vidit per Iohannem papam in ollam Vulcani proiici. Iohannes papa obiit Ravennae in carcere, cuius corpus translatum est Romam, et sepultum in ecclesia sancti Petri. Natalis vero eius recolitur ·v· kal. iunii.

Theodoricus rex filius Chlodovei maior reposcens ab Ermenfrido Thuringiorum rege pactum quo sibi medietatem regni promiserat, insurgit in eum, eoque post nimiam suorum stragem de pugna fugato, et non multo post mortuo, totam Thuringiam subiugavit. Chlotarius Radegundem filiam Bertharii regis Thuringiae, olim a fratre suo Ermenfrido perempti captivat inter alias, et secum adducit, eamque suo matrimonio sociat; sed illa postmodum toro maritali relicto, intra Pictavos cultum religionis arripuit, in quo cursum vitae laudabiliter consummavit. Per idem tempus floruit beatus Benedictus abbas casiuensis, monachorum pater praecipuus, qui spiritu omnium iustorum plenus fuisse dinoscitur. Huic fuit soror beata Scholastica. Huius discipulus beatus Maurus levita fuit, qui in monasterio ab ipso, a duodecimo anno aetatis suae nutritus, iam ·xxii· annorum existens, utpote iam fortis et potens in operibus bonis, cum quibusdam aliis ab eodem patre rogatu beati Bertichramni cenomanensis

episcopi in Gallias mittitur, ut ibidem lucis filios procrearent, et monasticis institutis quae ab ipso sancto patre susceperant, novam generando progeniem confirmarent. Iustinus religiosissimus imperator obiit.

LVIII. FELIX ·IIII·

FELIX quartus natione sabinus, ex patre Castorio (1), coepit anno Domini ·D·XXVII· Sedit annis ·III·, mensibus ·III·, diebus ·XIII· Vacavit sedes mense ·I·, diebus ·XV· Hic constituit ut infirmi ante transitum suum debeant inungi oleo sancto (2). Hic patriarcham constantinopolitanum excommunicavit. Anno Domini ·D·XXVIII· Iustinianus Iustini ex sorore nepos imperat annis ·XXXVIII· Hic vir orthodoxus multa in Deum floruit pietate, litteris vero divinis et saecularibus fuit non mediocriter instructus. Siquidem quosdam libros de incarnatione Domini edidit (3), quos per diversas provincias misit. Libros etiam romanorum legum abbreviavit in uno volumine, quod iustinianum vocatur. Cassiodorus Ravennae senator, post vero monachus, vir ornatus eloquio, claret; qui inter cetera multa quae scripsit, psalmorum occulta patentissime reseravit. Florent quoque Priscianus grammaticus, Gregorius lingonensis, Domitianus tungrensis, Nicetius trevirensis, a quo sanctus Aredius de aulico clericus factus ecclesias in

(1) Cod. *Constantino.*

(2) Hoc a Martino polono sumit noster; idque tantummodo intelligi potest de aliqua constitutione, quae neglectum interdum sacramentum hoc, sedulo adhiberi Pontifex iusserit; de quo loquendi more videsis Catalanum initio commentarii ad hoc sacramentum.

(3) Ex his unum nos vulgavimus inter Scriptores vet. T. VII.

Lemovicino aedificat, et abbas factus miraculis coruscans ad Deum migrat. Hic in villa sui nominis in lemovicensi dioecesi honorifice requiescit. Beatus Valerius de Germania in Aquitaniam veniens coenobium aedificat in territorio sancti Martialis in dioecesi lemovicensi, ubi virtutibus claret.

Childebertus et Chlotarius filii Chlodovei regis Francorum, filios Chlodomiri fratris sui regis Burgundiae a Burgundionibus occisi interfecerunt. Regnum quoque fraternum copulaverunt suo. Unus tamen filiorum evasit nomine Chlodoaldus, qui nobilitatem mundanam ad nobilitatem divinae transferens servitutis, clericus fit et presbyter ordinatur exemplo praeeminens sanctitatis; multisque denique virtutibus plenus migrat ad Deum, et in suburbio civitatis parisiacae sepelitur. Childelbertus et Chlotarius reges Francorum Hispaniam vastant, Caesaraugustam obsistentem premunt. Sed cives beati Vincentii tunicam circumferentes, Dei misericordiam postulabant; quamobrem praefati reges deflexi, pace composita tunicam ipsam munus a civibus receperunt, et Parisios revertuntur. Childebertus vero rex amore sancti Vincentii, extra urbem Parisios in occidentali plaga construxit ecclesiam in honorem ipsius, quae hodie dicitur sancti Germani de pratis, in qua ipsam tunicam posuit, et se fecit postmodum sepeliri. Gilimer perimens Hildericum regem Wandalorum regnat in Africa, qui tantae crudelitatis fuit, ut nec parentibus parceret. Hic etiam quibusdam orthodoxis episcopis linguas radicitus excidi fecit, qui postmodum clare loquendo, multis fuerunt miraculo; quod miraculum unus eorum auxit, qui in elationem versus, statim privatus divino dono obmutuit.

LVIIII. BONIFACIUS ·II·

Bonifacius secundus natione romanus, ex patre Sigismundo seu Sigizvildo, coepit anno Domini ·D·XXXII·, in quadam vero chronica dicitur ·D·XXXI· Sedit annis ·II·, diebus ·XXVI· Vacavit sedes diebus ·VI· Hic constituit ut clerici sint divisi a laicis in celebratione missae. Sepultus est in ecclesia sancti Petri.

LX. IOHANNES ·II·

Iohannes secundus natione romanus, ex patre Proiecto, de Coelio monte, coepit anno Domini ·D·XXXIIII·, in alia autem chronica dicitur ·D·XXXV· Sedit annis ·II·, mensibus ·IIII·, diebus ·VII· Iustinianus augustus aedificavit Constantinopoli munificum templum, quod ἁγίᾳ σοφίᾳ, id est sanctae Sapientiae, qui Christus est, dedicavit. Maurus discipulus sancti Benedicti sanctitate claret in Gallia. Priscianus profunda grammaticae composuit.

LXI. AGAPITUS ·I·

Agapitus primus natione romanus, de regione Iohannis et Pauli, coepit anno Domini ·D·XXXV·, in quadam vero chronica dicitur ·D·XXXVI· Sedit mensibus ·XI·, diebus ·XVIII· Hic ad Iustinianum imperatorem Constantinopolim perrexit; et inveniens ibi Anthimum eiusdem urbis episcopum eutychianae haereseos esse, eo excommunicato et exulato non sine multa altercatione cum imperatore habita, Menuam monachum virum catholicum ipsi substitui fecit. Quibus peractis, ibidem defunctus est; cuius corpus Romam translatum in basi-

lica sancti Petri sepultum est. Beatissimus pater Benedictus monasticae legis lator eximius, virtutum gratia plenus migravit ad Dominum anno imperii Iustiniani senioris octavo, Domini vero ·D·XXXVI·

LXII. SILVERIUS.

Silverius, qui in quadam chronica dicitur Severus, natione campanus, ex patre Hormisda episcopo romano, coepit anno Domini ·D·XXXVII·, in quadam vero chronica dicitur ·D·XXXVIII· Sedit anno ·I·, mensibus ·V·, diebus ·XI· Hoc tempore facta est in partibus Liguriae tanta fames, ut filios suos comederent mulieres. Hic Papa postea cum Anthimum ab Agapito depositum revocare nollet, procurante Theodora imperatrice depositus est, et factus monachus, et ab imperatore, instigante imperatrice, consentiente Vigilio archidiacono suo, qui papatum ambiebat, missus est in exilium in Pontiam insulam, ubi pane tribulationis, et aqua angustiae sustentatus, tandem deficiens mortuus est anno Domini ·D·XL·, cui Vigilius in papatu successit.

LXIII. VIGILIUS.

Vigilius natione romanus, ex patre Iohanne, coepit anno Domini ·D·XL· (1), in quadam vero chronica dicitur ·D·XLI· Sedit annis ·XVII·, mensibus ·VI· diebus ·XXVI· Vacavit sedes mensibus ·III·, diebus ·V· Hic ordinavit missam celebrari in ecclesia in orientali parte. Hoc tempore in una urbium Siciliae constat Theophilum archidiaconum extitisse, qui cupiens promoveri, Chri-

(1) Heic demum noster chronographus conspirat cum notis a*tis in anno suscepti a Vigilio pontificatus.

stum et eius genitricem abnegando homagium diabolo fecit. Qui postquam per diabolum ad id quod voluerat promotus est, ad cor suum rediens, et cum fletu dura paenitentia se affligens, intercedente beata virgine Maria, veniam et gratiam recuperavit. Hoc tempore quinta synodus apud Constantinopolim congregata est sub Iustiniano principe contra Theodorum et omnes haereticos qui beatam Mariam tantum hominem, et non Deum et hominem, genuisse affirmabant.

In Galliis clarent fratres uterini uno eodemque die partu profusi et pontifices consecrati, Medardus noviomensis et Gilardus rothomagensis, et uno die absoluti a saeculo et assumpti a Christo. Hunc Medardum Chlotarius rex Suessionum cum gloria sepelivit in civitate suessionensi duobus annis post transitum beati Remigii. In Campania Italiae Benedictum iuniorem sanctitate clarum rex Totila pro Christo persequens cum in cella sua comburere voluisset, in clibanum ardentem proiecit, qui die altero etiam illaesis vestibus inde exivit. Anno Iustiniani imperatoris undecimo magna fuit mortalitas Constantinopoli, et hypapante Domini sumpsit exordium ut celebraretur secunda die mensis februarii. Hoc tempore in oriente quidam puer filius iudaeorum a coaevis suis christianorum filiis ad ecclesiam ut communicaret adductus fuit; quem pater eius post in fornacem ardentem proiecit, de qua illaesus extractus, dicebat quod illa mulier tenens puerum, quae in ecclesia erat depicta, pallio suo flammas ignis a se eventilabat.

Chlotildis uxor Chlodovei regis Francorum moritur, quae sanctitate venerabilis eundem regem tam oratione quam meritis ab errore gentilitatis avertens, convertit ad notitiam veritatis. Vigilium papam, quemadmodum

et praedecessorem suum, Theodora imperatrix propter Anthimum episcopum constantinopolitanum condemnatum persecuta est. Unde de mandato ipsius Romae captus, de ecclesia sanctae Caeciliae, ubi missam celebrabat, ductus est ignominiose Constantinopolim, ubi cum nollet secundum promissionem suam Anthimum episcopum restituere, colaphizatus de ecclesia sanctae Sophiae in quam fugerat abstrahitur, et misso fune in collum eius per totam civitatem a mane usque ad vesperam tractus, missus est in exilium. Hic Vigilius papatum male obtinuit, quia consensit depositioni Silverii, ut in papatu succederet. Quia tamen cum facti paenituit, et pro fide exilium passus est, feliciter terminavit. Unde revocatus a principe dum per Siciliam redit, calculi dolore afflictus moritur Syracusis, Romamque transfertur anno Iustiniani imperantis ·xvii· Beatus Remigius post multa patrata miracula, longo confectus senio migravit ad Christum, postquam ·lxxiii· annis ecclesiae remensis felicissime tenuerat praesulatum, anno Domini ·dxlvi·, Iustiniani imperantis anno ·xxix·

LXIII. PELAGIUS ·I·

Pelagius primus natione romanus, ex patre Iohanne, coepit anno Domini ·dlviii·, in quadam vero chronica dicitur ·dlvii· Sedit annis ·iiii·, mensibus ·x·, diebus ·xviii· Vacavit sedes mensibus ·iii·, diebus ·xxv· Hic accusatus fuit, quod morti Vigilii papae se immiscuisset, unde coram omni populo tenens crucem et evangelium se a tali infamatione purgavit. Hic constituit ut haeretici vel schismatici per saeculares potestates punirentur. Hoc tempore quidam iudaeus imaginem Salvatoris furtim deponens, ad domum suam delatam

telo transfixit; et cum eam vellet comburere, videns se sanguine cruentatum, prae timore eam domi abscondit; quam christiani quaerentes, et eam per vestigia sanguinis invenientes, sanguinolentam eam recipiunt, iudaeum vero lapidibus obruunt. Anno Iustiniani ·xxxiii· miserabilis in Italia pestilentia accidit. Gregorius filius Gordiani senatoris Romae adolescit, qui sex monasteriis in Sicilia, et septimo Romae domi suae factis, ex praefecto urbano monachus, scientia et doctrina ac sanctitate vitae claret.

Hoc tempore in Scotia sanctus Brandanus clarus habetur, qui Fortunatas insulas septentrionali navigatione requirens, multa miraculo digna vidit; a quo Machutes, qui et Machlovius, regulariter educatus, et ipsius navigationis socius, sanctitate et miraculis in Britannia claruit. Hoc eodem tempore in Galliis mons super Rhodanum diebus pluribus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum ecclesiis domibus hominibus et bestiis in Rhodanum praecipitatur. Chlotarius rex Cramnum filium suum contra se rebellantem, et multa mala in regno suo facientem, in minori Britannia persequitur; Conobrio duci Britonum eidem Cramno auxilium ferenti occurrit; et Conobrium quidem peremit, Cramnum vero captum igni cum uxore, filiis et filiabus eius, consumi fecit. Post hoc Chlotarius de nece filii paenitens ingemuit, sepeliturque defunctus Suessionibus in ecclesia beati Medardi anno Iustiniani ·xxxvi· Post quem quatuor filii eius regno inter se diviso regnaverunt, Chilpericus Suessionibus, Karimbertus seu Haribertus Parisiis, Guntramnus Aurelianis, Sigibertus Metis.

LXV. IOHANNES ·III·

Iohannes tertius natione romanus, ex patre Anastasio, coepit anno Domini ·D·LXIII·, in quadam vero chronica dicitur ·D·LXII· Sedit annis ·XIII·, mensibus ·IX·, diebus ·XXVII·, in quadam autem chronica dicitur annis ·XII·, mensibus ·XI·, diebus ·XXVII· Vacavit sedes mensibus ·X·, diebus ·III· Hic reparavit coemeteria sanctorum martyrum. Anno Domini ·D·LXVI· Iustinus iunior imperat annis ·XI· Huius anno quarto Armenii fidem suscipiunt. Hoc tempore corpus beati Ursini, qui apostolorum fuit discipulus, et primus bituricensis episcopus, divina revelatione extra Bituricas in vineis invenitur, sepeliturque per manus sancti Germani episcopi parisiensis in ecclesia sancti Symphoriani martyris, quae modo beati Ursini nomine obumbrata, martyris vocabulum amisit. Floruit per idem tempus in aula regis Guntramni adolescens strenuus nomine Austregesilus qui pro sua honestate et sanctitate postea archiepiscopus bituricensis fuit. Sanctus Columbanus presbyter veniens de Scotia clarus habetur in Britannia anno Domini ·D·LXVI· Per idem tempus Vedastus vir omni virtute conspicuus et miraculis clarus obiit.

Anno Iustini septimo Gregorius turonensis archiepiscopus ordinatur, a quo inter cetera quae scripsit, virtutes et miracula multa sancti Martini descripta sunt, quae in diebus eius abundantissime provenerunt. Fortunatus poëta vir egregius, ingenio clarus, sensu celeriore suavis floret; qui de Italia Turonos veniens actus sancti Martini quatuor libris heroico metro contexuit; et inde ordinatus est episcopus Pictavorum. Longobardi Italiam capiunt. Per idem tempus beatus Maurus sancti Benedicti discipulus obiit. Hic biennio

ante obitum suum, abbate in coenobio suo quod in pago Andegavensi super Ligerim fluvium construxerat ordinato, pastorale onus deposuit, et assiduae orationi deditus diem vocationis suae cum sancto desiderio expectabat. Tempore Iohannis papae ante adventum Longobardorum in Italiam, igneae acies in caelo visae sunt, de quibus scribit beatus Gregorius in homilia " erunt signa in sole. „ Iohannes papa postquam perfeçit in urbe ecclesiam apostolorum Philippi et Iacobi, et dedicavit eam, sepultus est in basilica sancti Petri. Circa idem tempus sanctus Germanus parisiensis episcopus claret; qui cum aegrotaret, iussit ex opposito sui in muro sculpi ·v· kal. iunii; quo eodem diç migrante, constat eum divino spiritu mortem praescivisse; sepultusque est in ecclesia quae Parisiis usque hodie dicitur ad sanctum Germanum de pratis.

Anno Domini ·D·LXXVII· Tiberius imperat annis ·VII· Hic vir iustus et strenuus, et in pauperes liberalis tanta de thesauris palatii pauperibus erogabat, ut cum increparet Augusta quasi qui rem publicam dissiparet. Cui ille respondebat: confido in Domino quod fisco nostro pecunia non deerit, si de his quae Dominus tribuit, eleemosynas faciendo, thesauros congregemus in caelo. Quadam ergo die dum deambularet in palatio, vidit in marmore pavimenti signum crucis, et ait: cruce Domini frontem munire debemus et pectus, non eam sub pedibus conculcare. Iubet ergo tabellam illam evelli: qua amota, iterum apparuit signum crucis in secunda. Iussit et illam amoveri; et adhuc apparuit tertia: quam admirans, iussit aeque removeri, et thesaurum invenit mirabilem, de quo pauperibus abundandantissime ministravit.

LXVI. BENEDICTUS ·I·

Benedictus primus natione romanus, ex patre Bonifacio, coepit anno Domini ·D·LXXVII·, in quadam vero chronica dicitur ·D·LXXV·, in alia denique invenitur ·D·LXXIX· Sedit annis ·III·, mense ·I·, diebus ·VIII·, in quadam vero chronica dicitur annis ·IIII· Vacavit sedes mensibus ·III·, diebus ·X· Chilpericus rex Francorum fratrem suum Sigibertum minis per se, et per filium suum Theodebertum urget plus quam civili bello. At Sigibertus dum se videt a fratre urgeri, ei repugnans congreditur, in quo proelio Theodebertus filius Chilperici regis perimitur. Francis vero pro Chilperico sibi exoso Sigibertum super se regem levare volentibus, a duobus pueris a Fredegunde Chilperici regis uxore immissis perimitur Sigibertus. Brunichildis uxor eius cum filio Childeberto et Childeberti filiis regnum gubernans, propter insolentiam morum adeo intolerabilis erat Francis, ut merito crederetur de illa vaticinatam fuisse Sibyllam, veniet inquit ut bruma de partibus Hispaniae, ante cuius conspectum gentes vel gentium reges peribunt. Ipsa itaque cum esset omnibus exosa, licet ecclesias Dei multum honorasset, et plura sanctorum coenobia fundasset, et aedificia admirandi operis construxisset, ita ut miraculo fuerit tanta ab ea fieri potuisse, de consilio Francorum in exilium a Chilperico detruditur. Hoc tempore Longobardi invaserunt totam Italiam, comitante multa fame et mortalitate. In quibus laboribus et afflictionibus Benedictus papa mortuus est, sepultusque in basilica sancti Petri.

Pelagius secundus natione romanus, coepit anno Domini ·D·LXXX·, in quadam vero chronica dicitur ·D·LXXXI· Sedit annis ·X·, mensibus ·II·, diebus ·X·, in quadam autem chronica dicitur diebus ·XXV· Vacavit sedes mensibus ·VI·, diebus ·XXV· Hic ordinatus fuit absque iussione principis. Eo tempore Longobardi obsederunt Romam, multaque vastatio ab eis in Italia fuit. Ab isto Pelagio papa Gregorius Constantinopolim apocrisiarius directus, hortatu Leandri hispalensis episcopi libros moralium in Iob composuit. Anno Domini ·D·LXXXIII·, in chronica autem Vincentii scribitur ·D·LXXXIIII·, denique in chronica Sicardi ·D·LXXXV·, Mauritius coepit, imperavitque annis ·XX·, in chronica vero Vincentii dicitur ·XXI· Hic fuit vir fide catholicus, et rei publicae satis utilis. Hic per praetorem suum Persas debellavit, qui Armeniam multis captis episcopis ac popularibus cum ecclesiarum incendio primo imperii sui anno vastaverant.

Anno Mauritii quarto Chilpericus rex Francorum immissu uxoris suae Fredegundis perimitur tali de causa. Haec enim femina forma quidem egregia, sed dolis asperrima, cum esset lasciva cum Landrico comite palatii solebat misceri. Comperiens autem crimen suum non esse incognitum regi, tam sibi quam adultero timens, viro suo redeunti a venatu insidias parans, eum a suis satellitibus fecit occidi. Post quem Chlotarius filius eius infans quatuor mensium regnum obtinuit annis ·XLIIII· Per idem tempus Childebertus Sigiberti regis Francorum filius Virigundem sororem suam Hermingildo Levingildi regis Westgothorum filio in coniugium tradidit; per quam idem Hermingildus ad orthodoxam fidem conversus, iram patris

Levingildi incomparabiliter incurrit. Cumque arrianae communioni nullatenus participare vellet, iussu patris reclusus est in carcere, tandemque ipso die paschae in capite securi percussus occubuit. Per idem tempus coenobium beati Benedicti in monte Casino positum a perfidis invaditur Longobardis, qui universa diripientes, nec unum quidem de monachis potuerunt tenere, completa eiusdem sancti prophetia qui dixerat: vix apud Deum obtinere potui, ut ex hoc loco animae mihi concederentur. Monachi vero ex eodem loco Romam petierunt, codicem sanctae regulae nec non et pondus panis et mensuram vini et quicquid ex supellectili potuerunt subripere, secum deferentes.

Anno Mauritii nono copia tanta facta est pluviarum, ut omnes dicerent diluvium iterum inundare; et tanta clades fuit, ut nullus grandiorem a saeculo fuisse meminerit. Tanta enim inundatione Tiberis fluvius alveum suum egressus est tantumque excrevit, ut super muros urbis influeret, atque in ea maximam partem regionis occuparet; unde et horrea ecclesiae subversa sunt; magnus etiam draco in modum validae trabis cum innumerabili serpentium multitudine per Tiberim in mare descendit, in quo suffocatae bestiae et ad litus proiectae putredine aërem corruperunt; subsecutaque est inde clades hominum inguinaria, quae primum Pelagium papam percussit, ac tantam populi stragem fecit, ut habitatoribus passim subtractis plurimae domus in urbe vacuae remanerent. Dum itaque tanta fit rerum confusio, Gregorius tunc fungens archidiaconatus officio ad papatum eligitur; quem quidem honorem studens omnimode declinare, multa fugae latibula attemtavit, sed tandem comprehenditur. Dumque interim expectatur imperatoris assensus, per

septiformem litaniam placare instituit iram Dei; sed ·LXXX· hominibus praedicta clade in procedendo percussis, tandem lues illa quievit. Porro Mauricius imperator audiens beatum Gregorium a cunctis unanimiter fuisse electum, imperialibus litteris firmat assensum. Sanctissimus igitur Gregorius licet invitus pontificalis dignitatis pondus vel decus suscepit. Anno Domini ·D·LXXXVIII· sancta Radegundis regina moritur, et in monasterio virginum quod Pictavis ipsa construxerat per manus beati Gregorii turonensis sepelitur. Eodemque anno sanctus Sulpicius bituricensis archiepiscopus beati Austregisili successor quievit in Domino.

LXVIII. GREGORIUS ·I·

Gregorius primus, magnus merito appellatus, natione romanus, ex patre Gordiano viro clarissimo et matre Silvia, coepit anno Domini ·D·XC·, in quadam vero chronica scribitur ·D·XCI·, in alia denique dicitur ·D·XCIII· Sedit annis ·XIII·, mensibus ·VI·, diebus ·X· Vacavit sedes mensibus ·V·, diebus ·XVI·, de quo loqui plura esse dignissimum arbitramur, utpote qui tanta gratia enituit, ut mortalis lingua explicare non possit. Hic itaque artibus liberalibus, scilicet grammatica rhetorica et dialectica ita a pueritia fuit instructus, ut quamvis eo tempore ibi potissimum florerent studia litterarum, nulli in urbe putaretur esse secundus; tantoque per gratiam Spiritus sancti lumine scientiae praeditus fuit, ut non modo illi in praesenti quisquam doctorum, sed nec in praeteritis quidem citra ipsum par fuerit umquam. At vero postquam summus pontifex urbis et orbis effectus est, qualem se exhibuerit, quantum omni orbi prodesse curaverit, quantumque devotionis et ae-

dificationis non solum tunc viventibus sed etiam per saecula futuris contulerit, tam exemplo operis quam scripturis, nullus mortalis sermo exprimere valet.

Siquidem ut tantum honorem adeptus est, omnem saecularem pompam ex palatio suo exclusit, et clericorum quosque vel monachorum sibi prudentissimos sociavit, cum quibus persistens, nihil monasticae perfectionis, nihil pontificalis instructionis amitteret. Tanta denique censura mores ministrorum suorum excolebat, ut nullus coram eo barbarum quid vel religioni contrarium sermone vel habitu prae se ferre praesumeret; sed qui forte sanctimonia aut sapientia caruisset, subsistendi coram pontifice fiduciam non haberet. Hic inter multa utilia quae fecit, ecclesiae antiphonarium regulariter concinnavit, et utiliter compilavit; Kyrie eleison a clero ad missam et alleluia extra septuagesimam cantari praecepit. Hic Barbaricinos, Sardos, et Campaniae rusticos tam praedicationibus quam verberibus emendatos a paganizandi vanitate saluberrime revocavit. Donatistarum quoque haeresim penes Africam, Manichaeorum penes Siciliam, Arrianorum penes Hispaniam, scriptorum suorum validissimis auctoritatibus importunissimisque legationibus Domino suffragante a corpore sanctae matris ecclesiae sequestravit.

Hic divinarum scripturarum solertissimus inquisitor, librum Iob ad preces beati Leandri hispalensis episcopi mystico ac morali sensu, totamque prophetiae eius historiam in ·xxxv· voluminibus largo eloquentiae fonte explicuit; in quibus quidem quanta mysteria sacramentorum aperiantur, quantaque sint ob amorem vitae aeternae praecepta morum, vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo sufficienter explicare valebit. Hic etiam composuit homilias numero ·xl·; et

Ezechielem exposuit; registrum quoque, et pastorale, et dialogorum libros quatuor, et multa alia bona fecit et scripsit. Hic addidit in canone missae " diesque nostros in tua pace disponas. „ Idem in propria domo fecit monasterium. Hic in singulis ecclesiis romanae urbis in remissionem humani generis singulis diebus quadragesimae statuit fieri stationes devotione fidelium celebrandas. Et ne erroris antiqui semen de cetero pullularet, imaginibus daemonum capita ac membra fecit generaliter amputari, ut per hoc extirpata radice ethnicae pravitatis, palma ecclesiasticae veritatis plenius exaltaretur. Idem fecit supra corpora apostolorum Petri et Pauli iugiter celebrari a Papa sive Cardinalibus. Idem ad placandam iram Dei saeviente peste inguinaria, ut antea dictum est, septiformem constituit litaniam. Septiformis autem ideirco dicta est, quia in primo ordine fuit clerus, in secundo abbates cum monachis, in tertio abbatissae cum congregationibus suis, in quarto omnes infantes, in quinto omnes laici, in sexto omnes viduae, in septimo omnes coniugatae.

Hic primus Pontificum romanorum in litteris suis servum servorum Dei se scripsit. Ad hunc cum Gregorius episcopus turonensis, vir sapientia et virtutibus admirandus, Romam venisset, essetque ab eo cum debita veneratione susceptus, Pontifex brevitatem staturae eius admirans, gratiam Dei quam ei concessam audierat, amplius magnificavit. Cui dictus episcopus de oratione rediens dixit: " Dominus fecit nos, et non ipsi nos. „ Quod Gregorius audiens, valde miratus intellexit illum de sua parvitate cogitantem per Dei gratiam cognovisse, et ob hoc ei maiorem gratiam deinceps exhibuit et honorem. Anno Mauricii undecimo tunica Domini inconsutilis in civitate Zaphae non lon-

ge ab Hierosolymis, Simonis iudaei confessione inventa, ab episcopis Gregorio antiocheno, Thoma hierosolymitano, et Iohanne constantinopolitano cum aliis multis levata, cum arca marmorea levi adeo, ac si de ligno fuisset, et ordine pedestri Hierosolymam perducta posita est devote ubi crux Domini adoratur. Anno sequenti prope Constantinopolim nascitur puer quadrupes, et alter duos vertices habens. Anno Mauritii ·xiii·, sol a mane usque ad meridiem minoratus est usque ad tertiam sui partem.

Anno eiusdem Mauritii ·xiii· Guntramnus rex Francorum sanctitate clarus dormit in Christo. Hic pauperes aluit, ecclesias multas aedificavit, et plurimorum sanctorum sepulcra auro argentoque mirabili opere construxit; et quia herede caruit, Christum bonorum fecit heredem, totam videlicet substantiam suam pauperibus erogavit. Regnum vero Childeberto fratueli suo dereliquit, qui cum Richardo Westgothorum rege confoederatus, sororem suam ei tradidit uxorem. Non multo autem post idem Childebertus moritur. Post quem filii eius Theodebertus et Theodoricus subrogantur in regno. Porro Theodoricus aviam suam Brunichildem ab Austrasiis eiectam recepit, quae multa postmodum facinorose commisit. His itaque regnantibus, Neophytorum haeresis orta est, qui simoniace promovebant et promovebantur. Scripsit igitur beatus Gregorius Brunichildi increpans eam quod multi laici in episcopos ordinarentur, qui populo nihil praestant, cum non ad honorem Dei sed ad utilitatem episcopi ordinantur. Item aliam epistolam scripsit eidem, ubi detestatur quod sacri ordines per simoniacam haeresim, ab ecclesia a principio damnatam, conferrentur. Item scripsit dominis regibus Theodorico et Theodeberto, ut eandem

haeresim a regni eorum finibus exterminarent, asserens pro certo quod facientium culpas habituri essent, si quod possent corrigere, negligerent emendare (1).

Anno Mauritii ·xiiii· beatus Gregorius, quod ipse olim facere intenderat, virum sanctum et religiosum monachum Augustinum eum Mellito et Iohanne aliisque quam pluribus monachis in Angliam destinavit, ut gentem illam a gentili errore converteret; quibus praefatum Augustinum praefecit, omnibus ceteris praecipiens ut ei pro Christi nomine in omnibus obedirent. In Angliam igitur venientes verbum vitae disseminant. Porro rex Ethelbertus, qui sibi Cantuariae statuerat sedem regni, praedicante Augustino convertitur, et cum gente sua Christi baptismate insignitur. Post Augustinus ab Etherio episcopo arelatensi Anglorum episcopus consecratur, cui consecrato beatus Gregorius pallium destinavit; isque novae ecclesiae gentis saxonicae, sexdecim annis tenuit praesulatum. Huic dedit praefatus rex intra Cantuariam locum idoneum ad sedem episcopalem construendam, in quo idem praesul ecclesiam in honorem sanctae Trinitatis fundavit, quae vere venerabilis, et totius anglicae gentis in Christi fide merito mater esse probatur. Unde et Merlini vatis Britanniae cernitur apertissime vox impleta " dignitas, inquit, Londoniae ad Dorovernium, scilicet Cantuariam. Sane beato Augustino tanta miraculorum gratia divinitus est concessa, et vice apostolica aegrotantes etiam eius umbra sanaret, caecis visum, surdis auditum, mutis loquendi officium reformaret.

Senonensem ecclesiam post Arthemium regebat tunc Lupus gratia miraculorum praeclarus, cui aliquando eucharistiam conseranti gemma a Deo de caelo in ea-

(1) Confer registr. lib. ix. epp. 106. 109. 110.

licem descendit. Hic Lupus caduco morbo laborantibus est singularis patronus. Beatus Iulianus obiit in villa quae nunc eius nomine appellatur in territorio lemovicensi, vir virtutibus et miraculis clarus, ad cuius tumulum propter videnda miracula accessisse fertur beatus Gregorius turonensis. Sub hoc eodem tempore Mauricius imperator a beato Gregorio papa plurimum discordans, eius sanctitatem insequi, atque innocentiae eius detrahere insipienter veritus non est. Post hoc quoque adeo erga servum Dei imperatoris ira excrevit, ut ei mortem, ut quidam aiunt, minitaretur.

Interea accensis animis quidam vir incedens Romae per forum in monastico habitu evaginatum gladium gestans manu, divinitus aspiratus pronunciavit publice eodem anno Mauricium gladio perimendum. Quod idem imperator timens, malorum paenituit, et per se ac servos Dei contra se datam mortis sententiam petiit, licet non obtinuerit, relaxari. Beatus vero Gregorius pro eius delictis supplicabat Deo ut in futuro iudicio ei parceret. His gestis audivit in somnis vocem dicentem: vis ut hic tibi, an in futuro iudicio parcam? At ille respondit: amator hominum Deus, hic mihi redde malum meum, tantum in futuro iudicio parcas. Post haec Mauricius in hostili terra positus, cum milites suos a rapinis et furtis compelleret abstinere, nec tamen eis consueta stipendia largiretur, iidem milites Phocam centurionem super se Caesarem levaverunt. Quo audito Mauricius in insulam quandam fugit; in qua cum uxore et duobus filiis Theodosio et Tiberio iussu Caesaris capite truncatus occubuit, de cuius corpore dicitur lac cum sanguine effluxisse. Anno Domini ·DC·III·, in chronica autem Vincentii dicitur ·DC·V· Phocas imperat annis ·VII·, in chronica vero

Vincentii et in quadam alia dicitur annis ·VIII· Cuius anno secundo beatus Gregorius ex hac luce migrans lucem inaccessibilem penetravit ·IIII· idus martii, anno Domini ·DC·VI·, vel secundum quadam chronicam ·DC·V·, et in ecclesia beati Petri ante secretarium sepelitur.

LXVIIII. SABINIANUS.

Sabinianus natione tuscus coepit anno Domini ·DC·V·, sed in quadam chronica dicitur ·DC·VI· Sedit anno ·I·, mensibus ·V·, diebus ·IX· Vacavit sedes mense ·I·, diebus ·XXV·, in alia vero chronica dicitur mensibus ·XV·, diebus ·XXI· Hic constituit ut horae diei per ecclesias pulsarentur. Huius tempore fame Romam gravante, romani beato Gregorio iam defuncto, quod sua nimia liberalitate thesauros ecclesiae dissipasset detrahebant. Cumque iam non esset, in quem exardescerent, loco eius memoriam nominis libris eius delendis antiquare volebant. Sed Petrus diaconus eius testatus, se vidisse columbam super caput beati Gregorii dictantis, idque iuramento confirmans, moxque moriens, suo testimonio fidem fecit. Sabinianus quoque papa cum et ipse liberalitati Gregorii derogaret, et sub hoc obtentu manum egenis subtraheret pietatis, Gregorius cum per visum ter de culpa tenacitatis et huiusmodi derogationis increpitum, cum quarto monitus non resipisceret, ab eodem sancto percussus in capite, illo dolore vexatus paulo post expiravit. Hoc tempore cum quidam pauper a nautis eleemosynam peteret; dicente nauclero, desiste, quia nihil habemus praeter lapides; et pauper ipse subinferret, omnia ergo in lapides convertantur; quicquid manducabile in navi erat, in lapides conversum est, colore et forma rerum eadem permanente.

LXX. BONIFACIUS ·III·

Bonifacius tertius natione romanus coepit anno Domini ·DC·VI· Sedit annis ·II·, mensibus ·VIII·, diebus ·XXVI·, in quadam vero chronica dicitur annis ·VIII·, quod non credo esse verum. Hic constituit ut nitidus pannus super altare poneretur. Desiderius viennensis episcopus claret. Hic cum Brunichildem reginam de impietatibus suis argueret, instinctu eius a Theodorico filio ipsius rege Francorum in exilium est detrusus. Postmodum vero iubente regina, in territorio lugdunensi super fluvium Calaronam lapidibus obrutus martyrizatur, cuius sepulcrum miraculis multis illustratur. Per idem tempus Iohannes alexandrinus episcopus claret, qui ob eximiam in pauperes Christi liberalitatis gratiam, eleemosynarii sortitus est nomen.

LXXI. BONIFACIUS ·IIII·

Bonifacius quartus natione marsus, de civitate Valeria, ex patre Iohanne medico, coepit anno Domini ·DC·VII· Sedit annis ·VI·, mensibus ·VIII·, diebus ·XII· Vacavit sedes mensibus ·V·, in quadam vero chronica dicitur mensibus ·VII·, diebus ·XXV· Hic obtinuit a Phoca caesare augusto ut ecclesia sancti Petri apostoli Romae caput esset omnium ecclesiarum, quia constantinopolitana primam se omnium scribebat ecclesiarum. Hic quoque impetravit ab eodem Phoca caesare dari sibi templum Romae, quod antea Pantheon vocabatur, vertens id in ecclesiam sanctae Mariae et sanctorum martyrum, instituitque in kalendis novembris ibidem sollemnitatem omnium sanctorum perpetuo celebrari. Anno Domini ·DC·XII·, in chronica vero Vincentii di-

citur ·DC·XIII·, Heraclius cum Constantino filio suo imperat annis ·XXX·, in quadam vero chronica dicitur annis ·XXXI· Sanctus Columbanus a Theodorico rege instinctu Brunichildis reginae de Francia expellitur, qui relicto Gallo discipulo suo in Alamannia, ipse Italiam intrat, et coenobium Bobium intra montes, qui sunt inter Papiam et mare, construxit, ubi sedes est nunc Bobiensis. Anno Heraclii quarto Persae Syriam incursantes Damascum capiunt.

LXXII. DEUSDEDIT.

DEUSDEDIT natione romanus, ex patre Stephano subdiacono, coepit anno Domini ·DC·XIII·, in quadam vero chronica dicitur ·XII·, in alia denique ·XVI· Sedit annis ·III·, diebus ·XX·, in quadam autem chronica dicitur sedisse annis ·VI· Vacavit sedes mense ·I·, diebus ·XVI· A Chosroë rege Persarum Palaestina bello sanctaque civitas capitur, et in ea usque ad ·XC· milia perimuntur. Hoc etiam anno inter fratres Theodoricum et Theodebertum reges instinctu aviae eorum Brunichildis plusquam civile bellum oritur, pugnaque commissa, post inaestimabilem stragem Theodebertus capitur; nec multo post frater eius Theodoricus obit, cuius filios in bello captos Chlotarius rex occidit; Brunichildem vero reginam uno pede et brachio mutilatam ad caudam equae indomitae religatam, calcibus eiusdem diruptam, membratim discerpi fecit, improperans ei quod decem reges per eam fuissent extincti; et sic monarchia regni Francorum ad Chlotarium rediit pleno iure. Sanctus Amandus miraculorum et praedicationis gratia per Gallias claruit.

LXXIII. BONIFACIUS ·V·

Bonifacius quintus natione campanus, de civitate Neapoli, coepit anno Domini ·DC·XVI·, in quadam vero chronica dicitur ·DC·XIX· Sedit annis ·V·, diebus ·XIII· Vacavit sedes mensibus ·VI·, diebus ·XIII· Hic constituit ut fures ecclesiarum essent anathematizandi, et ut testamentum valeret principis iussione, et acolythus reliquias martyrum non audeat levare. Sepultus est apud sanctum Petrum. Hoc tempore floret in Hispania Isidorus episcopus hispalensis, beati Leandri germanus, eiusdemque in episcopatu hispalensi successor. Hic tam ecclesiastica quam saeculari doctrina et sanctae vitae dotibus praecipue admirandus, librum etymologiarum e diversorum scriptis collectum, plenum aedificatione et eruditione composuit. Chronicam etiam a tempore Hieronymi usque ad suum conscripsit, nec non et alia plura tam utilitate praecipua quam eloquentiae splendore praefulgida. Claret in Francia virgo Christi Sara, cuius sanctitatem imitatus frater Pharao, ex comite clericus, ex clerico meldensis episcopus claret.

Anno Heraclii sexto Persae incursantes Aegyptum, Alexandriam capiunt, et dehinc pervagantes Carthaginem sibi subiciunt. Tunc itaque Chosroës rex successu victoriarum elatus pacem cum romanis nullo modo admittit, sed effusione sanguinis humani et maxime christianorum grassatur. Anno Heraclii decimo sanctus Columbanus obiit. Post quem Eustachius abbas luxoviensis in Francia, Attala bobiensis in Italia, Gallus in Alamannia, ceterique eius discipuli longo tempore floruerunt. Heraclius anno imperii sui ·XII· ad debellandum Persas proficiscitur portans secum virilem Dei figuram, quam manus non depinxerat, sed in icone

Verbum, quod fecit omnia, composuerat; et per sex annos continuos Persidem potenter praedatur. Primo itaque hostes levibus proeliis frequenter stravit; denique eosdem gravi bello contrivit, in quo praetores Persarum omnesque principes eorum peremit, et ipsam Persidem pervagatus combussit, mirandaque Persarum palatia deiecit. Porro Siroës filius Chosrois cum Persarum principibus contra patrem suum insurgens, ipsum cum filiis eius peremit, et pacem cum Heraclio confirmavit. Heraclius anno imperii sui ·xix. Perside debellata cum gloria rediens, Zachariam patriarcham cum captivorum populo Hierosolymam reducit; et sanctam crucem dorso portans, cum regio schemate ornatus, portam per quam Iesus ad crucem subeundam exivit, vellet intrare, porta ipsa divinitus clauditur, eique humiliato rursus ultro aperitur; et ita cruce relata, celebritatem exaltationis eius instituit fieri annuatim.

Per idem tempus filius Karolomanni Pipinus maior domus Chlotarii principatur. Cui in disponenda re publica cooperabatur sanctus Arnulfus, filius Archevoldi, filii Ausberti ex Blithilde filia Chlotarii regis. Siquidem his, Pipino scilicet et Arnulfo, Chlotarius filium suum Dagobertum Austrasiis regnaturum commiserat. Accidit autem ut Dagobertus iram patris sui Chlotarii incurreret, eo quod consiliarium eius Sadregisilum, quem pater Chlotarius Aquitaniae praefecerat, caesum, detonsum, et barba depilatum dehonestaverat. Unde patrem reveritus ad ecclesiam sancti Dionysii confugit. Et quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum habuit semper cordi. Postmodum vero in gratiam patris rediens, Saxonibus bello occurrit; cui ipse pater auxilio accurrens, interfecto Bertoldo duce Saxonum, victoriam reportavit; et perva-

gans totam Saxoniam, nullum saxonem ultra mensuram gladii sui viventem dimisit. Nec multo post idem Chlotarius moritur; cui Dagobertus filius eius ·xiiii· annis regnaturus successit. Hic fratrem suum Aripertum consortem regni fecit, data ei terra a ripa Ligeris usque ad iuga Pyrenaei, qui Galliam et Hispaniam disterminat. Aripertus sedem regni Tolosam eligens, totam Vasconiam sibi subiugavit.

Hoc tempore Arabum sive Sarracenorum princeps erat Machometus, progenie ismahelita, qui ad quandam cognatam suam praedivitem, nomine Chadigam, primo ut mercenarius, demum ut sponsus se iungens, ex orphano et inope per eam ditatus, per praestigia suae haereseos ad regnum provectus est. Hic communicabat iudaeis et christianis, et ex eorum scripturis suam pseudoprophetiam in aliquibus confirmavit. Huic gentiles seducti cultum (propemodum) divinitatis exhibent. Anno Heraclii ·xv· Sarraceni, qui hactenus sub regno Persarum fuerant, eos bello devictos sub suum redigunt versa vice dominium. Abhinc pro regno Persarum intitulandum est regnum Sarracenorum. Anno Domini ·dc·xxii·, in quadam vero chronica dicitur anno Heraclii ·xxi·, Machometus pseudopropheta Sarracenorum et amiras moritur, pro quo Abubechirus principatur.

LXXIIII. HONORIUS ·I·

Honorius primus natione campanus, ex patre Petronio consule, coepit anno Domini ·dc·xxi·, in quibusdam vero chronicis invenitur ·dc·xxv· Sedit annis ·xii·, mensibus ·xi·, diebus ·xxviii· Vacavit sedes mensibus ·vii·, diebus ·xviii· Hic constituit ut omni sabbato apud san-

ctum Petrum procederent litaniae. Hic etiam clerum salubriter erudivit, ac praeter eleemosynas quas cotidie pauperibus distribuebat larga manu, multas ecclesias auro argentoque decoravit. Hoc tempore Anastasius monachus claret, qui natus in Perside magicas artes puer a patre didicit; sed mox ut a captivis christianis nomen Christi didicit, Hierosolymam petens, post baptismum monachus efficitur. Tandem a Sarracenis captus diversis poenis interimitur. Mox quidam daemoniacus eius tunica indutus curatus est. Cuius corpus ab Heraclio imperatore devictis Persis Romam missum in monasterio sancti Pauli ad aquas Salvias collocatur. Hic Honorius papa ecclesiam beati Petri auro argentoque splendide decoravit, et eam tabulis aereis per totum cooperuit. Fecit et ecclesiam beatae Agnetis, et beati Pancratii, et quatuor Coronatorum. Sepultus est in ecclesia sancti Petri (1).

Heraclius autem cum esset astrologus (2) vidit in astris regnum suum a circumcisa gente esse vastandum. Quare mandavit Dagoberto regi Francorum, ut omnes iudaeos in regno suo praeciperet baptizari, quod et impletum est; sed reapse gens circumcisa intelligebatur sarracena, quae pariter circumcisionem observat. Siquidem Sarraceni eodem anno romano imperio rebellabant: et cum Syria devastaretur, crux Domini nostri ab Hierusalem Constantinopolim transfertur, cu-

(1) En Honorius nulla monothelismi macula aspergitur a nostro chronographo, qui ceteroqui criminationes adversus Pontifices, si quae incidunt, non solet reticere. Et quidem locus criminandi Honorii, si veritas pateretur, hic erat idoneus, ubi Heraclium caesarem inter monothelitas mox collocat.

(2) De Caesarum byzantinorum astrologica superstitione alibi me loqui memini.

ius maior pars post multa tempora ad instantiam Ludovici regis Francorum christianissimi anno ·MCC·LXVII· Parisios translata est. Heraclius anno imperii sui ·XV· incidens in haeresim monotheliticam, id est unam voluntatem et operationem in Christo credentium, ecclesiam et imperium perturbavit. Eodem anno inter Romanos et Sarracenos bellum implacabile oritur hac de causa. Cum enim quidam spado imperatoris Heraclii distribueret togas militibus, et inter alios Sarraceni sub imperatore militantes ad togam suscipiendam venirent, indignatus spado respondit: vix imperator dare militibus togas sufficit, quanto minus canibus istis! Illi autem dolore et pudore incitati totam Sarracenorum partem ad rebellandum commoverunt. Anno Heraclii ·XXIII· Sarraceni capta Damasco Phoenicen occupant et Aegyptum, ac postea Hierusalem obsident, eamque post biennium capiunt expugnatam.

Per idem tempus Sigibertus filius Dagoberti regis Francorum a sancto Amando baptizatur; ubi ceteris tacentibus, Sigibertus infans ·XL· dierum respondit amen. Et Amandus ipse Traiectensium episcopus ordinatur. Florebant in Francia tunc tres fratres, Ado, Rado, et Dado qui dictus est Audoenus postmodum Rothomagensium archiepiscopus. Ex quibus Dado fuit referendarius regis. Referendarius autem dicebatur is ad quem publicae conscriptiones referebantur, ut per eum anulo regis seu sigillo confirmarentur. Hi suam effectu operis ostendentes erga Deum devotionem, singuli singula fundaverunt coenobia. Ad hoc animavit eos beatus Eligius aurifex iamdudum in aula Chlotarii regis clarus. Hic ex dono Dagoberti regis Sollemniacum monasterium prope urbem Lemovicum construxit, et nobiliter dotavit, ubi sanctus Remaclus in Aquitaniam

veniens se in Christi tirocinio exercendum dedit, unde postmodum ad episcopatum assumptus est tungrensem. Sanctus vero Eligius Noviomensium factus est praesul. Eo tempore sancta Aurea virgo claret, quam sanctus Eligius monasterio virginum Parisiis a se constructo abbatissam praefecit. Eodem tempore iudaei in Hispania christiani efficiuntur. Anno Heraclii ·xxviii· Sarraceni Antiochiam capiunt. Dagobertus rex Sigibertum filium suum Austrasiis regem mittit sub tutela Pipini et Chuniberti episcopi.

LXXV. SEVERINUS.

Severinus natione romanus, ex patre Avieno, coepit anno Domini ·dc·xxxiii·, in quadam vero chronica dicitur ·dc·xxxviii· Sedit annis ·ii·, mensibus ·iiii·, diebus ·xxviii· Hic pontifex sanctus et benignus fuit, amator cleri et pauperum, res ecclesiarum et possessiones ampliavit. Sepultus fuit apud sanctum Petrum.

LXXVI. IOHANNES ·IIII·

Iohannes quartus natione dalmaticus, ex patre Venantio scholastico, coepit anno Domini ·dc·xxxvii·, in alia vero chronica invenitur ·dc·xli· Sedit annis ·v·, mensibus ·viii·, diebus ·xviii· Vacavit sedes mense ·i·, diebus ·xiii· Hic thesauris ecclesiae distractis multa milia hominum per Histriam et Dalmatiam a servitute redemit. Idem Anastasii et Vincentii martyrum corpora, et aliorum sanctorum, quorum reliquias de praedictis regionibus adduci praeceperat, iuxta fontem lateranensem in oratorio sancti Iohannis evangelistae recondidit. Sepultus est in ecclesia sancti Petri.

LXXVII. THEODORUS ·I·

Theodorus primus natione graecus, ex patre Theodoro episcopo, coepit anno Domini ·DC·XLI·, in alia vero chronica dicitur ·DC·XLII· Sedit annis ·VI·, mensibus ·V·, diebus ·VIII· Vacavit sedes diebus ·III· Hic constituit benedictionem cerei in sabbato sancto. Hic librum paenitentialem composuit (1). Huius tempore Paulus constantinopolitanus episcopus Pyrrhi successor non tantum vesana doctrina, sed etiam aperta persecutione catholicos cruciat; apocrisiarios quoque romanae ecclesiae qui ad eius correptionem missi fuerant, quosdam carceribus, quosdam vero verberibus affecit; unde et ipsum sicut et antecessorem eius Papa damnavit. Heraclius anno imperii sui ·XXXI·, qui filiam uxoris suae duxerat uxorem, hydropicus et febricitans moritur. Post quem Constantius filius eius, qui et Constantinus dicitur, substituitur; et quarto mense imperii sui a Martina noverca et Pyrrho patriarcha veneno extinguitur, et Martina cum filio suo Heracleona imperium arripuit. Verum Heracleonas, transacto vix anno, abscisso naso, et Martina mater eius abscisa lingua, exulantur; et Constans, qui et Constantinus dicitur, filius Constantini in imperium subrogatur anno Domini ·DC·XLII·, in chronica vero Vincentii dicitur ·DC·XLIIII·, imperavitque annis ·XXVI·

His temporibus Dagobertus rex Francorum moritur, contra cuius animam ad iudicium raptam cum multi sancti de ecclesiarum spoliatione reclamarent,

(1) Sic ait Martinus, a quo noster sumit. Existimassem autem errorem tribuentis Theodoro papae librum Theodori cantuariensis, nisi mox p. 138. de hoc quoque postremo idem diceretur. Adhuc tamen mendum suspicor.

angelis malis eam ad inferni poenas trahentibus, sanctus Dionysius, cui praecipue devotus fuit, liberavit. Post quem Chlodoveus filius eius regnum obtinuit annis ·xvii·, Sigiberto fratre eius in Austrasia iam regnante. In palatio autem Sigiberti regis post Pipinum Grimoaldus filius eius potenter principatur. Porro Bertha uxor Pipini, viro suo defuncto, instinctu sancti Amandi, Deo devovens se et sua, monasterium Vivallense fundavit, eique filiam suam Geltrudem Deo dignam virginem praefecit. Iisdem temporibus sanctus Furseus in Hibernia claruit, qui peregrinationem pro Christo aggressus, ad Gallias usque pervenit, et a Chlodoveo rege devote susceptus, coenobium Latiniacense fundavit. Quem non multo post fratres eius Fullanus et Ultanus pari peregrinandi voto secuti, per Gallias claruerunt (1). Hoc tempore sanctus Remaclus Tungrensium, Andebertus Cameracensium, Eligius Noviomensium, Audoenus Rothomagensium, episcopi claruerunt. Anno Constantini ·vi· Sarraceni Africam occupant. Hoc tempore Sigibertus rex de posteritate desperans, ·xii· monasteria variis in locis construxit. Per idem tempus coenobium floriacense a Leodevaldo abbate fundatur.

LXXVIII. MARTINUS ·I·

Martinus primus de civitate Tuderto, provinciae Tusciae, coepit anno Domini ·dc·xlix·, in quadam vero chronica dicitur ·dc·xlvi· Sedit annis vi·, mense ·i·, diebus ·xxvi· Vacavit sedes diebus ·xxviii· Olympius ad regendam Italiam a Constantino missus et papam Martinum occidere iussus, cum aliter non posset, tractavit ut inter missarum sollemnia, cum ipse Papa sibi

(1) Lege Bedam hist. Ang. lib. iii. 19.

communionem porrigeret, illum spatharius suus occideret, sed hic sanctae orationis virtute nullo modo Papam videre potuit. Huius Pontificis tempore Constantinus imperator a Paulo constantinopolitano falsi nominis patriarcha deceptus, exposuit typum et librum contra fidem catholicam, nec unam nec duas voluntates aut operationes in Christo definiens esse confitendas, quia nihil velle vel operari dicendus sit Christus. Ob hoc Martinus papa celebravit Romae concilium ·cv· episcoporum, ubi damnavit et anathematizavit haereticos Cyrum, Sergium, Pyrrhum, et Paulum, praesentis dogmatis et persecutionis adversus ecclesiam palam et occulte incentores. Tandem hac de causa captus ipse Martinus papa a Theodoro exarcha, Constantino imperatore iubente, ductus est Constantinopolim; ubi cum pro catholica veritate constanter et viriliter ageret, Chersonam exul relegatus, ibi gloriosus martyr occubuit. Haec est Chersona ultra mare ponticum, iuxta quam beatus Clemens papa exulavit. Huius Martini papae et martyris festum celebratur in crastino sancti Martini turonensis episcopi pridie idus novembris; sed Usuardus ponit quarto idus novembris.

Eodem tempore sanctus Iudocus (1) regis Britonum filius, regno et mundo derelictis, peregrinus et eremita effectus, in pago Pontivo requievit in Christo. His diebus Sigibertus rex Austrasiorum moritur, Dagoberto filio suo admodum parvo Grimoaldi fidei commendato, ut eius auxilio constitueretur in regno. At Grimoaldus fidem iurisiurandi disrumpens, puerum praedictum attondit, et per Didonem pictaviensem episcopum in Scotiam direxit, et filium suum Hildebertum Austrasiis

(1) Confer fragmentum vitae sancti Iudoci apud Bouquetum R. G. S. tomo III. p. 519.

regem fecit. Quod cum Franci audissent, doluerunt, et impium Grimoaldum captum Parisios ducunt, ipsumque Chlodovei regis iudicio repraesentant, quem Chlodoveus in carcere amara morte consumpsit, filiumque suum iuniorem Hildricum regem Austrasiorum fecit. Anno Constantini ·xv· dum Atrebati corpus sancti Vedasti transfertur ab Audeberto episcopo, praesentibus Lamberto tungrensi, et Audemaro tornacensi, aliisque sanctis episcopis et abbatibus, Audomarus praedictus, qui senio caecus erat, meritis sancti Vedasti et praesentium episcoporum illuminatus est; quod cum moleste ferret, eo quod pro salute sua sibi a Deo caecitatem immissam putaret, rursus excaecatur ad votum.

Per idem tempus Chlodoveus rex corpus beati Dionysii discooperiens minus religiose vel cupide, os brachii fregit et rapuit, et mox in perpetuam amentiam cecidit. Post biennium vero moriens Chlotarium filium suum regni reliquit heredem, qui minor quatuor annis post ipsum regnavit. Porro Chlodovei huius tres fuerunt filii ex Bathilde regina, Chlotarius, Theodoricus, et Hildricus, qui sibi vicissim paterno successerunt in regno. Abhinc Francorum regibus a solita fortitudine et scientia degenerantibus, regni potestas per maiores domus disponebatur, regibus nomine tantum regnantibus; quibus moris erat principari quidem secundum genus, sed nihil agere nihilque disponere, irrationabiliter edere et bibere, domique morari; et kalendis maii praesidere coram tota gente, salutare et salutari, obsequia et dona recipere ac rependere, et secum usque ad alium maium habitare. Bathildis regina praedicta, duo monasteria Corbeiam et Kalam condidit, quorum Kalam plurimis auxit donariis et sanctorum reliquiis abundanter ditavit, in quo ipsa

quiescit. Huius viduitatis diebus sanctus Eligius Noviomensium episcopus obiit, quem cum ad praedictum coenobium vellent transferre, feretrum divina virtute pressum nullatenus potuit amoveri.

LXXVIIII. EUGENIUS ·I·

Eugenius primus natione romanus, de regione aventina, ex patre Rufiniano, clericus a cunabulis, coepit anno Domini ·DC·LIII·, in alia vero chronica dicitur ·DC·LVI· Sedit annis ·II·, mensibus ·VIII·, diebus ·XXII· Vacavit sedes mense ·I·, diebus ·XXVIII· Hic omnibus benignus et amabilis, fuit maximae sanctitatis. Sepultus est apud sanctum Petrum.

LXXX. VITALIANUS.

Vitalianus natione signinus, in alia vero chronica dicitur signiensis, Campaniae provinciae, ex patre Anastasio, coepit anno Domini ·DC·LVI·, in alia tamen chronica dicitur ·DC·LVIII· Sedit annis ·XIIII·, mensibus ·VI· Vacavit sedes mensibus ·II·, diebus ·XIII· Hic cantum romanorum composuit, et organo concordavit. Hic nuncios direxit Constantinopolim ad imperatorem iuxta consuetudinem significans de sua ordinatione. Qui nuncii postquam reverenter fuissent recepti, renovatis romanae ecclesiae privilegiis, redierunt portantes evangelia auro conscripta et pretiosis gemmis decorata, quae imperator sancto Petro apostolo transmiserat. Anno Constantini ·XXIII· Chlotarius rex Francorum moritur, post quem Theodoricus frater eius ab Ebroino maiore domus in regnum sublimatur. Non multo post idem Theodoricus propter insolentiam Ebroini repu-

diatur a Francis, et frater eius Hildricus rex Austrasiorum ad regnandum de Austrasia evocatur. Porro Theodoricus et Ebroinus tonsurantur. Et Theodoricus quidem Parisiis in coenobio sancti Dionysii Christo domino militavit. Eo tempore maior domus erat Volfoaldus. Hic in parochia Virdunensi super Mosam coenobium sancti Michaëlis archangeli fundavit.

Hic Vitalianus papa quendam nomine Theodorum monachum, natione graecum et saeculari litteratura ac divina apprime eruditum Cantuariensis ecclesiae ordinavit episcopum. Hic scripsit librum paenitentialem, mirabili et cauta discretione distinguens modum singularum culparum, de quo in iure canonico frequenter fit mentio. Idem Vitalianus pontifex sepultus est apud sanctum Petrum. Anno Domini ·DC·LXX· secundum chronicam Vincentii, in alia vero chronica dicitur ·DC·LXXI·, Constantinus quartus qui et Constans dictus est, filius Constantini qui similiter Constans dictus fuit, successit patri defuncto, regnavitque annis ·XVII·, in chronica tamen Vincentii dicitur annis ·XVIII· Hic fratres suos habens de regnando suspectos, nasos eorum abscidit. Hoc tempore clarebat sanctus Praeiectus episcopus Arvernorum, qui etiam ab ipsius urbis primoribus fuit martyrio coronatus in ultionem Hectoris (1) Massiliensium patricii, propter iniustitias ecclesiae arvernensi ab ipso illatas, ab Hildrico rege Francorum perempti. In territorio cameracensi virgo Dei Maxellendis, ob votum virginitatis Alduinum amatorem suum fugiens, ab ipso martyrizatur; qui mox excaecatus, post triennium ab ipsa illuminatur. Hoc tempore quidam in Britannia a morte resurgens, multa quae vidit de locis poenarum et purgatorii ignis enarravit.

(1) Cod. *Beatoris*.

LXXXI. ADEODATUS.

Adeodatus natione romanus ex monacho, de patre Ioviniano, coepit anno Domini ·DC·LXXI·, in quadam chronica dicitur ·DC·LXXII· Sedit annis ·IIII·, mensibus ·II·, die ·I·, in quadam chronica dicitur diebus ·V· Vacavit sedes mensibus ·IIII·, diebus ·XV· Hic tantae benignitatis extitit ut omnem hominem a minimo usque ad maximum ad se venientem susciperet et consolatum dimitteret. Hic maius monasterium Turonis sub iure dominii propriae ecclesiae constituit. Anno Constantini quarto corpus sancti Benedicti delatum de monte Casino ab Arculfo monacho, ad floriacense coenobium in aurelianensi dioecesi et territorio situm transfertur, et corpus sororis eius sanctae Scholasticae Cenomanos. Hoc eodem anno mense martio iris in caelo apparuit ita magua, ut crederent homines consummationem saeculi advenisse. Hic Papa sepultus est in basilica sancti Petri.

LXXXII. DONUS.

Donus natione romanus, ex patre Mauricio, coepit anno Domini ·DC·LXXV· Sedit anno ·I·, mensibus ·V·, diebus ·X· Vacavit sedes mensibus ·II·, diebus ·XV· Hic decoravit illum locum ante basilicam sancti Petri qui dicitur paradisus. Sepultus est apud sanctum Petrum.

LXXXIII. AGATHON.

Agathon natione siculus, coepit anno Domini ·DC·LXXIX· Sedit annis ·II·, mensibus ·VI·, diebus ·III· Vacavit sedes anno ·I·, mensibus ·VIII·, diebus ·XV·, in quadam vero chronicà dicitur annis ·II· Hic dum quendam le-

prosum Constantinopoli oscularetur, statim mundatus est. Tempore istius Agathonis papae sexta synodus universalis Constantinopoli celebratur sub Constantino imperatore. Tempore etiam huius, ecclesia ravennatensis, quae diu sedi apostolicae rebellis fuerat, ad obedientiam rediit. Hildricus rex cum laevis moribus in se odia Francorum accenderet, sanctum Leodegarium augustudunensem episcopum apud Luxovium retrusit. Bodilonem quoque francum ligari ad stipitem iussit et caedi. Cuius mali non immemor Bodilo post hoc eundem regem in venatione exceptum cum Blithilde uxore eius praegnante peremit. Porro Hildrico mortuo, Theodoricus repudiatus et tonsuratus, a Francis reponitur in regno. Hic beatum Leodegarium Luxovio revocat, cuius consilio aliorumque principum Leudesium Erchinoaldi filium maiorem domus constituit.

Post hoc autem Ebroinus a Francis sicut alius tonsuratus, Luxovio egressus, vires resumit, insidiatores suos praemittit, super Theodoricum regem irruit, thesauros eius et ecclesiae diripit, Leudesium maiorem domus perimit, Chlodoveum quendam fingens esse filium Chlotarii regis regem facit, cunctos ad eius sacramentum minis et blanditiis compellens; sanctum quoque Leodegarium capit, et cum fratre suo Gerino graviter affligit, eundemque Gerinum non multo post lapidibus obruit. Verens tandem Theodoricus rex Ebroinum in gratiam recipit, eiusque consilio ad synodum episcopos cogit, in qua multos eorum ex sententia Ebroini episcopatibus privat. Sanctus quoque Leodegarius ab eodem Ebroino immanissime cruciatus, post famem carcerisque squalorem, post oculorum evulsionem, linguae ac labiorum abscisionem, tandem ablato capite martyrium consummavit; cuius innocentiam et martyrium declarat multitudo signorum.

LXXXIIII. LEO ·II·

Leo iunior seu secundus natione siculus, ex patre Paulo, coepit anno Domini ·DC·LXXXI·, in quadam vero chronica dicitur ·DC·LXXXII· Sedit mensibus ·X·, diebus ·XVII· Vacavit sedes mensibus ·XI·, diebus ·XII· In Anglia claret Etheldrica regina, quae tribus viris nupta virgo permansit usque ad mortem. Hic Leo papa constituit pacem dari in ecclesiis totius christianitatis fidelibus post " agnus Dei. „ Hic fuit eloquentissimus, in divinis scripturis sufficienter instructus, graeca latinaque lingua eruditus, erga inopum provisionem non solum mentis pietate sed et studii labore sollicitus. Huius tempore, procurante Deo et ipsius labore, ecclesia ravennatensis posuit se sub ordinatione sedis apostolicae; ut defuncto archiepiscopo, qui electus fuerit iuxta antiquam consuetudinem veniat ad romanam curiam ordinandus. Hic constituit ut qui fuerit ordinandus archiepiscopus, pro usu pallii aut diversis officiis nihil ecclesiae persolvere debeat. Sepultus est in ecclesia sancti Petri.

LXXXV. BENEDICTUS ·II·

Benedictus secundus natione romanus, ex patre Iohanne, coepit anno Domini ·DC·LXXXIII·, in quadam vero chronica dicitur ·DC·LXXXIIII· Sedit annis ·II·, mensibus ·X·, diebus ·XII· Vacavit sedes mensibus ·II·, diebus ·XII· Hic ab imperatore factus est papa; tum vita eius concordavit cum nomine, ita ut merito Benedictus diceretur et esset. Sepultus est apud sanctum Petrum.

LXXXVI. IOHANNES ·V·

Iohannes quintus natione syrus, de civitate Antiochia, ex patre Abundio, coepit anno Domini ·DC·LXXXV·, in alia vero chronica dicitur ·DC·LXXXVI· Sedit anno ·I·, diebus ·X· Vacavit sedes diebus ·II·

LXXXVII. CONON.

Conon in aliquibus libris dicitur Zenon, ex regione Caelii montis, ex patre Benedicto, coepit anno Domini ·DC·LXXXVI·, in quadam vero chronica scribitur ·DC·LXXXVII· Sedit anno ·I·, mensibus ·XI·, diebus ·IX· Vacavit sedes mense ·I·, diebus ·XVIII· Hic sanctae et commendabilis vitae, sepultus est apud sanctum Petrum. Anno Domini ·DC·LXXXVIII· coepit Iustinianus ·II·, qui dictus est iunior, filius Constantini, imperavitque annis ·X·.

LXXXVIII. SERGIUS ·I·

Sergius primus natione syrus, de regione Antiochiae, ex patre Tiberio, coepit anno Domini ·DC·LXXXVIII·, in quadam vero chronica dicitur ·DC·LXXXIX· Sedit annis ·XIII·, mensibus ·VIII·, diebus XXIII· In chronica Martini dicitur sedisse annis ·IX· Vacavit sedes mense uno, diebus ·XX· Hic sibi Deo revelante, in sacrario sancti Petri invenit capsam argenteam in loco obscurissimo multae annositatis, ita ut non appareret argentea, in qua sigillum erat impressum, quo ablato invenit crucem pretiosissimis perornatam lapidibus, et grandem portionem crucis dominicae interius repositam, quae in die sanctae crucis adoratur. Corpus etiam primi papae Leonis Deo revelante transtulit. Apud Wirecebur-

gum, quae nunc Herbipolis dicitur, sanctus Kilianus cum sociis suis martyrio coronatur.

Ab huius sanctissimi Sergii papae tempore consequentia celebrandi missam ab apostolicis in integrum composita est. Epistolae quippe et evangelia ex antiquorum traditione digesta sunt in libro qui appellatur comes, quem Hieronymus ad Constantium episcopum scripsit (1). Clemens papa primus instituit dici " te igitur „ in canone missae ante hostiae consecrationem. Alexander autem papa primus, a beato Petro sextus, instituit aquam ab episcopo benedici, et vetus chrisma propter novitatem sacramenti cremari, et ad consecrationem eucharistiae fieri memoriam dominicae passionis; et sicut de latere crucifixi exivit sanguis et aqua, ita aquam vino misceri in ipsa consecratione instituit; nec vinum sine aqua, nec aquam sine vino offerri debere decernens. Sixtus papa " sanctus, sanctus, sanctus „ ad missam cantari instituit. Telesphorus papa quadragesimale ieiunium octo hebdomadibus ante pascha fieri statuit; hymnum angelicum, scilicet " gloria in excelsis „ addidit. Damasus papa " credo in unum Deum „ sollemnibus diebus cantari instituit. Caelestinus papa introitus, gradualia, offertoria, et communionem (2), ex psalmis modulari antiphonatim instituit. Prius enim tantum epistolae et evangelia dicebantur. Gelasius papa collectas praefationesque composuit. Gregorius papa primus " kyrie eleison et alleluia „ extra septuagesimam, et orationem dominicam, per quam solam apostoli consecrabant, post canonem consecrationis addidit. Sergius papa statuit ut inter communi-

(1) Extat inter opera supposititia S. Hieronymi ed. Veron. T. ult. p. 523, quo loco videsis editoris admonitionem.

(2) Al. cod. *orationes*.

candum " agnus Dei „ ter cantetur. Gregorius vero ·III· ad secreta missae addidit " quornm sollemnitates „ hodie in conspectu tuae maiestatis celebrantur, do-„ mine, Deus noster in toto orbe terrarum. „

Hoc tempore Pipinus principabatur in Austrasia cum duce Martino. Huius Pipini pater Ansigisus a Gondino, quem de sacro fonte susceperat ac instituerat et ad maximos honores provexerat, peremptus est. Hic Pipinus, qui brevis seu parvus solet appellari, non rex sed regiae aulae praefectus fuit. Alter enim Pipinus huius Pipini nepos Karoli magni pater ex praefecto regiam adeptus est dignitatem. Anno Iustiniani septimo Theodoricus rex Francorum obiit; post quem Chlodoveus filius eius regnavit quatuor annis. Hoc tempore Sarracenorum gens ex Aegypto in Africam cum nimia multitudine veniens, Carthaginem obsedit et coepit. Per id tempus Cethwal rex Britonum cum per ·X· annos multis regulis obviasset, et plura mala illis irrogasset, tandem ipsis devictis, in pace orientales Saxones rexit annis duobus. Videns autem Britanniam miseriis infinitis contritam, regnum sprevit terrenum propter aeternum; et Romam veniens, a papa Sergio baptismum suscepit, paucisque diebus transactis, languore correptus, adhuc in albis existens migravit ad Christum.

Hinc ex toto illud antiquissimum regnum Britonum corruit, quod fere omnibus regnis diuturnius fuit: nam a tempore Heli sacerdotis usque ad hoc tempus per annos ·M·DCCC· perduraverat (1). Porro reliquiae Britonum in Galliia residentes, non iam Britones sed potius a quodam duce Gallone dicti sunt Gallenses,

(1) Eadem incredibiliter narrat Henricus huntindoniensis hist. lib. I. circa initium

qui nunc Britones appellantur; et eorum regio iuxta oceanum sita, dicta est Britannia minor. Per idem tempus sanctus Tetricus antisiodorensis episcopus ab archidiacono suo dormiens in scamno gladio perimitur, cuius interfector subito turbine raptus nusquam apparuit. Sane de scamno, super quo occisus est, ex dolore dentium plures obtinuere remedium (1). Anno Iustiniani decimo Leontius patricius contra eum rebellat, ipsumque regno privatum, et naso linguaque truncatum exilio relegat, et loco eius imperat annis ·III·; in chronica vero Vincentii dicitur, quod ei adnotantur anni duo tantum, coepitque anno ·DC·XCVII· Huius Leontii anno primo Chlodoveus rex Francorum moritur, cui frater eius Childebertus ·XVIII· annis regnaturus succedit. Sergius papa post laudabilem vitam sepultus est apud sanctum Petrum.

LXXXVIII. LEO ·III·

Leo tertius natione romanus, ex patre Nicolao diacono, coepit anno Domini ·DC·XCVIII· Sedit annis ·II·, mensibus ·XI· Hic per Iohannem patricium romanorum factus est Papa, et propter hoc in catalogo romanorum pontificum in plerisque chronicis non ponitur (2); nu-

(1) Confer Labb. Bibl. nov. mss. T. I. p. 429 in hist. episc antisiod.

(2) A Martino sumit notitiam huius Leonis III. noster chronographus. Etenim hunc Antipapam historici plerique omnes ignorant. Ceteroqui Martini nostrique auctoris narratio non est contemnenda; notum quippe est diuturnum schisma rom. ecclesiae sub Sergio; nota item Iohannis patricii et exarchae iniusta vis, qua contigit ut Sergius septennio exularit, teste vetere monumento, ut narrant Maurini (art de verifier les dates, in Sergio.) Illo igitur certe intervallo aliquem Antipapam sedisse non est incredibile.

de apud romanos, et etiam in decreto sequens Leo tertius nominatur. Hoc tempore secundum chronicam Martini, anno autem Leontii secundo secundum aliam chronicam, sanctus Lambertus Pipinum principem increpans, eo quod suae uxori legitimae Plectrudi pellicem superinduxerat, a Dadone fratre ipsius pellicis Alpaydis, Leodii martyrizatus, tumulatur Traiecti. Sed postea episcopatus a beato Huberto successore Leodium transfertur. Beda presbyter et monachus in Anglia claret, qui ab anno aetatis suae ·xxx· reliquum vitae suae tempus legendo tractando et exponendo scripturam sacram utiliter et devote exegit. Leontius autem cum triennio imperasset, a Tiberio deturbatur anno Domini ·DC·XCIX· secundum chronicam Vincentii; nam in alia chronica dicitur ·DCC·, in alia denique ·DCCI· Tiberius tertius, qui et Apsimarus dictus est, absciso naso Leontii imperatoris, eoque in custodiam detruso, imperat annis ·VII·

HUC USQUE CHRONICA BEDAE PROTENDITUR; DEINDE AUTEM EX CHRONICA ADONIS EPISCOPI VIENNENSIS ET PLURIUM ALIORUM.

XC. IOHANNES ·VI·

Iohannes sextus natione graecus, ex patre Platone, coepit anno Domini ·DCCI· Sedit annis ·III·, mensibus ·II·, diebus ·XIII·, in quadam vero chronicâ dicitur diebus ·XXIII· Vacavit sedes mense ·I·, diebus ·XXX· Hic martyrio coronatus (1) sepultus est in ecclesia sancti Sebastiani ad catacumbas.

(1) Sic ait Martinus quem noster sequitur, ceteris chronographis haud suffragantibus.

XCI. IOHANNES ·VII·

Iohannes septimus natione romanus, ex patre Gregorio, coepit anno Domini ·dcc·iii· Sedit annis ·ii·, mensibus ·vii·, diebus ·xvii· Vacavit sedes mensibus ·ix· Hic fuit eruditus scientia et facundus eloquentia. Idem fecit oratorium sanctae Dei genitricis Mariae intra ecclesiam sancti Petri apostoli, cuius parietes musaico opere dipinxit, in quo ante altare sepultus iacet. Anno Domini ·dcc·vi· Iustinianus praefatus, quem Leontius exulaverat, Terbellium regem Bulgarorum adiit, cuius tandem auxilio fultus imperium recepit, Leontium ac Tiberium usurpatores imperii in medio canthari vel circi iugulavit, Callinicum patriarcham excaecatum in exilium pellit, et tantam in adversarios exercet ultionem, ut quotiens a naso sibi exciso defluentem rheumatis guttam detergeret, paene totiens aliquem ex iis qui contra eum conspiraverant praeciperet iugulari. Iustinianus praefatus imperavit secundo annis ·vii·

XCII. SISINNIUS.

Sisinnius natione romanus, ex patre Transmundo, coepit anno Domini ·dcc·vii· Sedit diebus ·xx· Vacavit sedes mensibus ·vi· Huius tempore magnum schisma fuit. Hic pontifex podagrico humore constrictus repentina morte vitam finivit.

XCIII. CONSTANTINUS ·I·

Constantinus primus natione syrus, ex patre Iohanne, coepit anno Domini ·dcc·viii·, in alia chronica dicitur ·dcc·ix· Sedit annis ·vii·, diebus ·xv· Vacavit se-

des diebus ·xl· Hunc Iustinianus imperator ad se Constantinopolim accersivit, ac sollemniter ipsum recipiens, ut die dominica missam in ecclesia sanctae Sophiae celebraret rogavit, et communionem de manibus eius recipiens, vultu in terram demisso, ut pro suis peccatis Dominum exoraret postulavit, cunctaque privilegia romanae ecclesiae renovavit. Hoc tempore Coheret (1) et Offa reges Anglorum (in quadam chronica dicitur Saxonum) Romam veniunt, ibique in monachos attonsi militant regi regum. Eodem tempore Childeberto monarchiam regni Francorum tenente, angelus Michaël apparuit Auberto Abricensium episcopo semel et iterum dicens ei, ut in loco marino, qui propter eminentiam suam tumba dicebatur, modo autem mons sancti Michaëlis nuncupatur, ecclesiam in memoriam eius fundaret. Volebat enim talem venerationem sibi in pelago exhiberi, qualis exhibetur ei in monte Gargano. Oda uxor Boggisi ducis Aquitanorum sanctitate in Galliis claret.

Anno Domini ·dcc·xii· Philippicus, qui et Bardanes dicitur, Iustinianum imperatorem iugulans imperat anno uno, mensibus sex; in chronica vero Vincentii dicitur annis duobus. Hic cum esset haereticus, omnes picturas ecclesiasticas et sanctorum imagines in urbe regia, scilicet Constantinopoli, praecepit auferri. Unde papa Constantinus romanusque populus statuit, ne in chartis nomen imperatoris haeretici poneretur, aut percussuram solidorum eius reciperent; sed nec eius effigies in ecclesiam est perlata, nec nomen eius ad missarum sollemnia est prolatum. Anastasius ·ii·, qui et Artemius dictus est, anno Domini ·dccxiii· Philippicum captum oculis et imperio privat, imperatque

(1) Num *Cenred*? an *Burhed*?

anuis ·II·, in quadam chronica dicitur ·III· Hic, sicut in chronica Sicardi dicitur, Constantino papae litteras direxit, quibus se favere catholicae fidei declaravit. His temporibus in pago lemovicensi beatus claruit Leonardus. Constantinus papa sepultus est apud sanctum Petrum in Vaticano.

XCIIII. GREGORIUS ·II

Gregorius secundus natione romanus, ex patre Marcello, coepit anno Domini ·DCC·XV·, in alia vero chronica dicitur ·DCC·XVI· Sedit annis ·XVI·, mensibus ·VII·, diebus ·XXII· Vacavit sedes ·XXXV· Hic constituit sexta (1) feria per totam christianitatem in quadragesima ieiunari, et missarum celebritatem agi. Huius tempore Petronax civis brixiensis divino amore compunctus Romam venit; indeque memorati Papae hortatu montem Casinum petiit, in quo cum aliquibus simplicibus habitavit. Postque suffragantibus sibi meritis sancti Benedicti, evolutis iam ferme CV· annis ex quo is locus ob desolationem Longobardorum, hominum habitatione carebat, multorum ibidem monachorum ad se concurrentium pater efficitur; reparatisque habitaculis; tam se quam alios regularibus subdidit disciplinis. Hic papa Gregorius Bonifacium a Britannia venientem in episcopum consecrat, et per ipsum verbum Dei in Ger-

(1) *Quinta*, non *sexta*, legitur in libro pontificali, sive Anastasio; de re autem satis iam disputarunt apud Blanchinium vit. PP. T. IV. Altaserra et Masseins, quos exscribere nolo. Ceterum, quia mediolanensis ecclesia ritum adhuc retinet sextam feriam in quadragesima sine missae sacrificio transigendi, videtur Gregorius eam consuetudinem apud Romanos abrogavisse. Ergo lectio *sexta* pro *quinta*, retinenda videtur.

mania praedicatur, gentemque Germanorum ad Christum convertit; qui post archiepiscopus maguntinus factus cum in Frisia praedicaret, martyrio coronatur, et transfertur ad fuldense monasterium quod ipse construxerat. Hic etiam Papa cum Leo imperator imagines Christi et beatae Virginis ac aliorum sanctorum in civitate Constantinopoli igne cremari iussisset, idemque ipsi facere praecepisset, non solum facere renuit, sed et imperatorem ob ipsum factum anathematizavit (1). Hic Pontifex, ordinatis rebus, monasteriis, et omni clero, sepultus est apud sanctum Petrum.

Imperii Anastasii secundi anno primo Pipinus princeps Francorum obiit ·xvii· kal. ianuarii anno Domini ·dcc·xiii· secundum gesta eiusdem Pipini, et filium suum Karolum ex Alpayde concubina principatus sui heredem reliquit. Hic Karolus Tutides sive Martellus cognominatus est a maioribus malleis fabrorum, quibus tundi et attenuari gravior ferri massa solet. Porro hunc Plectrudes eius noverca cum agnovisset principem constitutum, capi fecit, et in urbe Colonia custodiae mancipari; et cum nepote suo Theodaldo maiore domus principatum regni usurpavit. Anno sequenti Childebertus rex Francorum moritur; cuius filius Dagobertus iunior substituitur, et quatuor annis regnat. Interim Karolus Tutides sive Martellus de custodia novercae eripitur. Anno Domini ·dcc·xvii· Theodosius tertius Anastasium de imperio deposuit, eumque fecit presbyterum ordinari, imperavitque Theodosius anno uno. Anno Domini ·dcc·xviii·, in quadam vero chronica dicitur ·dcc·xix·, Leo tertius imperat annis ·xxiii·, in quibusdam chronicis dicitur ·xxv· Anno Leonis se-

(1) Legatur Ant. Sandinii disputatio .xvii. ad vitas PP. rom. qui hoc factum lucide edisserit.

eundo, Dagobertus rex iunior moritur, post quem Lotharius regnavit annis duobus.

Interea Chilpericus et Raufredus Eudonem ducem auxiliarem sibi adsciscunt, et congredientes contra Karolum, ab eo victi vix fuga evaserunt. Eudo vero dum redit, Chilpericum secum abducit. Sed postea mortuo Lothario rege, Karolus eundem Chilpericum ab Eudone per legatos recipit, eumque sibi regem instituit. Hic autem Chilpericus Daniel dictus est, primum clericus, sed ex clerico in regem promotus. Post hoc Karolus Raufredum persequens, Andegavum obsidet, eamque captam victo Raufredo ad habitandum concedit, et totius regni recepit principatum; ac deinde Saxones aggreditur ac devincit. Porro inde victoria adepta rediens Rigobertum episcopum remensem, cuius in baptismate filius fuerat, ab episcopatu deposuit, pro eo quod illi contra Raufredum eunti, idem episcopus urbem remensem prae timore Raufredi noluit aperire.

Anno Leonis tertio Hommar Sarracenorum amiras christianos persequens, multos eorum martyres fecit. Sarraceni ex Africa, duce Altariko, filio Rauhamae amirae, in Hispaniam transfretant, eamque sibi vendicant. Et ita regnum Westgothorum et Svevorum destructum est, et sub Sarracenis redactum, annis paulo plus vel minus ·cc·xlvi· evolutis, ex quo a Scythia expulsi sunt ab Hunnis; ex quo vero cedentibus Vandalis et devictis Svevis coeperunt regnare, annis circiter ·cc·lvi· evolutis. Regnum tamen tertiae partis Hispaniarum, quod Gallensium dicitur, quod nec tunc Westgothi, nec postea Sarraceni potuerunt subigere, adhuc viget incolume, et Deo protegente fidem inexpugnabile manet.

Anno Leonis quarto, Domini vero ·dcc xxi· vel ·xxii

Liutprandus Longobardorum rex audiens quod Sarraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa foedassent, ubi ossa beati Augustini ob vastationem barbarorum olim ab Hippona civitate Africae, cui episcopus praefuerat, translata et recondita fuerant, legatos suos illuc direxit, qui dato magno auri pondere, pretiosas illas reliquias secum devehentes Ianuam revertuntur; ubi praefatus rex cum gaudio eis occurrens, corpus almificum devote adorans, reverenter excepit, visis miraculis ad declarandum sancti viri meritum ibidem patratis. Sane rex ipse et sui inde progressi cum pretiosissimo thesauro, venerunt ad quandam villam in terdonensi dioecesi sitam; unde cum corpus sanctisimum tollere voluissent, ita stetit immobile, ut nulla vis, nulla posset id ars humana movere. Quod videns rex votum vovit, quod si beatus confessor ex illo loco se tolli permitteret, et Papiam transduci, villam illam cum omnibus pertinentiis famulis suis concederet perpetuo possidendam, ubi est modo nobilis abbatia. Voto igitur facto atque firmato, corpus inaestimabili facilitate substollitur, et Ticinum id est Papiam usque transvectum, clero pariter et populo concurrente, honorifice et gaudenter excipitur, et in basilica sancti Petri, quam praefatus rex constituens caelum aureum dixerat, dignissime collocatur. Facta est autem haec translatio ·CCXCI· annis ab eiusdem confessoris transitu iam decursis. Quod autem in dicta ecclesia pretiosus ille thesaurus reconditus sit, stupendo et evidenti miraculo elucescit; siquidem in ipsa crypta, in qua iacet, puteus est qui quibusdam annis in festo eiusdem superinundans totam cryptam perefluit, in signum quod sicut aqua ipsius cryptae sordes diluit, sic haeresim ab ecclesia Dei affluens eius doctrina detersit.

Anno Leonis nono, effugato prius et tandem mortuo Chilperico, Theodoricus quartus a Karolo Martello subrogatur in regno, regnavitque ·xv· annis. Hoc tempore idem Karolus Martellus bellicosissimus princeps Saxones armis subiugat; devincensque Laufridum Alamannorum ducem, Alamanniam sibi efficit vectigalem: Svevos quoque et Bavaros debellat; et Eudonem ducem Aquitaniae bello victum fugat, et Aquitaniam graviter devastat. Eudo vero dux videns se Karolo inferiorem per omnia, Sarracenos ab Hispania ad bellandum contra eum invitat. Sarraceni autem mox cum omnibus famulis suis quasi Gallias habitaturi fluvium Garumnam transeunt, omniaque devastant, ac Dei ecclesias cremant. Quibus Karolus auxilio Dei fretus bellaturus occurrit, et ex eis ·ccc·lxxxv· milia cum rege suo Abdurama peremit. Eudo quoque Karolo reconciliatus castra Sarracenorum dirupit, et reliquias eorum contrivit. Nec multo post idem Eudo rebellat; sed Karolus rebellantem debellat, eumque principatu et vita privat. Cum filiis quoque eius Gaiferio et Hunaldo dimicat, et totam Aquitaniam sibi subicit. Blavium etiam castrum capit, Luxoviumque et alias Aquitaniae civitates, totamque etiam Burgundiam subegit. Cumque multitudo hostium et assiduitas bellatorum sibi incumberet, res ecclesiasticas id est decimas militibus concessit habendas; quam ob rem animam ipsius post mortem vidit sanctus Eleutherius aurelianensis episcopus inferni suppliciis detineri.

XCV. GREGORIUS ·III·

Gregorius tertius natione syrus, ex patre Iohanne, coepit anno Domini dcc·xxxi· Sedit annis ·x·, mensi-

bus ·VIII·, diebus ·XXIII· Vacavit sedes diebus ·VIII· Hic addidit in secretis " quorum hodie sollemnitas in conspectu maiestatis tuae celebratur, domine Deus noster, in toto orbe terrarum. " Hic cum Leonem imperatorem haereticum in depositione imaginum Christi et sanctorum incorrigibilem vidisset, Romam et Italiam ac Hispaniam totam ab eius iure discedere fecit, et vectigalia interdixit, synodumque paene mille episcoporum Romae celebrando (1), venerationem sanctarum imaginum confirmavit, atque violatores generali sententia anathematizavit. Hic Viennae archiepiscopum instituit, dato ei pallio, quod est archiepiscopatus insigne: quae quidem urbs, ut aiunt, idcirco dicitur Vienna quasi Biennia, eo quod biennio sit constructa. Hic quoque Papa cum Roma obsideretur ab Liutprando rege Longobardorum, misit navigio ad Karolum Martellum claves confessionis sancti Petri, ut romanam ecclesiam a Longobardis liberaret.

Huius Papae anno primo, Domini ·DCCXXXI·, Leonis autem ·XIII·, Beda presbyter et monachus sanctitate et scientia in Anglia clarus, die ascensionis Domini obiit; ferturque in hora mortis saepe hanc antiphonam repetisse " o rex gloriae domine virtutum etc. " atque inter haec verba spiritum emisisse. Theodoricus

(1) Haec ad verbum sumuntur ex Martino. Verumtamen ad concilium quod attinet, id dicitur ab Anastasio episcoporum tantummodo .XCIII. cum duobus archiepiscopis. Neque apud eum mentio ulla fit regionum ab imperatoris iure subtractarum. Utique subtractas provincias negatumque vectigal narrant non tam latini quam graeci auctores Theophanes, Zonaras, et Cedrenus, quos secuti sunt latini Sigibertus Martinus, et hic noster, et Platina. Sed ab horum sententia recedit Natalis Alexander saec. VIII. dissert. I. ad quem lectores mitto. Sed utcumque se ista habent, utique non ad tertium sed ad secundum Gregorium pertinent.

rex Francorum moritur; post quem regnat Childericus annis ·IX·, vir inutilis et remissus, nihilque de regno praeter nomen habens, et praeter victum quem ei praefectus aulae regiae ministrabat. Eodem anno Karolus Martellus victoriosissimus princeps pacato et dilatato regno Francorum obiit ·XI· kal. novembris anno Domini ·DCC·XLI, principatus sui anno ·XXVII·, cuius corpus in ecclesia beati Dionysii sepelitur; in cuius sepulcro post aliquot annos ingens serpens loco corporis inventus est. Post quem Karolomannus et Pipinus filii eius heredes facti sunt principatus; Karolomanno siquidem primogenito cessit Austrasia et Thuringia, Pipino vero iuniori Burgundia, Neustria, et Provincia. Gregorius papa sepultus est in Vaticano in basilica sancti Petri.

XCVI. ZACHARIAS.

Zacharias natione graecus, ex patre Polychronio, coepit anno Domini ·DCC·XLII·, in alia vero chronica dicitur ·DCC·XLIII· Sedit annis ·X·, mensibus ·III·, diebus ·XV· Vacavit sedes diebus ·XIII· Hic fecit pacem cum Longobardis. Hic dialogorum libros de latino transtulit in graecum. Anno Domini ·DCC·XLII· Constantinus ·V· filius Leonis tertii imperat annis ·XXXV· Per idem tempus sanctus Bonifacius maguntinus archiepiscopus claret, qui in silva Bochonia coenobium fuldense fundavit, quod quidem in partibus Germaniae praeclarum extat, cuius abbas in curia imperatoris Austrasiorum magni honoris habetur, qui mille milites imperatori dat. Hoc autem coenobium hodie dicitur sancti Galli. Per idem tempus sub anno Domini ·DCC·XLVII· Karolomannus frater Pipini divino timore compunctus

anno ·v· sui principatus Romam adiit, in qua a Zacharia papa in monachum attonsus migravit in montem Soractem, ubi aedificato coenobio in honorem sancti Silvestri, religiose studuit conversari. Sed cum multi Francorum ac Theutonicorum nobiles Romam venientes eum salutandi gratia visitarent, videretque quod otium quo maxime delectabatur ob frequentiam visitantium interrumpere cogeretur, locum illum deserens montem Casinum petiit, in quo aliquanto tempore laudabili vita enituit.

In quadam chronica invenitur, quod monachi coenobii casinensis, adiuncto sibi Karolomanno monacho, venerint Romam ad Zachariam papam rogantes ipsum, ut litteras regi Francorum dirigeret, quatinus corpus sancti Benedicti, quod floriacenses monachi furtim habuerant, loco Casinensium restituerent. Quod rex Pipinus cum mandasset fieri, monachis floriacensibus ieiunantibus et flentibus, nuncii qui corpus auferre debuerant, percussi sunt caecitate; quo cognito, ibidem remansit. Iste Papa in ecclesia lateranensi corpus sancti Gregorii reperit cum epitaphio graecis litteris exarato, illudque transtulit ad ecclesiam sancti Georgii ad velum aureum. In multis chronicis scribitur, quod anno Constantini quarto, Domini ·DCC·XLV·, beatae Mariae Magdalenae reliquiae, partim certe, ad Verzeliacum sint translatae coenobium a Gerardo comite Burgundiae qui idem construxerat. Haec siquidem gloriosa Christi dilectrix, persecutione post lapidationem Stephani mota, cum Maximino, qui de ·LXXII· discipulis Domini erat, venit in Gallias, et post ·XXX· annorum paenitentiam sepulta est a sancto Maximino praedicto in territorio Aquensi ubi episcopus erat.

Karolomanno monacho existente, et memorato Chil-

derico solo nomine ut praenotatum est regnante, Pipinus frater Karolomanni solus gubernabat Francorum principatum et maior domus regiae dicebatur. Hic Pipinus anno Domini ·DCC·L· misit legatos ad Zachariam papam consulens qui potius rex esse aut dici deberet, illene qui magnos pro regni pace sustineret labores, an qui otio deditus solo regis nomine erat contentus? Cui Papa respondente et remandante, potius illum regem esse, qui utilius regni gubernacula et rem publicam ageret, Franci tanti Pontificis responsione animati, Childerico mox in monasterium retruso, et monastico tegmine palliato, Pipinum regem sibi constituunt anno Domini DCC·L·, quem sanctus Bonifacius maguntinus archiepiscopus iussu praefati Papae inunxit in regem apud Suessionem urbem, qui annis ·XVIII· regnavit, post annos circiter ·LXXXVIII· ex quo maiores domus Franciae coeperant principari super reges Francorum (1). In hoc itaque praefato Childerico defecit progenies Chlodovei, qui fuit primus regum Francorum christianus, succedente Pipino cuius insignis posteritas per multa postea tempora regnum Francorum tenuit, nec non et annis multis in Austrasiorum imperatoribus enituit. Pipinus igitur ex praefecto aulae regiae, seu maiore domus, rex effectus, regnum ampliare contendit, Galliarum ecclesias cantibus romanae auctoritatis suo studio meliores fecit; cuius frater Remigius rothomagensis aschiepiscopus multa laude celebris habitus est.

(1) De S. Zachariae re gesta cum Pipino primo rege in serie Karoliugiorum satis disseruit post Baronium, Bellarminum, ac Natalem Alex. saec. VIII. dissert. II., iam laudatus Sandinius in sua .XVIII. ad vitas Pontificum rom. disputatione, et in adn. ad Zachariae vitam.

Per idem tempus Rachis Longobardorum rex cum uxore et filiis Romam veniens ad Zachariam papam, cum prius Romanis non parum molestiarum intulisset, exhortatione et instinctu ipsius Papae, relicto mundo monasticum induens habitum monachus factus est. Cui Aistulphus frater eius successit in regno. Sanctus Aegidius de Graecia in Provinciam veniens clarus habetur. Hic parentibus mortuis, et bonis suis pauperibus distributis, crescentibus miraculis quae Dominus faciebat per eum, de loco ad locum fugiens venit Massiliam; indeque favorem humanum cupiens declinare, eremum petiit, in quo modo quiescit, ubi cervae silvestris lacte nutritus, iacientibus venatoribus Flavii regis Gothorum, qui Nemausi sibi sedem regni statuerat, sagittam in cervam, brachium inter spiculum posuit et nutricem; et vulnere sic suscepto, rogavit Deum ut numquam dolor cessaret, nec a vulnere sanaretur; quod et impetravit. Tandem instante rege praedicto et episcopo nemausensi, monasterium monachorum ibidem construxit. Cumque in Franciam devenisset, rogatus a Karolo rege, ut oraret Deum quatinus sibi secretum quoddam peccatum dimitteret, veniam reapse consecutus est. Zacharias papa omni virtute ornatus moritur, et apud sanctum Petrum tumulatur.

XCVII. STEPHANUS ·II·

Stephanus secundus natione romanus, ex patre Constantino, coepit anno Domini ·dcc·lii·, in quadam vero chronica dicitur ·dcc·liii· Sedit annis ·v·, diebus ·xxviii. Vacavit sedes mense uno, diebus ·v· Hic Stephanus papa dum Aistulphus Longobardorum rex contra Romam adeo exardesceret, ut ab uniuscuiusque capite

tributum exigeret, clam per quendam peregrinum litteras suas nimio dolore conscriptas misit Pipino, quibus ei oppressionem romanae ecclesiae nunciavit. Qui invitatus ab ipso Pipino in Franciam venit; cui venienti Pipinus occurrit, et de equo descendit, solo prosternitur, et per spatium trium miliariorum vice stratoris cum magna humilitate et devotione, una cum coniuge et nobili prole sua, ad palatium suum deduxit; ibique intra oratorium pariter considentes, lacrimabiliter idem Papa deprecatus est, ut per pacis foedera causam beati Petri et rei publicae romanorum disponeret; qui iure iurando omnibus eius mandatis totis sese viribus obediturum promisit, quod et fecit. Porro idem Papa graviter aegrotans in coenobio sancti Dionysii, per visionem mirabilem redditur sanitati. Unde ibidem altare in honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli ab ipso consecratur. Et Pipinus cum filiis suis Karolomanno et Karolo in regem inungitur, ut per eos generatio eorum in hereditatem successionis in perpetuum benediceretur, et omnis alienigena ab eius invasione apostolico anathemate interdicitur.

Eodem anno Bonifacius archiepiscopus in Frisia verbum Dei annuncians, martyrio coronatur. Hoc etiam anno, sicut in quadam chronica dicitur, Karolomannus superius memoratus monachus ab Aistulpho rege mittitur ad fratrem suum Pipinum regem ad petitionem apostolicam perturbandam. Qui cum in Francia moraretur, ossa beati Benedicti a floriacensi coenobio, quò olim translata fuerant, tollere nisus est ut ea ad castrum Casinum referret; sed miraculis a Deo ostensis, et obsistentibus Francis, ab incepto proposito prohibetur. Hoc tamen retro, sub Zacharia papa, factum esse aliter secundum aliam chronicam enarra-

tur. Interea cum Pipinus rex copiosum movisset exercitum Stephano papae auxilium praebiturus, praedictum Karolomannum monachum fratrem suum Viennae reliquit, ubi paulo post obiit. In quadam vero chronica dicitur quod in monte Casino post laudabilem vitam in Christo quieverit. Per idem tempus aedificatum est a Pipino Figiacense coenobium, in territorio cadurcensi, cuius oratorium ipsis Stephano papa et rege praesentibus adeo est mirabiliter consecratum, prout in gestis antiquis ipsius monasterii plenius continetur. Pipinus itaque rex Italiam ingreditur, exercitus Aistulphi a Francis vincitur, Aistulphus pacem facere cum romanis ad nutum Francorum cogitur. Sed post discessum Pipini foedera pacis violans, in irritum quicquid promiserat ducit, rursusque Romam obsidet, rursusque Pipino romanae ecclesiae oppressio nunciatur. Pipinus igitur Italiam repetens Aistulphum Papiae concludit, et invitum ad foedus pacis repetendum compellit, et sancto Petro quaecumque sui iuris erant restitui iussit. Nec multo post idem Aistulphus iudicio Dei percussus moritur, cui Desiderius subrogatur.

Hoc tempore terribilis in Syria factus est terrae motus, quo urbes aliae quidem ex toto, aliae vero ex parte subversae sunt, aliae autem a montanis ad subiecta campestria cum muris et domibus suis integrae et salvae plus quam sex miliaria transmigrarunt. Anno Constantini ·xiiii·, Domini ·dcc·lv· Fultradus abbas sancti Dionysii corpus sancti Viti martyris Roma transtulit. Anno Constantini ·xv·, Domini ·dcc·lvi· caput sancti Iohannis Baptistae in Aquitaniam divina voluntate allatum est sub rege Pipino, et ab eodem honorifice susceptum, ac postmodum in eisdem finibus ecclesia nobili constructa cum digno honore repositum

est, quae hodie sancti Iohannis angeliacensis vocatur. Anno eodem Tassilo Baioariorum dux venit ad Pipinum regem avunculum suum, et illi homagium fecit, cum multis nobilibus, iurans super corpora sanctorum Dionysii sociorumque eius, fidem se eidem regi perpetuam servaturum.

Martinus in chronica sua scribit, quod hic Stephanus papa ultimo anno pontificatus sui imperium romanum a Graecis transtulit in Germanos in personam magnifici regis Karoli, de qua translatione tangit decretum extra de electione *venerabilem* (I. 6. 34.) Item in apparatu eiusdem decreti super verbo illo *transtulit* sic dicitur: legitur in chronicis quod cum romana ecclesia opprimeretur ab Aistulpho rege Longobardorum, postulatum fuit auxilium a Constantino et Leone filio eius imperatoribus constantinopolitanis, qui cum nollent patrocinari ecclesiae, Stephanus papa secundus transtulit imperium ad Karolum magnum Pipini filium, quem Pipinum Zacharias praecessor eius substituerat Childerico regi Francorum, quem Childericum deposuerat, de quo sermo fit caus. ·XV· Q. VI. cap. *alius*. Et haec translatio facta est anno Domini ·DCC·LVI· Quem Karolum Leo tertius elapsis post hoc ·XV· annis coronavit.

XCVIII. PAULUS ·I·

PAULUS primus natione romanus, de regione viae latae, ex patre Constantino, coepit anno Domini ·DCC·LVII·, in quadam vero chronica dicitur ·DCC·LX· Sedit annis ·X·, mense ·I· Vacavit sedes anno ·I·, mense ·I· Hic constituit divina officia celebrari ante horam sextam in quadragesima. Iste transtulit corpus sanctae Petronil-

lae virginis, filiae beati Petri apostoli, de sarcophago marmoreo, cuius titulus legebatur " Aureae Petronillae dilectissimae filiae „ et reposuit in tumulo pretioso. Iste fuit mitissimus et misericors, nulli malum pro malo reddens. Idem cum paucis familiaribus suis per cellas infirmorum et pauperum et incarceratorum noctis silentio circuibat, ipsis necessaria ministrans; viduis quoque et pupillis et aliis egenis opem ferebat. Hic cum propter aestivum calorem apud sanctum Paulum moraretur, ibidem mortuus sepelitur anno Domini ·DCC·LXVII·, sed postea a romanis eum magno honore apud sanctum Petrum sepelitur. Hoc tempore sanctus Gengulphus in Burgundia claret. Hic in Francia fontem emit, et in Burgundiam exire impetravit. Idem cum uxorem propter adulterium dimisisset, ab adultero clerico occiditur.

Per idem tempus Pipinus rex fortiter Saxonum munitiones irrumpit, et post multam stragem eos redegit sub tributum. Deinde ad Arvernicum pagum depopulando pervenit, et multa castella ac urbem ipsam capit, et Blandinum urbis comitem cum multis abducit; Bituricas civitatem capit, et captam munit; Agennum et Petrocorium et Engolismam urbes Aquitaniae devastat, multamque sibi partem Aquitaniae subiugat. Interea videns Gaiferium ducem Aquitaniae non consentire iustitiis ecclesiarum partibusque Francorum, in Aquitaniam venit, et cepit castella haec, scilicet Borbonium, Chaucellam, Claromontium, et multa Arverniae castra; et veniens Lemovicum muros eius destruxit, et inde ius primatus Bituricas transtulit, et ducatum Pictavos. Tertio in Aquitaniam rediens, iterum Bituricas cepit, et castrum Toartii. Quarto rediens Cadurcum vastavit, et veniens Lemovicum Salaniacum

castrum ecclesiae cathedrali sancti Stephani, et villam sancti Valerii coenobio sancti Martialis in restitutionem illatorum damnorum dedit. Quinto in Aquitaniam rediens castrum Argentomachum contra Gaiferium restauravit. Sexto contra Gaiferium rediens cepit Narbonem, Tolosam, Albiam, Gavaldanum, et multas rupes et speluncas occupavit, et reversus per Lemovicum castra Scoraliae et Turennae et Petrusiae acquisivit. Ultimo autem in territorio petrogorico Gaiferium ipsum occidit anno Domini ·DCC·LXVIII· Liberata est igitur Aquitania per reges Francorum primo quidem a Gothis, secundo a Sarracenis, tertio a Normannis. Anno Constantini ·XXIII·, Domini ·DCC·LXIII·, factum est gelu maximum non solum in Italia. Sed etiam in oriente, multoque magis in septentrionali parte, pelagus pontusque ad centum miliaria prae glaciei rigore in duritiam lapidum fuerat versum, habens cubitos ·XXX· a superficie in profundum; nix quoque cooperuit id per ·XX· cubitos, ita ut mare pedibus calcaretur. Mense vero februarii gelu concussum est in diversas species ad instar montium; eodemque anno mense martio stellae de caelo repente cadentes apparuerunt, ita ut arbitrarentur homines finem mundi adesse. Hoc anno Theodegaudus metensis episcopus, Pipini regis ex Landrata sorore nepos, corpora martyrum Gorgonii, Naboris, Nazarii, de urbe Roma ad Gallias transferens, Gorgonium quidem in Gorcia, Naborem in Hiliaciaco coenobio, Nazarium vero reposuit in coenobio Laureshaim.

Finito itaque bello aquitanico, quod per ·IX· annos continuos gesserat, Pipinus rex Franciae obiit Parisiis ·VIII· kal. octobris, et in ecclesia sancti Dionysii cum multa honorificentia tumulatur anno Domini ·DCC·LXVIII Hic prius regalis aulae praefectus, et ex praefecto in

regem promotus, victoriarum successibus felix, regnavit annis ·xviii·, ab obitu vero patris sui erant anni ·xxviii· Cui Karolus magnus successit, cuius prima expeditio fuit in Aquitaniam contra Hunaldum fratrem Gaiferii ducis, castrumque Frontiacum contra Burdigalam construxit. Ordinavit autem per Aquitaniam episcopos et abbates et comites de genere Francorum, sub se ·ix· comites ponens, Biterris Humbertum, Pictavis Abbonem, Lemovici Rotgerium, Petrocorii Guitonem, Alvernis Hiterium, Walgiae seu Vellatae, quae nunc dioecesis est podiensis et circum adiacens regio, Bullum; Albiae Haymonem, Tolosae Torsonum, Burdigalae Seguinum, quibus filium suum Ludovicum praefecit. Hic Karolus Carcassonam in finibus Aquitanorum munivit et Tolosae quater legitur placitasse; et ordinem ecclesiasticum reparans, ·xxiiii· monasteria in Aquitania fecit. Karolus igitur qui ob felicitatis magnitudinem cognominatus est magnus, cum fratre suo Karolomanno, regno partito, regnavit ·xlvi· annis, patri non impar gloria, sed multo victoriosior longeque praeclarior, cuius historia ac gesta infra plenius subnotantur.

XCVIIII. CONSTANTINUS ·II·

Constantinus secundus natione romanus Romae Paulo papa defuncto coepit anno Domini ·dcc·lxvii· vel ·lxviii· Sedit anno ·i·, mense ·i· Hic quidem Constantinus ex laico subito ordinatur sacerdos, et tyrannica ambitione papatu invaso, magno fuit scandalo ecclesiae. Contra hunc Philippus eligitur. Verumtamen Constantinus pseudopapa tandem zelo fidelium ab ecclesia deturbatur oculisque privatur, ac Stephanus eligitur.

C. STEPHANUS ·III·

Stephanus tertius natione siculus, ex patre Olivo, post Constantinum deiectum coepit anno Domini ·dcc·lxvii· vel ·lxviii· Sedit annis ·iii·, mensibus ·v·, diebus ·xxvii· Vacavit sedes diebus ·viii· Hic tam a Gallia quam ab Italia episcoporum synodum Romae congregat, in qua omnia a Constantino ordinata exordinat, praeter baptismum et chrisma, decernente synodo ut episcopi ab illo consecrati ad gradum, quem ante quam consecrarentur habebant, redirent; et si digni iudicarentur, iterum electi iterato consecrarentur (1): presbyteri vero ac diaconi ab illo consecrati similiter ad gradum priorem redirent; et si digni essent iterum consecrarentur et ipsi, sed ad gradum vel ordinem numquam ascenderent altiorem: laici vero ab illo in diaconos vel pres-

(1) Sic loquitur etiam liber pontificalis. Sed audiamus Baronium ad ann. 769. n. vi. *Ne hos episcopos existimes iterum consecratos, sed accepisse dumtaxat more maiorum benedictionis mysterium; quod auctor (lib. pontif.) nominat benedictionis sacramentum ritus illos sollemnes adhiberi solitos in reconciliatione schismatici vel haeretici.* Alia via incedit Morinus de sacr. ordin. praef. ad Auxilii de Formosi ordinationibus libellos, in Assemani editione romana T. I. p. 202. *Nec de illis reordinationibus* (post Constantini degradationem) *et superordinationibus iudicandum, ut nunc iudicaretur: nondum enim in rem iudicatam transierat, et in fidei catholicae axioma, quamlibet ordinationem secundum ecclesiae ritum, ab episcopo secundum eundem ritum ordinato celebratam, validam esse et nullo casu iterandam. Variae erant et contrariae de hac re traditiones* etc. Ex Morino plura non sumo. Sed certe iam tum absolutae extiterant de non iterandis ordinationibus sententiae PP. Leonis, Anastasii, et Gregorii magni lib. II. ep. 32. Rem prae ceteris docte illustrat Natalis Alex. saec. viii. cap. I. art. 8., cui merito haec narratio vel incredibilis videtur, vel explicanda prudenter.

byteros ordinati degradarentur omnino, et in religioso habitu perseverarent. Hic constituit ut omni die dominico " gloria in excelsis Deo „ cantaretur ad missam.

His diebus Constantinus imperator omnino a Deo aversus Stephanum per ·XL· annos inclusum et gentibus reverendum amara morte martyrem fecit. Hic omnes sibi subditos super crucis lignum iurare coegit ne aliquam Dei vel sanctorum eius imaginem venerarentur; eosque qui Dei genitricem invocabant, et qui vigilias Deo agebant, et qui eleemosynas facere assueti religiose vivebant, et qui a iuramentis et immunditiis abstinebant, et qui sanctorum reliquias penes se habebant, hos et huiusmodi damnans patrimoniis privabat, et modis omnibus cruciabat; et qui renuentes erant, barbis eorum cera et pice illitis eos adurebat, monachos ut uxores, moniales ut viros ducerent compellebat; quod multi vitantes, martyrium meruerunt, nec sub alicuius persecutione plures martyrizati sunt quam sub isto.

Karolomannus frater regis Karoli cum regnasset biennio, obiit anno Domini ·DCC·LXXI· pridie nonas decembris, sepultusque fuit in basilica sancti Remigii iuxta urbem remensem, cuius pars regni partibus Karoli cessit. Uxor eius Gerberta cum filiis et Autcario franco ad Desiderium regem Italiae confugit. Hic Desiderius romanis infestus praecedente anno sub obtentu orandi Romam veniens, cum urbem fuisset ingressus, aliquos nobilium romanorum captos crudeliter excaecavit. Karolus vero rex, fratre mortuo, regni monarchiam adeptus ad saxonicum bellum animum intendit, Heresburch cepit, fanum Hermensul destruxit; ibique gravi siti exercitu laborante, subito divino nutu aquae largissimae effusae sunt in torrentem; votique compos

effectus obsides recipit a Saxonibus. Verum non multo post Saxones foedus rumpunt, fines Francorum premunt igne et caede; sed ecclesiam in Fridislar incendere nequeunt, cui sanctus Bonifacius benedixit, eamque numquam cremandam praedixit. Quod cum audisset Karolus, Saxoniam repetens, Saxonibus exercitu tripertito occurrit, eique in omnibus victoria provenit.

CI. HADRIANUS ·I·

Hadrianus primus natione romanus, ex patre Theodorico, de regione via lata, coepit anno Domini ·DCC·LXXI·, in alia chronica dicitur ·LXXII·, in alia denique ·LXXIII· Sedit annis ·XXIII·, mensibus ·X·, diebus ·XXVIII· Vacavit sedes diebus ·III· Hic restauravit sanctum Anastasium ad aquas Salvias post incendium. Hic aedificavit turres, et muros urbis Romae qui diruti erant, et funditus destructos renovavit. Idem portas aereas maiores beato Petro dedit. Hoc tempore celebrata est ·VII· synodus ·CCCL· episcoporum apud Nicaeam, aliam autem synodum ipse celebravit Romae, de qua infra dicetur. Hic Hadrianus papa tam intra Romam quam extra multas ecclesias restauravit. Hic etiam in monasterio sancti Stephani, quod iuxta ecclesiam sancti Petri positum est, congregationem monachorum instituit, ut in eadem ecclesia sancti Petri cum tribus monasteriis quae Gregorius instituit, laudes et cantus sedulos persolvant. Hic quoque cum in magna angustia et anxietate esset ob ablatas civitates, et innumera mala a Desiderio rege Longobardorum illata, direxit nuncios suos maritimo itinere ad regem Karolum anno ·DCC·LXXIII· enixe deprecans ut oppressae ecclesiae compateretur, et ipsius iura sicut praecessores eius fecerant tueretur.

Karolus igitur universum exercitum colligens, per montem Cenesium ingreditur Longobardiam, Desiderium cum suis effugat et intra Papiam concludit; quam cum per sex menses obsedisset, magnum habens desiderium limina apostolorum videndi, relicto exercitu Romam pergit; et dum appropinquaret in ipso sabbato sancto paschae ad beatum Petrum fere uno miliario pedestris festinat, et omnes gradus ecclesiae singillatim deosculans, ad Pontificem praefatum pervenit, qui in atrio super gradus iuxta fores ecclesiae consistebat. Celebrata denique ibi sollemnitate paschali, civitates et territoria beato Petro concessit, sicut in eadem donatione monstratur; videlicet a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, deinde in Parma, deinde in Rhegio, et inde in Mantua, atque in monte Silicis, similiterque universum comitatum Ravennae sicut erat antiquitus, atque provincias Venetiarum et Histriae, nec non et cunctum ducatum spoletanum. Postea vero Papiam rediens, fortiter eam debellat; et inter obsidendum diviso exercitu multas urbes ultra Padum cepit, in quibus Autcarius francus cum uxore Karolomanni et filiis eius latens, se cum eis regi dedit. Ob seditionem denique Papiensium pestilentiamque gravantem, civitas regi Karolo aperitur, et Desiderius rex cum uxore et filia et cunctis principibus capitur, et perpetuo exilio ad Gallias a Gaufrido leodiensi episcopo dirigitur anno Domini ·DCC·LXXIIII·

Regno itaque Longobardorum destructo Karolus rex totam Italiam sub iure regis Franciae redegit; et quicquid per longa tempora Longobardi romanis abstulerant, eis restituit. Taliter itaque Longobardi devicti anno regni Karoli ·VI·, imperii vero Constantini

·XXX·, destiterunt regnare post ·CC·XIIII· annos ex quo in Italia regnare coeperant. Victoria igitur de Longobardis adepta, totaque Italia subiugata, Karolus Romam redit, synodumque cum Hadriano papa et ·CLIII· religiosis episcopis et abbatibus multis constituit, in qua Hadrianus papa cum universa synodo dedit Karolo ius et potestatem eligendi Pontificem et sedem apostolicam ordinandi; dignitatem quoque patriciatus; insuper archiepiscopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit; et ut nisi a rege laudaretur et investiretur, episcopus a nemine consecraretur: anathematizavit omnes huic decreto rebelles, et iussit bona eorum nisi resipiscerent publicari (1). Haec leguntur in decreto dist. LXIII· cap. *Hadrianus.* Verum cum eundem regem offenderet dissonantia cantus ecclesiae inter gallicos et romanos, malens de puro fonte quam de turbato bibere, duos clericos Romam misit, ut authenticum cantum a romanis discerent, et Gallos

(1) Haec ad verbum sumit noster ex Sigeberti gemblacensis chronico, eaque in Gratiano etiam cap. 22. dist. 63. leguntur; unde factum est, ut ob decreti gratianci vulgatum usum et scholasticam aucturitatem haec opinio plurimos libros occupaverit. Atqui audiamus Natalem Alexandrum minime suspectum in his sententiis aucturem, qui saec. XIII. dissert. VIII. sic loquitur: " Canonem „ istum (Gratiani) suppositium esse, et a Sigeberto confictam „ historiam, ut Henrici imperatoris partes, cui favebat adversus „ Paschalem II, hac auctoritate muniret, viri eruditi consentiunt, „ et Gratianum a Sigebertu deceptum. Falsi rationes apud Baro- „ nium ad ann. 774, et apud de Marca lib. 8. de concord. S. et „ I. cap. 12. legere est. „ Nuperius autem v. cl. A. Sandinius disputationem scripsit inter pontificias decimam nonam qua docte rursus demonstrat fictam esse synodum sub Hadriano I. circa ius eligendi romanum Pontificem, et investituras concedendi episcopis. Verumtamen dictis olim copiosissime a Baronio nihil iam propemodum addendum supererat.

docerent, ac per hos primo·Metensis ecclesia ac postea tota Gallia ad auctoritatem cantus revocata est.

Post aliquot vero dies cum Constantinus imperator multa mala ecclesiae Dei intulisset, plaga pessima incendii percussus est et peremptus. Anno Domini ·DCC·LXXVII· Leo quartus Constantini filius imperat annis ·V·, in alia vero chronica dicitur annis ·VI· Hoc anno primo, qui erat Karoli regis octavus, quibusdam rebellionem in Italia meditantibus, Karolus eam intrat, urbemque forum Iulii capit, et ducem eius Rollandum rebellionis incentorem decollari praecipit; captaque Tarvisio urbe, ceteris terrorem incutit sui nominis maiestate. Per hos autem dies Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus, gloria Dei apparuit super ecclesiam, orbibus duobus, scilicet scutis, sanguineo colore flammantibus, ut in bello fieri solet, per aëra dantibus quosdam motus. Porro Karolus cum Saxonum rebellionem audisset, Saxoniam petit, Saxones velut tempestas prosternit, munitiones eorum irrumpit, et ad hoc eos impellit, ut se et patriam datis obsidibus omnino ei subsint. Moxque Guutichildus dux Saxonum in Normanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur ut ingenuitatem et sua omnia perdant, si umquam a fidelitate erga Christum regemque recedant.

Karolus deinde anno Domini ·DCC·LXXVIII ad Hispaniam tendit, Caesaraugustam vastando delet, Pampilonam obsidet, eiusque captae muris destructis, Vascones duosque regulos Sarracenorum sibi subigit, aliasque urbes in deditionem accipit. (Anno Domini ·DCC·LXXX· Karolus Saxoniam ingressus, ad Heresburch venit, et inde ad locum ubi Lippa consurgit, et ibi synodum tenuit. Inde *) Albiam flumen transgreditur,

* Haec suppleo ex annalista saxone, quia manifeste exciderunt a nostro; neque enim Albia flumen ad res hispanicas pertinet.

ibique in eius gratiam Bardagavenses et Veroduitae baptizsntur. Madus Sarracenorum amiras multos utriusque sexus pro Christo martyrizat. Interea Karolus anno regni ·XIII·, Domini ·DCC·LXXX· circa natale causa orationis Romam vadit, ibique filii eius duo inunguntur in reges, Pipinus super Italiam, Ludovicus super Aquitaniam. Anno Domini ·DCC·LXXXI· circa pascha ab ipso Hadriano papa, qui Pipinum de baptismi fonte levavit, Leo imperator cum cupiditate circa pretiosos lapides insaniret, adamavit magnam cuiusdam ecclesiae coronam, et accipiens portavit eam; et exierunt carbunculi in capite eius, et captus febre mortuus est.

Anno Domini ·DCC·LXXXII· Irene uxor Leonis cum filio suo Constantino huius nominis sexto imperat annis ·X· Horum anno primo Constantinopoli in quodam sepulcro quidam laminam auream invenit, et sub ea quendam iacentem, et hanc scripturam in ea " Christus nascetur ex virgine Maria, et credo in eum; sub Constantino et Irene imperatoribus, o sol iterum me videbis. " Horum imperantium tempore in Syriae civitate Berito quae subiacet Antiochiae iudaei invenientes imaginem Salvatoris in domo cuiusdam iudaei, quam quidam prius inhabitabat christianus, eam iniuriose deponunt, et omnia opprobria quae patres eorum Christo domino intulerunt, eius imagini inferebant, illudentes ei et in faciem conspuentes, eamque percutientes calamo, manus pedesque clavis configentes, tandem lancea latere eius aperto exivit de ipso sanguis et aqua, quem illi apposita ampulla suscipientes ad experiendum an fuerint vera miracula, quae Iesum fecisse audierant, infirmos suos hoc sanguine aspergebant, qui de morbo quolibet convalescebant. Qua de causa iudaei compuncti, Deodato episco-

po civitatis imaginem cum sanguine reddentes baptizantur; episcopus vero sanguinem longe lateque dirigens, Dei magnalia praedicabat, obtestans omnes ut singulis annis ·v· idus novembris passio eiusdem imaginis celebraretur.

Karolus rex Coloniae super Rhenum duos pontes construxit munivitque, et Selavoniam ingressus, eam sibi subegit. Circa pauperes vero erat valde sollicitus non solum in regno suo, verum etiam trans maria in Aegypto, in Syria, in Africa, et praecipue Hierosolymis liberalitate eleemosynarum christianis pauperibus solatia curabat, transmarinorum regum amicitias ob hoc maxime expetens, ut christianis sub eis degentibus esset relevatio. Idem etiam insignissimus rex non solum propria sed et peregrinis linguis eruditus barbara et antiqua carmina, quibus veterum regum bella canebantur et actus, scripsit et memoriae commendavit. Inchoavit autem grammaticam patrii sermonis; mensibus anni iuxta propriam, id est teutonicam linguam vocabula imposuit; ventos etiam ·xii· propriis nominibus appellavit, cum antea nominarentur quatuor cardinales. Porro in discenda grammatica Petrum pisanum habuit praeceptorem, Albinum vero cognomento Alcuinum in ceteris disciplinis. Hic quidem est Alcuinus genere anglicus, clarus ingenio, philosophusque mirabilis, magister et deliciosus regis Karoli, non tantum pollens scientia litterarum, sed et morum ornamentis studioque virtutum; sub cuius praecipue magisterio ipse rex omnes artes didicit liberales, qui et studium de urbe Roma Parisios transtulit, quod de Graecia ad se translatum fuerat a Romanis.

Cum igitur praefatus rex gloriosus tot floreret virtutibus, christianam religionem summa pietate semper

excoluit, ecclesiamque mane et vespere ac nocturnis horis et sacrificii tempore impigre frequentabat. Denique convivabatur rarissime, caenaque quotidiana quaternis tantum ferculis utebatur, praeter assam carnem quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius quam cibo quolibet vescebatur. Inter caenandum acroama aliquod aut lectionem audiebat; legebantur ei et historiae et antiquorum res gestae quibus valde delectabatur, et libri sancti Augustini praecipue ii qui de civitate Dei titulantur. Vini vero et omnis potus adeo parcus erat, ut raro plus quam ter in caena biberet. Sub hoc tempus adhuc erant monachi in ecclesia beati Martini turonensis, ubi eius corpus requiescit, in cuius ecclesiae dormitorium duo angeli ingressi sunt; unus extendebat indicem, et alter monachum quem ille ostenderat perimebat. Unus autem evasit qui hoc vigilando videbat, adiurans angelum per nomen omnipotentis Dei ne ipsum percuteret. Monachi scilicet, ut sanctus Odo cluniacensis refert, nimis deliciose vivebant, et sericis vestibus et calciamentis coloris aurei utebantur. Hoc monasterium post haec regendum suscepit Alcuinus praedictus scientia vitaque praeclarus. Constantinus postquam annis ·x· cum matre sua Irene imperasset, eam imperio privat, solusque septem annis dominatur; et cum multos nobilium haberet suspectos, eis oculos eruit. Beatus vero papa Hadrianus post laudabilem vitam obiit, sepultusque est apud sanctum Petrum anno Domini ·DCC·XCVI·

CII. LEO ·III·

Leo tertius natione romanus, ex patre Arculpho, coepit anno Domini ·DCC·XCVI·, in quadam chronica dici-

tur ·xcvii·, in alia denique invenitur ·xcviii· Sedit annis ·xx·, mensibus ·v·, diebus ·xvi· Hic per omnia reverendus mox clavem confessionis sancti Petri cum vexillo urbis Karolo regi transmisit. Hic fecit porticum sancti Petri, quae adhuc dicitur civitas leonina, et eam muro cinxit propter incursum Sarracenorum. Idem litanias, quas instituit, sic ordinavit. Scilicet secunda feria summus Pontifex cum omni clero et populo ab ecclesia Dei genitricis ad praesepe egrediens pergebat cum tympanis et canticis ad ecclesiam Salvatoris quae dicitur constantiniana. Feria tertia ab ecclesia sanctae Sabinae ad beatum Paulum. Feria quarta ab ecclesia Hierusalem ad sanctum Laurentium extra muros. Tudun princeps Avarum, id est Hungarorum, se et patriam suam Karolo dedit, et gratiam baptismi percepit. Constantiuus, cum postquam matrem suam imperio deturbarat, ·vii· annis regnasset, illa ob ereptum sibi imperium femineo dolore abusa eundem excaecat anno Domini ·dcc·xcvii·, solaque imperat annis ·iii· Anno Domini ·dcc·xcviii· solis orbita in tantum est obscurata, ut naves oberrarent in mari, dicerentque homines propter excaecationem imperatoris hoc prodigium accidisse. Anno Domini ·dcc·xcix· sexto kal. maii Leonem papam celebritatem litaniae maioris agentem, nonnulli romani clam armati in ipsa processione capiunt, eique oculos et linguam eruunt; cui voce et visu divinitus redditis, iterum oculos linguamque evellunt radicitus, semivivum relinquentes in suo sanguine volutantem. Cumque ab ipsis carnificibus in monasterio sancti Erasmi in custodia teneretur, rursus videndi loquendique officium ei divinitus est restitutum. Tandem vero de eorum manibus erutus ad regem Karolum confugit, cuius oppressioni piissimus rex condo-

lens, collecto exercitu Romam properat, praedictumque venerabilem Papam in sua sede relocat, causas examinat, reos damnat legaliter, sicque omnes motus romanorum sedat.

Anno Karoli ·xxxiii· Romani qui ab imperatore constantinopolitano iamdiu animo discesserant, nunc accepta occasionis opportunitate, eo quod mulier scilicet Irene excaecato Constantino imperatore filio suo eis imperabat, uno omnium consensu Karolo regi imperatorias laudes acclamant, eundemque per manus Leonis papae coronant, caesarem et augustum appellant, Pipinum vero filium eius regem Italiae quondam ab ipso ordinatum. Immutato igitur regnorum ordine, titulorum immutandus est ordo. Quare abhinc sub uno comprehendendum est regnum Francorum et Romanorum, et Constantinopolim regnum distinguendum est deinceps a regno Romanorum. Ex hoc enim tempore imperium Romanorum est ad reges Francorum translatum. Qui vero hinc apud Constantinopolim imperant, Graecorum potius imperatores appellati sunt. Facta est autem haec translatio romani imperii anno Domini ·dccc·i·, evolutis circiter annis ·cccc·lxviii· ex quo Silvester papa Constantinum baptizavit, et ex quo Byzantium Thraciae civitas a praedicto Constantino in novam ampliata et regiam urbem exaltata est, et translata est in eam omnis romanae gloria dignitatis, et nova Roma appellari coepit. Exin temporum series per reges supputatur Francorum.

Anno Domini ·dccc·ii· Karolus primus Francorum Romanis imperat annis ·xii·, in alia vero chronica dicitur et melius ·xiii· Hic incomparabilis famae ac gloriae et nimiae pietatis, ingenio subtilissimus, naturalis philosophiae studiis non mediocriter imbutus, religio-

nis christianae cultor ac propagator egregius, institiaeque ac veritatis patronus, ecclesias omnimodis honoravit. Exstruxit etiam Aquisgrani in palatio suo basilicam immensae pulchritudinis in honorem beatae Mariae, ad cuius fabricam Roma et Ravenna columnas et marmora devehi curavit, eamque divitiis et honoribus praecipue sublimavit. Deinde ad numerum elementorum alphabethi ·xxiii· monasteria fundavit, et in unoquoque per ordinem litteram unam ex auro fabricatam reliquit ad tempus fundationis uniuscuiusque monasterii dinoscendum, quae litterae adhuc in plerisque monasteriis conservantur, quorum monasteriorum nomina alibi sunt notata.

Regnum quoque Franciae, quod post patrem suum Pipinum regendum suscepit, ita nobiliter ampliavit ut duplum ei adiceret. Auxit etiam gloriam regni, quibusdam regibus et gentilibus per amicitiam sibi conciliatis. Adelphonsum regem Galloeciae atque Asturiae, et reges Scotorum sic per munificentiam inclinatos ad suam habuit voluntatem, ut eum numquam aliter nisi dominum, seque subiectos et servos ipsius pronunciarent. Extant adhuc epistolae ad eum missae, affectum eorum circa eundem demonstrantes. Cum Aaron quoque rege Persarum, qui excepta Iudia totum paene orientem tenebat, talem habuit cum amicitia concordiam, ut hic gratiam eius omnium qui toto orbe terrarum erant regum et principum amicitiae praeponeret, solumque illum sibi colendum honore et magnificentia indicaret.

Habuit praeterea idem inclytus imperator tres filios, scilicet Karolum, Pipinum, Ludovicum, et totidem filias Rotrudem, Bertham, et Giselam. Mater vero eius domina Bertha seu Bertrada in magno apud eum

honore consenuit. Liberos quoque suos ita instituendos decrevit, ut tam filii quam filiae eius primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur; deinde filios statim ac aetas eorum patiebatur, more Francorum equitare volebat et armis atque venationibus exerceri; filias vero lanificio assuescere coloque ac fuso, ne per otium torpescerent, operam dare, atque ad omnem honestatem erudiri iubebat. Cum semper studia litterarum amasset, tentabat et ipsemet scribere, tabulasque ferebat ut cum vacuum tempus esset, manus litteris figurandis assuesceret. Hinc etiam sollicitus erat, cum se de nocte in lecto deponeret, pennam et incaustum cum pergameno ad caput suum reponere, ut si in stratu aliquid utile futuro tempore faciendum cogitatui occurreret, ne a memoria laberetur, scriberet vel signaret. Praeterea per manum Pauli diaconi sui de scriptis catholicorum patrum decerpens optimas quasque lectiones unicuique festivitati convenientes legendas per anni circulum fecit compilari.

(Karolus postremo Romam veniens propter reparandum qui nimis erat conturbatus, Ecclesiae statum, ibi totum hiemis tempus extraxit; quo tempore imperatoris et augusti nomen accepit *.) Indignantibus autem contra se imperatoribus constantinopolitanis propter invidiam imperatorii nominis sibi impositi a romanis, grandi magnanimitate et patientia eos tulit; et quia eius potentiam habebant suspectam, crebris eos legationibus firmissimo sibi foedere copulavit. Unde in chronica Sicardi cremonensis episcopi dicitur quod cum Michaële constantinopolitano imperatore, qui imperavit annis duobus, et cum Leone successore Michaëlis, pacem perpetuam hoc modo firmavit, ut alter

* Haec rursus ex annalista saxone suppleo.

alterius frater nominetur, et alter ab altero semper iuvetur; graecus imperator habeat Constantinopolim et orientem, Karolus vero et successores eius Romam et occidentem. Moritur his diebus Theodulphus episcopus aurelianensis. Hic in carcere positus " gloria laus „ cum versibus suis composuit; et transeunte Ludovico filio Karoli die palmarum cum processione, de ipso carcere cum suavi modulatione cantavit, quam ob rem iussit eum carcere liberari. Anno imperii Karoli tertio, Avares qui et Hunni id est Hungari dicuntur, longo bello a Francis perdomiti, adeo sunt potentia et fortitudine deminuti, ut qui alios solebant ultro lacessere, iam nec se ab aliis tueri valerent. In hoc enim bello eorum gloria et nobilitas periit, et quicquid pecuniae ac thesauri per tot saecula orbem terrarum vincendo sibi congesserant, totum nunc victoriae Francorum cessit; et nullo bello umquam tanta spoliorum quantitate Francia fuit ditata. Anno imperii Karoli octavo Pipinus filius Karoli rex Italiae Venetias sibi subegit bello, et non multo post Mediolani obiit, Karolusque magnus Venetias Nicephoro imperatori constantinopolitano reddidit. Anno imperii Karoli nono Karolus rex eiusdem Karoli imperatoris filius maior natu obiit.

Per hos dies idem Augustus rerum suarum heredem Christum testamento reliquit, et quicquid iuris mancipii habebat, in tres partes divisit, unam earum pauperibus et famulantibus palatio delegavit, duas vero in ·xxii· partes distinxit, quas metropolitanis qui totidem sibi suberant distribuit, ita ut metropolitana ecclesia tertiam assignatae sibi partis haberet, duas vero inter suffraganeos divideret. Nomina autem archiepiscopalium civitatum sub dominio Karoli existentium

sunt haec : Roma , Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii quae et Aquileia dicitur, Gradus, Colonia, Maguntia, Iuvavium quod et Salisburgum dicitur, Treviri, Senones, Vesuntio, Remi, Rothomagus, Turoni, Bituricae, Burdigala, Narbo, Arelas, Vienna, Lugdunum, Tarantasia, et Ebredunum. Aquae vero in Provincia, et Auxae in Vasconia ideo non ponuntur quia destructae erant a Sarracenis. Pisae vero et Ianua nondum erant metropoles. Has omnes quae tunc erant, praeter ultimas quatuor, auri et argenti pretiosarumque gemmarum exornavit ponderibus amplissimisque dotavit honoribus ; et insuper, quod est pretiosius, sanctarum reliquiarum patrociniis insignivit. Praecipue autem romanam inter omnes defendebat ecclesiam, et suis opibus exornavit.

Karolus anno imperii sui nono Ludovico filio suo coronam imperialem imposuit, Bernardumque filium Pipini regem Italiae fecit. Fuit autem idem serenissimus imperator corpore amplo atque robusto, statura eminenti, capiteque rotundo, oculis pulchris, naso mediocritatem paululum excedente, facie laeta, canitie veneranda, voce clara, valetudine prospera. Idem Karolus regno et imperio ampliato, pacatoque statu ecclesiae et feliciter ordinato, anno regni sui simul cum imperio ·XLVI·, imperii vero anno ·XIII·, in alia tamen chronica melius ·XIIII· vel ·XV·, quinto kal. februarii, at in alia chronica dicitur ipsis kal. februarii, plenus operibus bonis migrat ad Christum, et Aquisgrani in formosissima totius orbis romani capella honorificentissime sepelitur, sub cuius tumulum arcus deauratus existit. Cuius corpus festive imperialibus vestibus induentes, et coronam auream eius capiti imponentes, super aurea cathedra quasi vivum sicut iudicem sedere

fecerunt, et super genua eius textum quatuor evangeliorum aureis litteris scriptum collocarunt, quod tenet dextra manu, sinistra vero aureum sceptrum. Diadema capitis eius, et cathedram in qua sedèt, catena aurea ne caput defuncti decidat coniunxerunt, scutumque aureum quod romani ei fecerant, ante faciem eius statuerunt. Arcam lapideam in qua sepultus est pretiosis aromatibus repleverunt, et monumentum fortiter sigillatum clauserunt.

Turpinus remensis archiepiscopus tunc Viennae existens cum psalterium inciperet legere, catervam daemonum cum impetu et tumultu transeuntium divino nutu audivit; quos cum interrogasset quo irent, dixerunt quod Aquisgranum ad obitum Karoli graviter infirmati festinabant. Quibus in nomine domini Iesu Christi praecepit, ut ad se omnino redirent. Qui ante quam terminasset psalterium, tristiores solito redeuntes, Turpino interroganti quid fecissent, responderunt: imperator quidem secundum merita noster erat, sed galloecus ille sine capite tot ligna et lapides posuit in statera, ut comparatione horum omnia quae nos posuimus, nullius penitus essent momenti; et sic manus nostras evadens in sortem Domini cessit. Iste galloecus sine capite erat sanctus Iacobus cuius ecclesiam fundaverat ac perfecerat, et cuius iter aperuerat, atque a Sarracenis liberaverat multis laboribus et expensis. Anno Domini ·dccc·xv·, in quadam vero chronica dicitur ·xvi· Ludovicus huius nominis primus rex et imperator, cognomento Pius, Karoli magni filius, imperat annis ·xxvi· Huius imperii ingressus serenus fuit ac placidus, sed finis multis incommoditatibus fatigatus.

Ante quam a Karolo magno discedamus, placet heic interserere brevissimos quosdam fastos saeculi

eius, quo Karolus claruit, ex pervetusto corbeiensi codice, qui fuit postea Petri Danielis, deinde reginae sveceae Christinae, ac demum in vaticanam bibliothecam migravit. Hi nimirum fasti in Christi anno ·DCCC· desinunt, quo fortasse anno scribebatur codex aut paulo post. Scatebat autem scriptura erroribus passim amanuensis, soloecismis et barbarismis, prout in illius aetatis codicibus usuvenit.

FASTI KAROLINI AB ANNO ·DCC·VIII· AD ·DCCC·

Anno ·DCC·VIII· Quando Droco mortuus fuit tempore verno.

Anno ·DCC·VIIII· Quando domnus Pipinus perrexit in Suavos contra Wilarium.

Anno ·DCC·X· Item Pipinus in Suavos contra Wilarium.

Anno ·DCC·XI· Tunc aquae inundaverunt valde, et Hildebertus mortuus est, et exercitus Francorum in Suavos.

Anno ·DCC·XII· Item exercitus Francorum in Suavos contra Wilarium. Et Heribertus rex Longobardorum mortuus est.

Anno ·DCC·XIII· Mors Agledulphi (Agilulphi? *immo dicatur* Anspraudi) regis, et depositio Suidberti episcopi.

Anno ·DCC·XIIII· Domnus Pipinus mortuus est in mense decembri. Et Grimoaldus similiter mortuus est.

Anno ·DCC·XV· Dagobertus rex mortuus est, et Saxones devastaverunt terram Hazzoariorum.

Anno ·DCC·XVI· Quando Rodbodus venit Coloniam in mense martio, tunc pugnavit Karolus contra eum.

Anno ·DCC·XVII· Quando bellum fuit in Vinciaco inter Karlum et Raginfridum in dominica die.

Anno ·DCC·XVIII· Fuit autem tunc prius Karolus in Saxonia, vastavitque eam plaga magna usque Wiseram.

Anno ·DCC·XVIIII· Rodbodus mortuus est.

Anno ·DCC·XX· Quando bellum habuit Karolus contra Saxones.

Anno ·DCC·XXI· Expugnavit Eudo Sarracenos de terra sua.

Anno ·DCC·XXII· Fuit fertilitas magna, et bella contra aquilonem.

Anno ·DCC·XXIII· Duo filii Droconis ligati, et unus mortuus, et Karolus infirmatur.

Anno ·DCC·XXIIII· Karolus migravit ad Andegavos quia rebellabant adversus eum.

Anno ·DCC·XXV· Quando Karolus primum fuit in Bauioariis. Et Chrotrudis moritur. Et Sarraceni venerunt.

Anno ·DCC·XXVI· Martinus mortuus est.

Anno ·DCC·XXVII· Daniel in Atiniaco mortuus est.

Anno ·DCC·XXVIII· Iterum fuit in Saxonia, et Hadulphus episcopus mortuus est.

Anno ·DCC·XXVIIII· Quando Karolus voluit pergere in Saxoniam.

Anno ·DCC·XXX· Quando Karolus perrexit contra Lantfridum.

Anno ·DCC·XXXI· Quando Karolus fuit in Vasconia contra Eudonem, et Raginfridus mortuus est.

Anno ·DCC·XXXII· Karolus habuit bellum contra Sarracenos in mense octobri die sabbato.

Anno ·DCC·XXXIII· Quando commoverunt exercitum in Vestigon. (Vasconiam ?)

Anno ·DCC·XXXIIII· Karolus perrexit in Frisiam usque ad internecionem.

Anno ·DCC·XXXV· Quando Karolus invasit Vasconiam.

Anno ·DCC·XXXVI· Audoenus episcopus mortuus est, et Karolus dimicabat contra filios Eudonis.

Anno ·DCC·XXXVII· Quando Karolus bellum habuit contra Sarracenos in Gothia.

Anno ·DCC XXXVIII· Karolus intravit in Saxoniam.

Anno ·DCC·XXXVIIII· Karolus intravit in Provinciam usque Massiliam.

Anno ·DCC·XL· Sine hoste fuit hic annus.

Anno ·DCC·XLI· Karolus mortuus est, et Theudaldus interfectus.

Anno·DCC·XLII·Karolomannus perrexit in Vasconiam.

Anno·DCC·XLIII·Vastavit Karolomannus Alamanniam.

Anno ·DCC·XLIIII· Pax inter Karolomannum et Ilodilonem et hostes in Saxonia.

Anno ·DCC·XLV· Karolomannus et Pipinus abierunt in Saxoniam.

Anno ·DCC·XLVI·Karolomannus intravit Alamanniam.

Anno ·DCC·XLVII· Karolomannus migravit Romam.

Anno ·DCC·XLVIII· Grippo fugit in Saxoniam.

Anno ·DCC·XLVIIII· Quando Grippo reversus est de exilio.

Anno ·DCC·L· Sine hoste fuit.

Anno ·DCC·LI· Lantfridus mortuus est.

Anno ·DCC·LII· Domnus Pipinus elevatus est ad regnum in Suessione civitate.

Anno ·DCC·LIII· Pipinus rex in Saxonia. Et Hildegarius episcopus defunctus est. Et papa Stephanus venit ad urbe Roma, et Karolomannus per eum et filii eius tonsi sunt. Et Grippo occisus est.

Anno ·DCC·LIIII· Bonifacius martyrium suscepit. Et Hiltrudis mortua est. Et Karolomannus obiit. Et Pipinus habuit Longobardiam. Et papa Stephanus reversus est Romam.

Anno ·dcc·lv· Venit Thassilo Martis campum, et mutaverunt Martis campum in mense maio.

Anno ·dcc·lvi· Rex Pipinus perrexit in Langobardiam, et Haistulphus mortuus est.

Anno ·dcc·lvii· Venerunt organa in Franciam.

Anno ·dcc·lviii· Rex Pipinus fuit in Saxonia.

Anno ·dcc·lviiii· Rex Pipinus mutavit nomen suum in filio suo.

Anno ·dcc·lx· Quando domnus Pipinus rex fuit in Vasconia contra Waifarium.

Anno ·dcc·lxi· Iterum Pipinus fuit in Vasconia una cum Karolomanno, captoque omni pago Arvernico, Burbonem castrum et Claromontem igne cremavit.

Anno ·dcc·lxii· Iterum domnus Pipinus cum dilectis filiis Karolo et Karolomanno perrexit in Vasconiam, et adquisivit civitatem Bituricas.

Anno ·dcc·lxiii· Quando domnus rex Pipinus placitum habuit Wormatiae, deditque comitatus dilectis filiis suis.

Anno ·dcc·lxiiii· Habuit domnus Pipinus conventum magnum cum Francis. Eodem anno gelu magnum a ·xviiii· kal. ianuarii tenuit usque in ·vii· kal. aprilis.

Anno ·dcc·lxv· Venerunt corpora sanctorum ab urbe Roma in Franciam, scilicet Gorgonii, Naboris, Nazarii. Et habuit tunc placitum domnus Pipinus in Atiniaco.

Anno ·dcc·lxvi· Quando Pipinus fuit in Vasconia. Et eodem anno domnus Frodtangus episcopus obiit.

Anno ·dcc·lxvii· Iterum domnus Pipinus fuit in Vasconia in mense martio, et conquisivit Lemovicas civitatem. Et domna Bertha regina erat in civitate Bituricis.

Anno ·dcc·lxviii· In isto anno domnus Pipinus rex

defunctus est ·VIII· kal. octobris, et Waifarius interfectus fuit.

Anno ·DCC·LXVIIII· Eodem anno domnus rex Karolus prima vice postquam coepit regnare, fuit in Vasconia ultra flumen Garumnam. Et corpus sancti Gorgonii positum fuit in Gortia monasterio.

Anno ·DCC·LXX· Hoc anno fuit domna Bertha regina in Italia propter filiam Desiderii regis, et redditae sunt civitates plurimae sancti Petri.

Anno ·DCC·LXXI· Bonae memoriae domnus rex Karolomannus obiit pridie nonas decembris.

Anno ·DCC·LXXII· Domnus rex Karolus perrexit in Saxoniam, et conquisivit Heresburgum, et pervenit ad locum qui dicitur Hermensul, et succendit ea loca.

Anno ·DCC·LXXIII· Domnus rex Karolus perrexit in Italiam, et concitato bello fugit Desiderius rex Langobardorum; reclusus est Papiae; domnus rex Karolus obsedit eam, et dominatur in Italia.

Anno ·DCC·LXXIIII· Hoc anno reddita est civitas Papia Francis, et Desiderius directus est in Franciam, et domnus rex Karolus misit comites per omnem Italiam, laetus sancto Petro reddidit civitates quas debuit; dispositisque omnibus, alacer venit in Franciam, et eodem anno bellum habuit contra Saxones in loco qui dicitur Heresburgum.

Anno ·DCC·LXXV· Domnus rex Karolus pervenit in Saxoniam, et conquisivit Sigeburgum, et interfectis multis milibus paganorum victor remeavit in Franciam.

Anno ·DCC·LXXVI· Perrexit domnus rex Karolus in Italiam, et occiso Rodgaudo qui illi rebellis extiterat, substituerunt Stabilinium socerum suum in Tarvisio civitate. Eo capto, dispositisque omnibus redit cum suis in Franciam. Et audivit quod Saxones rebellassent

contra Francos; motoque exercitu pergens obviam illis, cum vidissent pagani quod non poterant Francis resistere, timore perculsi venerunt maiores natu ad domnum regem Karolum postulantes pacem; et baptizata multa turba populi, aedificaverunt Franci in finibus Saxonum civitatem quae vocatur urbs Karoli.

Anno ·DCC·LXXVII· Eodem anno gloriosus rex Karolus venit in Saxoniam, loco cognominato Patresbrunna, habuitque illic magnum placitum, et ibi convenerunt Saxones ad baptismum catholicum, et baptizata sunt multa milia populorum gentilium. Et aedificarunt ubique ecclesias Franci. Unde propemodum Karolus rex merito gaudet cum Iohanne baptista (dedisse) baptismum in remissionem omnium peccatorum.

Anno ·DCC·LXXVIII· Domnus rex Karolus cum magno exercitu venit in terram Galloeciam, et adquisivit civitatem Pampilonem. Deinde accepit obsides in Hispania de civitatibus Abituari atque Ebilarbii, quarum vocabulum est Osca, et Barcellona, nec non Gerunda. Ipsum Ebilarbium vinctum duxit in Franciam. Interea Saxones rebellantes moverunt exercitum temere properantes incenderuntque oppida et igne cremaverunt civitates quas Franci struxerant infra flumen Lippiam.

Anno ·DCC·LXXVIIII· Tunc rex inclytus Karolus commoto magno exercitu venit in Saxoniam iterum vastans et incendens usque ad flumen Wiseram, et tunc obsidum multitudine accepta redierunt in Franciam.

Anno ·DCC·LXXX· Iterum pulcherrimus rex Karolus cum Francorum exercitu venit in Saxoniam usque ad flumen Albim, adquisivitque terram illam sub forti Dei brachio. Ipso quoque anno Saxones relinquentes idola Deum verum adoraverunt, et eius crediderunt operibus. Eodem vero tempore aedificaverunt ecclesias,

veneruntque ad domnum regem multa milia gentilium Winedorum. Ipsos autem adquisivit cum Dei auxilio.

Anno ·DCC·LXXXI· Sine hoste fuit hic annus. Wormatiam civitatem venerunt Franci ad placitum, et ibi fuit Thassilo dux Bauioariae, magnaque munera praesentavit domno regi et cum suo comitatu redivit ad patriam.

Anno ·DCC·LXXXII· Domnus et religiosus rex Karolus habuit magnam placitum in Saxonia super flumen Lippiam, et illuc venerunt legationes Hunnorum ad praesentiam principis. Eo ipso anno Saxones rebellant reducti ad priorem tramitem, Deum abnegantes et fidem quam promiserant. Tunc cum magno exercitu hostili cacciderunt Franci de Saxonibus multitudinem, et multos vinctos adduxerunt in Franciam.

Anno ·DCC·LXXXIII· Eodem anno domnus rex Karolus venit in Saxoniam; et concitaverunt proelium circa flumen Wiseram et secus fluvium Hassam. Et Karolus victor cum suis omnibus remeavit in Franciam. Et in ipso anno bonae memoriae Bertha matrona obiit, et Hildegardis regina defuncta est pridie kal. martii.

Anno ·DCC·LXXXIIII· Iterum domnus rex Karolus venit in Saxoniam terram, vastans et destruens omnia. Et eodem anno verno tempore obsidet domnus rex Karolus Herisburgum, et Franci sederunt in gyrum per aliquot dies.

Anno ·DCC·LXXXV· Tunc domnus rex Karolus moto exercitu de ipso Herisburgo, venit Hessiam; et igne combusto eo loco, venit ultra flumen Wiseram. Et eodem anno destruxit Saxonum rates sive eorum firmitates. Tunc adquisivit Saxones cum Dei auxilio.

Anno ·DCC·LXXXVI· Hic annus fuit sine hoste, nisi tantum quod verno tempore perrexit domnus rex Ka-

rolus cum suo exercitu, et venit Romam, et adquisivit terram Beneventi per Dei auxilium, et illo anno fuit missum signum de caelo a Deo in terram terrorque magnus.

Anno ·DCC·LXXXVII· Isto anno domnus rex Karolus venit cum suo exercitu Bauioariam, et accepit ibi obsides, victorque remeavit in Franciam.

Anno ·DCC·LXXXVIII· Hoc anno fuit placitum Ingelishaimi, et eodem anno pugnavit omnipotens Deus pro domno rege Karolo, sicut fecit pro Moyse et filiis Israël quando Pharao demersus fuit in rubrum mare; sic Deus omnipotens proeliator sine bello et absque ulla altercatione tradidit regnum Bauioariorum in manum Karoli magni regis, et Thassilo dux tonsus est retrususque in Gemiticum (1) monasterium.

Anno ·DCC·LXXXVIIII· Eodem anno fuit domnus Karolus in Winedis, et pervenit in Wilzuam, et adquisivit ibi Draoscionem regem et alios quam plurimos. Et acceptis obsidibus pluribus atque omni terra illa obsessa sive subiugata victor remeavit in Franciam.

Anno ·DCC·XC· Hic annus absque hoste fuit; nisi tantum quod apud Wangionem, quae derivato vocabulo dicitur Wormatia, habuit inclytus rex Karolus magnum conventum vel placitum, Deo propitiante, una cum Francis.

Anno ·DCC·XCI· Hoc anno domnus rex Karolus commoto magno exercitu perrexit in Hunniam, ibique habuit conflictum magnum cum Hunnis, et devastavit Hunniam plaga magna usque ad flumen Raphaenm, cumque praeda magna Deo protegente victor revertit in Franciam.

(1) Dic *Loricense*, quod est in Palatinatu, ubi adhuc Thassilonis sepulcrum ostenditur.

Anno ·DCC·XCII· Hoc anno inclytus rex Karolus cum suis fidelibus resedit in Bauioariis, et habuit magnum placitum in regno Burgundiae. Eodem anno Saxones mentiti sunt fidem quam polliciti fuerant iam dudum domno Karolo regi, erraverunt, deviaverunt, adeptique sunt tenebras, sicut scriptum est, zelus adprehendit populum eruditum. Eodem anno patefactum est consilium iniquum, quod consiliaverunt cum Pipino filio Karoli consiliatores iniqui, unde reprobi apparuerunt, et receperunt eorum meritum.

Anno ·DCC·XCIII· Gloriosus rex Karolus iterum resedit in Bauioariis, missisque exercitibus suis vastavit omnia, victorque resedit in Bauioariis.

Anno ·DCC·XC IIII· Domnus rex Karolus commoto exercitu venit in Saxoniam; et Saxones polliciti sunt emendari, foedusque pepigerunt domno regi Karolo una cum suis sodalibus. Deinde domnus rex Karolus cum suis obtimatibus in Franciam rediit.

Anno ·DCC·XCV· Domnus rex Karolus commoto magno exercitu iterum venit in Saxoniam, omnemque terram illam circuivit, venitque in Vigmodingam; deinde Bardinc pagum vastavit, et subiugavit has regiones, acceptisque obsidibus sospes et alacer remeavit in Franciam. Eo anno interfectus fuit a Saxonibus Witsidus dux in Winedis.

Anno ·DCC·XCVI· Iterum domnus rex Karolus commoto exercitu suo venit in Saxoniam. Tunc cum magna providentia et decertatione vastavit Saxoniam, et praeda magna et obsidibus acceptis in Franciam *remeabat.* Feceruntque Franci pontem super amnem Wiseram in loco cui vocabulum est Alisni. Et exinde perrexit Wigmodingam. Deinde vastavit regiones illas, et cum suis omnibus prosperis et incolumibus revertit ad propria.

Anno ·dcc·xcvii· Domnus rex Karolus moto exercitu iterum venit in Saxoniam usque Wigmodingam secus mare. Et sequenti tempore verni resedit in Saxonibus, fecitque aedificia magna super flumen Wiseram in loco qui vocatur novum Haristalium.

Anno ·dcc·xcviii· Sedente domno Karolo in solio regni sui anno trigesimo regni, cum magno exercitu venit iterum in Saxoniam, universamque terram illam succendit et devastavit, acceptaque obsidum multitudine, victor remeavit in Franciam.

Anno ·dcc·xcviiii· Domnus rex Karolus collecto exercitu venit in Saxoniam in locum qui dicitur Patresbrunna, ibique castra metatus est. Inde etiam mittens Karolum filium suum trans fluvium Wiseram, ut quotquot in iisdem partibus de infidelibus invenissent servituti subiugaret. Quod et idem gloriosus subiugatis his omnibus cum triumpho rediens perpetravit. Ibi etiam ad domnum regem papa romanus Leo nomine venit ob invidiam a sede apostolatus pulsus; quem armipotens Karolus et ibi venerabiliter suscepit, et cum summa gloria ad pristinam sedem, suis ad concordiam revocatis, remisit.

Anno ·dccc· . . . (*Heic cessat fastorum scriptura in codice, et sequuntur in eodem laterculo capitularia quaedam.*)

CIII. STEPHANUS ·IIII·

Stephanus quartus natione romanus, ex patre Iulio, coepit anno Domini ·dccc·xvii· Sedit mensibus ·vii·, in quadam chronica dicitur anno uno. Vacavit sedes diebus ·xviii· Hic mox in Gallias veniens honorifice a Ludovico suscipitur, et multos captivos sicut pius pater

per Franciam redemit, et ad propria loca remisit, et Ludovicum imperatorem coronavit. Post sex vero menses Romam reversus diem clausit extremum, sepultusque est in ecclesia sancti Petri.

CIIII. PASCHALIS ·I·

PASCHALIS primus natione romanus, ex patre Maurino, coepit anno Domini ·DCCC·XVII· Sedit annis ·VII·, diebus ·XVII· Vacavit sedes diebus ·XVIII· Hic beatus Pontifex corpus sanctae Caeciliae, ipsa revelante, in coemeterio Praetextati cum corpore sponsi sui Valeriani, et linteamina ipsius martyris perfusa sanguine invenit; qui cuncta manibus suis pertractans collegit, corporaque sanctorum Tiburtii, Maximi, nec non et papae Urbani, a quo fuerant tumulati: quae omnia intra urbem in ecclesia beatae Caeciliae cum magna honorificentia collocavit. Hic etiam ante aditum ad corpus beati Petri circa ostia aerea altare construxit, et in eodem corpus beati Sixti papae recondidit. Hic etiam ecclesiam beatae Praxedis reparans, coenobium Graecorum monachorum ibidem instituit, et innumera corpora sanctorum ex coemeteriis colligens, ibidem honorifice sociavit.

Bernardus rex Italiae filius Pipini, nepos Ludovici imperatoris, conspirationis factae contra eundem imperatorem accusatur, reus maiestatis adiudicatur, regno et oculis ac vita privatur. Porro Ludovici tres filii fuerunt, videlicet Lotharius, Pipinus, ac Ludovicus, quorum primogenitum Lotharium primo caesarem fecit, demum consortem imperii adscripsit, cui etiam Italiam regendam commisit. Secundum vero, scilicet Pipinum, Aquitaniae regem fecit. Tertium deni-

que, scilicet Ludovicum, Bavaris et Germanis regem principemque concessit. Anno imperii Ludovici octavo, cespes longitudine quinquaginta pedum, latitudine ·xiiii·, altitudine vero ·vi·, in Thuringia sine manibus de terra praecisus, ultra ·xxv· pedes de loco suo translatus est. In territorio tullensi, in villa quae dicitur Viereracum puella duodennis post sacram communionem a sacerdote in pascha susceptam, primum per ·x· menses pane, deinde omni cibo et potu per triennium abstinuit, et postea ad communem vitam hominum rediit.

CV. EUGENIUS ·II·

Eugenius secundus natione romanus, ex patre Boëmundo, coepit anno Domini ·dccc·xxiii·, in alia vero chronica dicitur ·xxiiii· Sedit annis ·iii·, mensibus ·ii·, in quadam vero chronica dicitur annis ·iiii·, mensibus ·vii·, diebus ·xxviii· Hic prius sanctae Sabinae Cardinalis existens, eandem ecclesiam ciborio argenteo super altare, et pictura sollemni decoravit. Hoc anno primo ante solstitium aestivale, aëre in tempestatem repente converso, cecidit in Gallia cum grandine ingens glaciei fragmentum, cuius longitudo ·xv·, latitudo ·vi·, crassitudo vero duos pedes habebat. Hoc tempore legati Michaëlis imperatoris constantinopolitani inter cetera munera Ludovico imperatori tulerunt libros beati Dionysii ariopagitae de hierarchia id est sacro principatu, ipso Ludovico petente de graeco in latinum translatos (1). Qui ipso sancti martyris festo cum gau-

(1) Immo vero opera Dionysii transtulit in latinum Iohannes Scotus sub Karolo Calvo Ludovici filio; quare halucinari heic historicum nostrum arbitror.

dio suscepti sunt, quod virtus ipsius martyris superauxit, ·XIX· aegrotis ipsa nocte a suis infirmitatibus liberatis. Rabanus sophista et sui temporis nulli poëtarum secundus fit abbas fuldensis; qui multa de sacris scripturis disseruit, quique librum de laudibus sanctae crucis figurarum varietate distinctum poëmate difficili atque mirabili composuit, et Sergio papae secundo offerendum transmisit. His diebus Herioldus dux Danorum cum uxore sua et filiis et magna parte Danorum Maguntiae baptizatur. Angelomus ad Ludovicum imperatorem tractatus in libros regum edit. Eugenius papa per laicos Romae caecatus est et martyrio coronatus, sepultusque est in ecclesia sancti Petri in Vaticano.

CVI. VALENTINUS.

Valentinus natione romanus coepit anno Domini ·DCCC·XXVII· Sedit diebus ·XL· Vacavit sedes diebus ·III·

CVII. GREGORIUS ·IIII·

Gregorius quartus natione romanus, ex patre Iohanne, coepit anno Domini ·DCCC·XXVII·, in quadam vero chronica dicitur ·XXVIII· Sedit annis ·XVI· Hic ecclesiam sancti Martini in monte prius a fundamentis destruxit, et postea fabricis novis erexit. Hic cum Ludovici imperatoris et omnium episcoporum consensu instituit ut in totius Galliae et Germaniae partibus festum omnium sanctorum generaliter celebraretur kal. novembris, quod ex institutione Bonifacii papae romani antea faciebant. Huius tempore orta est magna turbatio christianis; nam de romanis quidam scelerati miserunt ad

Soldanum Babylonis ut Romam veniens Italiam possideret. Tanta itaque multitudo Sarracenorum per portum Centumcellensem intrans replevit superficiem terrae ut locustae. Obsessa Roma, capitur civitas leonina, ecclesia sancti Petri spoliatur et equorum stabulum efficitur; et non solum civitas, sed et omnis Tuscia in solitudinem redigitur. Tandem ad petitionem Gregorii papae Guido marchio cum Lombardis veniens, post Ludovicus rex cum Gallicis, cum multa sanguinis christianorum effusione Sarraceni sunt fugati. Huius etiam tempore Sarraceni Apuliam et Siciliam devastaverunt. Hic beatus Pontifex corpora sanctorum Sebastiani, Gorgonii et Tiburtii ex coemeteriis, in quibus antea iacuerant, ad ecclesiam sancti Petri perduxit, et in oratorio sancti Gregorii a loco ubi prius fuerant elevans, sub altari ipsius posuit; et ipse post innumera bona sepultus est apud sanctum Petrum.

Contra Ludovicum imperatorem filiorum eius et optimatum oritur commotio et simultas. Anno imperii Ludovici ·XVIII· Sarraceni Siciliam incursantes Liparim insulam devastant, ubi corpus beati Bartholomaei quiescebat, quod olim loculo plumbeo iniectum, et in mare demissum, a paganis non ferentibus id propter nimiam claritatem signorum ab hominibus in honore haberi, ab India usque ad hanc insulam ultro delatum fuerat. Cuius ossa nunc a Sarracenis huc illucque dispersa, et a quodam monacho, ipso revelante, collecta Beneventum transferuntur anno ab incarnatione Verbi ·DCCC·XXXIX·, principante in civitate Benevento Sicardo filio Siconis principis, quinto Beneventanorum principe. Ludovicus igitur videns sibi plures ex suis optimatibus adversantes, alios bonis privavit, alios in exilium pepulit, atque ita tam filios quam optimates

suos contra se magis exacerbavit. Post haec quorumdam malitia actum est,. ut etiam consensu romani Pontificis et episcoporum iudicio procerumque regni Francorum, pius imperator imperii deponeret dignitatem; siquidem populus a patre recesserat, et se ad filios eius contulerat. Pius itaque pater a suis desertus et proditus in potestatem filiorum redactus, arma deponit, et recluditur ad paenitentiam peragendam. Eodem anno nutu divino prospera adversis succedunt, populique ad paenitentiam versi, in melius causam sancti imperatoris commutant, et ipsum pristino honori dignitatique restituunt, filiique eius commissorum veniam exposcunt. Lothario iam imperatori a piissimo patre interdicitur, ne nisi ipso iubente extra Italiam ullo pacto procedat.

Hoc tempore beati Viti martyris ossa Parisiis ad Corbeiam Saxoniae transferuntur; unde testati sunt ipsi quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones sit translata. Anno Ludovici ·xxiii· Normanni Gallias graviter infestant, a Frisonibus tributum accipiunt. Porro Normanni origine Dani, dicti barbara lingua Normanni, qui idem sunt quod Norvegii, quasi homines septentrionales, eo quod primum ab illa mundi parte venerunt. Ludovicus autem imperator filio suo Lothario ad se sub fide venienti reconciliatur, eique dignitatem imperii et regni coronam tribuit. Nec multo post adversa valetudine fatigatus diem clausit extremum, cuius corpus in ecclesia sancti Arnulphi episcopi venerabilis sepelitur.

Anno Domini ·dccc·xli· Lotharius filius Ludovici solus usurpans imperium imperat annis ·xv· Karolus vero et Ludovicus fratres eius dolentes se a fratre suo debita regni parte privatos, contra eum insurgere pa-

rant. Eis itaque de regni portione discordantibus, conscritur inter eos pugna in pago Antisiodorensi apud villam Fontanedum; et tanta caedes utrimque facta est, ut nulla aetas meminerit tantam stragem hominum factam fuisse in gente Francorum; et ita vires eorum attenuatae sunt ibi, ut nec suos terminos tueri ab extraneis possent. Victoria tamen Karolo et Ludovico provenit. Sed cum necdum a bello fratres desisterent, consilio optimatum tandem de pace agitur, et de partibus singulorum ·XL· principes eliguntur, qui convenientes in unum, regnum aequaliter dividerent, et ita pax in annum deducitur sequentem; descriptoque regno postea in tres partes, Verduni Galliae urbe fratres conveniunt, et inter se pacificantur; ac datis et acceptis invicem sacramentis, quisque ad descriptas sibi partes regni tuendas accedunt. Karolus accepit occidentalia regna ab oceano britannico usque ad flumen Mosam, in qua parte ab eo tempore usque ad nos Franciae nomen remansit. Ludovico autem orientalia regna cesserunt, omnis scilicet Germania usque ad Rhenum, et aliquae trans Rhenum civitates cum adiacentibus oppidis propter inopiam vini. Lotharius demum qui natu maior erat et imperator appellabatur, omnia Italiae regna tenuit cum ipsa Roma, nec non Provinciam et mediam partem Franciae, quae ab eo Lotharingia, id est Lotharii regio, mutato nomine appellatur. Post divisionem ergo factam, Karolus cognomento Calvus regnavit in Francia ·XXXIIII· annis, Ludovicus frater eius in Germania annis ·XXXIII·

Ex codice olim reginae svecae Christinae nun bibliothecae vaticanae.

Conquestio domni Chludovici imperatoris et augusti piissimi de crudelitate et defectione et fidei ruptione militum suorum et horrendo scelere filiorum suorum in sui deiectione et depositione patrato. (1)

Fractis robusti olim brachii viribus ego Chludovicus caesar imperator augustus, Dei dispensante gratia orbi romano imperans, cum late in populos iuris habenas inmoderatius relaxavissem, indulgentia nostra quidam dissoluti impugnando pietatem in infidelitatem prorupere crudelitatem. Quod malum eousque incanduit, ut ipsos quoque praedulces natos meos in me saevire compulerint. Ad locum sic forte venitur, qui ex eventu ruptae fidei, pacis et sacramentorum, mentitus Campus ex tunc appellatur. Hic me omnis paene meorum militum manus deserens, eo, ut retuli, perduellio filios meos horrendum facinus involvit, et praefices sceleris esse delegit, insonti mihi multa morti obnoxia imputantes. A numquam laesis multipliciter laesus et delusus, nefandorum actuum meorum non immemor, aequissimo Dei iudicio haec me digne perpeti comminiscens, casus aequanimiter ferebam. Suessionis civitate deinde inimica cohorte vallatus, ad sanctorum dominorum meorum Medardi et Sebastiani coenobium perductus sum. Et quia sciebant me illum locum diligere plurimum, consiliabantur inibi me fortuito post desperationem sponte arma positurum. Quo

(1) Ludovici Pii notissima fortuna est; verumtamen ad sequens scriptum quod attinet conferantur annales Bertiniani ad ann. DCCC.XXXIII. apud Bouquetum rer. gallic. Script. T. VI p. 195.

cum me publica custodia arctavissent, ut quod callide tractaverant, opere consummarent, quosdam submiserunt qui uxorem meam in monasterio virginum sanctimonialem factam, vel quod verius audissent mortuam mihi nunciarent. Filium quoque meum parvulum et innocentem Karolum, bonae indolis puerulum, quem noverant prae omnibus mihi amantissimum, attonsum et monachorum firmarent coetui addictum.

Quod ego audiens, et me continere non valens, quippe qui regni decore spoliatus, coniuge privatus, filioque essem orbatus, diebus non paucis eiulans, nullo consolatore fruitus, languoris violentissimi paulatim me praesentiebam, ex tristitiae magnitudine, aestibus aduri. Et quia, praeter Deum, consolatorem neminem habere poteram, quoniam sane aditus et colloquium negabatur omnibus, ad ecclesiam vero tantum et ad fratres raro via, et ipsa cum summa prospectione custodum, patebat, insedit animo illuc ire. Quo cum devenissem, omnium vestigiis provolutus, morbi quo afficiebar plagam medicis sapientibus exposui; quibus ut aliquantum levaminis apud propicios dominos optinerent supplicavi; et ut pro requie coniugis, quam exemptam vita arbitrabar, missas celebrarent, et attentius orarent, venerabilem religiositatem eorum obnixe efflagitavi. Qui afflictionibus et miseriis meis prudenter compassi, per merita et interventum sanctorum, quibus deserviebant, veluti futurorum praescii, proximam pollicitati sunt ab omnipotente mihi affuturam medelam, si tamen fidei sacramentis animum accommodarem. Sic ab eis bene confortatus, post orationem ab illis deductus noctis ergastuli antris ita demum sum restitutus.

Sequente noctis umbra cogitatu sedulo lucicomum

desiderabam cernere sidus; ingressusque sanctae Trinitatis vicinum carceris oratorium, post matutinalem expletionem solus inibi pernoctans, cum per fenestram intuitum extra dirigerem, quendam custodum, ultra vires, immerito tamen, mihi infensum, sub imbrice cominus video iacentem; et, ne vel per modicum maceriei foramen elaberer, ipso statu servare cupientem. Quem somno et mero sopitum deprehendens, inter alta cordis suspiria, ridiculum mihi omen melius aspectans oboritur. Enimvero eum ita diffusum solo tenus, et eius ensem frequenti cervicalis super quo fuerat positus repulsu viderem penes fundamina basilicae impexum, scalam concite, quae ad accendendos pharos angulo fuerat reposita subiens, funiculum ocio torpentem super a laquearibus solvi, cominusque hastas quibus vexilla tempore litaniarum aptantur conspiciens, uni earum funiculum cum laqueo subnexui, perque eandem fenestram ieci. Hac conprehensum arte mucronem sustuli, inque altas et squalentes feci iactare latrinas. Vocatoque eius nomine, aio ad eum: o custos pervigil, tuorum spes fidissima, vigilas ne? Ad haec ille: vigilo et bene vigilo. Cui iterum ego: et quid struis? Et ille: quid de his, inquit, tibi? Rursus ego: si tibi forte repentina necessitas occurreret, forsitan gladius manu abesset. Illo vero ad caput brachia convertente, et ensem hic illicque quaeritante, si me, dixi, sic custodisses, hodie nequaquam me hic habuisses. Ille autem: quicquid, inquit, illud sit quod de mucrone actum est, satis superque te, ut iussus sum, servavi et servare curabo. At ego: vade ergo, et pro munere fidelitatis huius et vigiliarum tuarum, illo in loco, conpetenti sane armamentario, quem turpiter amisisti recollige mucronem.

Eadem ipsa die quidam fratrum explorantes totius causae meae veritatis tenorem, per Harduinum, qui quotidiano ministerio ante me missas psallere consueverat, scripto miserunt. Cumque de more, ei oblationes Deo mactandas, maxime pro coniugis meae absolutione quam humanis exemptam rebus credebam, offerrem, ille meam cautius stringens manum, secus altare est, dixit. Post consummatam hostiam omnes cum foras egressi fuissent, substiti solus, et sacello proiectam colligens rotulam, vivere uxorem, et nihil in filium meum operatum sinistri cognovi; et per plures iam paeniteri quod taliter fidem ruperint, et a me discesserint; ferocibusque animis certatim restitutionem regni moliri; quod Deo favente, resque in melius per obtentum sanctorum suorum commutante, ad perfectum deduxere.

CVIII. SERGIUS ·II·

SERGIUS secundus natione romanus, ex patre Sergio, coepit anno Domini ·DCCC·XLIII·, in quadam vero chronica dicitur ·XLIIII· Sedit annis ·III·, mensibus ·II· Vacavit sedes diebus ·XV· In quadam tamen chronica legitur quod mortuo Sergio, necdum sepulto, Leo ·IIII· unanimiter a romanis in summum pontificem sit electus. Hic Sergius vocabatur prius os porci, et alterato priore nomine appellatus est Sergius; unde ab isto in posterum omnes sibi proprium nomen immutaverunt. Ad istius Papae confirmandam electionem Ludovicus filius Lotharii imperatoris missus a patre, ab eodem Papa in regem inungitur Longobardorum. In quadam vero chronica dicitur quod iste Sergius papa coronaverit Lotharium imperatorem, quod intelligendum est de coronatione facta mortuo patre suo. His diebus Nor-

manni regnum Karoli calvi graviter infestantes usque Parisios navigiis veniunt; cum Frisonibus tribus proelium conserunt, et in primis duobus victores existunt. Ludovicus rex Germaniae ·XIIII· duces Boëmorum cum suis baptizari fecit, et in fide christiana doceri.

CVIIII. LEO ·IIII·

Leo quartus natione romanus, ex patre Radualdo, coepit anno Domini ·DCCC·XLVI·, in quadam vero chronica dicitur ·DCCC·XLVII· Sedit annis ·VIII·, mensibus ·III·, diebus ·VI· Vacavit sedes diebus ·VI·, in quadam chronica vero dicitur mensibus ·II·, diebus ·VI· Hic primum a parentibus ob studium litterarum monasterio sancti Martini confessoris iuxta ecclesiam sancti Petri apostoli appositus fuit, ubi non solum in scientia, sed etiam in conversatione tamquam perfectus monachus profecit. Hunc postea Sergius papa presbyterum faciens titulum sanctorum quatuor Coronatorum ei assignavit. Quo Sergio mortuo, necdum etiam sepulto, Leo unanimiter a romanis in summum pontificem est electus. Qui mox factus pontifex, sancti Petri et sancti Pauli basilicas et alias ecclesias quas Sarraceni paulo ante omnino devastaverant et spoliaverant, honorifice restauravit. Hic pro Neapolitanis in mari contra Sarracenos pugnantibus orando collectam fecit " Deus cuius dextra beatum Petrum ambulantem etc. „ Et postquam muros civitatis leoninae perfecerat, apponens seras portis orando dixit illam collectam " Deus qui beato Petro collatis clavibus etc. „ Illi autem Sarraceni qui cum magna multudine Romam venerant, et spoliatis ecclesiis apostolorum Petri et Pauli redibant in Africam, mari submersi sunt. Propterea Papa ci-

vitatem quam Leo tertius circa ecclesiam beati Petri inceperat, ipse celeriter perfecit.

Anno Lotharii nono sancta Helena mater Constantini Romae in ecclesia sanctorum Marcellini et Petri quondam sepulta, a Theogisio monacho transfertur in Franciam ad remensem dioecesem, ubi magna colitur veneratione Francorum. Adeulphus rex Anglorum qui primus totius Angliae optinuit monarchiam, hoc tempore Romam veniens coram Leone papa tributum obtulit sancto Petro de unaquaque domo argenteum nummum in anno, quod usque hodie in Anglia solvitur. Anno Lotharii ·xiii· Normanni per mare britannicum ostia Ligeris ingressi urbem Nannetum invadunt, episcopum sabbato sancto paschae baptismum celebrantem trucidant, clerum et populum perimunt; deinde Andegavum, postea Turonos occupant, et omnia diruunt ut tempestas, sanctique Martini venerabile templum incendunt. Verum cum per ·xx· annos nimis Franciam attrivissent, in patriam reversi intestino inter se bello usque ad internecionem delentur; ita ut de regia eorum stirpe nullus nisi unus puer tunc in vivis remaneret. Hic Leo pontifex vir catholicus multae patientiae multaeque humilitatis divinarum scripturarum extitit ferventissimus perscrutator, vigiliis et orationibus semper intentus. Hic obiit Romae, et in ecclesia sancti Petri sepelitur, cuius festum agitur xvii· kal. augusti.

Heic inseritur in codice historiola Iohannae papissae iisdem prope verbis, quibus legitur apud Martinum polonum. Quis vero hanc putidam fabulam, tot iamdiu argumentis explosam, serio iam recitet? Noster tamen breviatus codex, quo saepe utimur, minus absurde incipit: Iohannes teutonicus natione maguntinus, *quam Martinus qui scribit*; Iohannes dictus an-

glicus maguntinus; *neque enim Maguntia in Anglia est. Uterque denique tam noster quam Martinus sic concludunt*: nec ponitur in catalogo Pontificum propter muliebrem sexum. *Haec sane fabula refutatione nova non indiget; est enim ex illorum festivi generis figmentorum, quae quia absurditate ac deformitate sua risum commovent, numquam hominum lepidorum memoria vel sermone excidunt. Ceteroquin eruditionis gratia hac super re legere proderit Panvinium in adnotationibus ad Platinam, Baronium et Natalem Alexandrum in hist. eccl., Leonem Allatium in peculiari diatriba, Launoium in epist.* 8. *lib. IV., Carolum Blascum in cap. ult. dissertationis quae est octava inter canonicas a Gallandio simul editas; ne plures otiose nominem.*

CX. BENEDICTUS ·III·

BENEDICTUS tertius natione romanus, ex patre Patroclo, coepit anno Domini ·DCCC·LVI· Sedit annis ·II·, mensibus ·V·, in quadam vero chronica dicitur mensibus ·VII· Vacavit sedes diebus ·XVI·, in alio cod. XIII. Hic constituit ut clerici ordinate procederent et honeste. Hic etiam inter alia bona quae fecit, porticum a porta civitatis usque ad sanctum Laurentium restauravit. Sepultus est in ecclesia sancti Petri. Huius anno primo terrae motûs insolita commotio, aëris turbines, tempestates, fulmina, multa hominibus incommoda intulere. Quidam et iam homo igne caelesti consumptus est, veste eius illaesa manente. Eodem anno Lotharius imperator partito inter filios regno abrenunciavit saeculo, et in Prumia monasterio suscepto habitu monachali, non multo post obdormivit in Christo; de cuius

anima maxima inter angelos daemonesque altercatio fuit, ita ut etiam cunctis assistentibus corpus distrahi videretur, sed monachis orantibus daemones sunt fugati. Anno Domini ·DCCC·LVI· Ludovicus secundus Lotharii filius a Sergio papa prius in regem inunctus imperat annis ·XXI· Lotharius vero frater eius Lotharingiam tenuit.

CXI. NICOLAUS ·I·

Nicolaus primus natione romanus, ex patre Theodoro, coepit anno Domini ·DCCC·LVIII· Sedit annis ·IX·, mensibus ·II·, diebus ·XX· Vacavit sedes diebus ·VII· Hic fuit vir sanctissimus, cui post magnum Gregorium vix ullus in romana sede apparuit comparandus, cuius ordinationem Ludovicus imperator sua praesentia roboravit. Huius tempore Coloniae orta tempestate, populo in basilicam sancti Petri confugiente, subito fulmen instar ignei draconis cecidit ardens basilicam, et tres homines in diversis locis occidit, sex semianimes relinquens. Anno Ludovici octavo corpora sanctorum martyrum Urbani papae et Tiburtii Antisiodorum sunt translata, et in ecclesia sancti Germani diligenter reposita. Per idem tempus Normanni Galliam repetentes, Aquitaniae terminos, Andegavum, Turonos, Pictavos, et Nannetum depopulantur; quibus Ranulphus dux Aquitaniae et Robertus fortis marchio occursantes, dum proeliantur incaute perimuntur; ceteri vero ut oves a lupis a Normannis acervatim sternuntur. Hic Robertus pater fuit Odonis postea regis Francorum et fratris eius Roberti. Hic Robertus fuit pater Hugonis magni, qui fuit pater Hugonis Capeti qui usurpavit regnum Francorum contra Karolum consobrinum eius,

sicut in sequentibus cnarrabitur loco suo. In quadam vero chronica sic legitur: anno Ludovici octavo Aquitania, Burdigala, Petricorium, Lemovicae, Turoni, Aureliani civitates capiuntur a paganis Normannis, qui ex Dacia (1) cruperunt. Sed tandem conversi in maritimis Galliae resederunt, quae regio dicitur Normannia. Nicolaus papa post multa bona quae fecit, in ecclesia beati Petri sepelitur.

CXII. HADRIANUS ·II·

Hadrianus secundus natione romanus, ex patre Thalaro episcopo, coepit anno Domini ·DCCC·LXVII· Sedit annis ·V· Ad hunc Lotharius rex, quem Nicolaus papa propter adulterium excommunicaverat, Romam ut se excusaret venit; a quo dum ob ostensionem innocentiae suae ad communionem corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi, tam ipse quam optimates sui per Papam invitati fuissent, omnes qui indigne perceperant, ipso anno mortui sunt; rex etiam in via dum rediret, Placentiae defunctus est. Anno Ludovici ·XV· Lotharius rex Lotharingiae filius eius obiit; cuius mortem audiens Karolus rex Francorum, dum Lotharingiam nititur solus usurpare, per moderantiam et industriam fratris Ludovici Germanorum regis ad hoc tractus est, ut aequaliter inter se regnum Lotharingiae dividerent. Porro Karolum regem Francorum domestica calamitas in filiis afflixit; siquidem Karolomannum in clericatu usque ad diaconatus officium provectum pater cepit et excaecavit, eo quod ad apostasiam conversus et omni genere nocendi regnum perturbans

(1) *Dacia* pro *Dania* heic et alibi, ut apud alios quoque auctores.

alter Iulianus effectus erat. Alter autem filius eius Karolus dum inconsulte vellet cuiusdam Albini militis cognitam fortitudinem experiri, et solus contra solum congressus fuisset, ab eodem Albino peremptus est. Sub hoc tempore gens Danorum Angliam plurimum desaeviens perturbavit, regemque piissimum et christianissimum illius provinciae Haymundum capitali sententia nequiter condemnavit. Huius sancti regis caput abscisum lupus saevus et famelicus servavit illaesum, et in insulam deferens diligentissime inter anteriorum pedum amplexus locavit.

CXIII. IOHANNES ·VIII·

Iohannes octavus coepit anno Domini ·DCCC·LXXII·, in quadam vero chronica dicitur ·LXXIII· Sedit annis ·X·, diebus ·II· Huius tempore Sarraceni per Italiam discurrentes ecclesiam beati Benedicti in monte Casino destruxerunt. Ad hunc Iohannem papam Iohannes romanae ecclesiae diaconus vitam primi Gregorii in quatuor libellis laudabiliter scripsit. Hic iniuriam perpessus est a romanis, ita ut in custodia tentus esset, eo quod non favebat Karolo cum in Francia fuisset, nam cum Ludovico balbo ei contrario fere per annum moratus fuerat. Hic tradidit venerabili viro Ansegiso senonensi archiepiscopo caput sanctissimi Gregorii et brachium Leonis papae, quas venerandas reliquias Senonibus in ecclesia beati Petri cum magna veneratione collocavit. Sub hoc Papa celebrata fuit quinta synodus constantinopolitana ·CCC·LXXXIII· * patrum, cui praefuit Petrus presbyter Cardinalis, et Paulus antiochenus episcopus, et Eugenius ostiensis episcopus, apocrisiarii domini Papae. Karolus iunior Ludovici Germanorum regis

* ita cod.

filius graviter per hos dies a daemonio in praesentia patris et optimatum eius vexatur, et in ipsa vexatione fatetur hoc: sibi ideo accidisse quod conspirationem moliebatur in patrem.

Anno ·XIX· Ludovici imperatoris in Italia Brixiae tribus diebus ac noctibus sanguis de caelo pluisse narratur. Ludovicus in Italia moritur, cuius patruus Karolus calvus rex Francorum huius nominus secundus Romam properat, et Iohannem papam ac romanos per munera sibi concilians imperator efficitur anno Domini ·DCCC·LXXVI·, at in chronica Vincentii dicitur ·LXXVII·, et imperavit annis duobus; sed statim a Ludovico fratre eius bellum paratur, eo quod se inconsulto fratruelis imperium usurpasset. Anno primo imperii Karoli Ludovicus Germanorum rex moritur, tres filios relinquens, Ludovicum iuniorem, et Karolum qui non multo post imperavit, et Karolomannum patrem imperatoris Arnulphi. Porro Karolus de morte fratris gavisus, iniustitiam quam contra fratrem conceperat perficere contra filios fratris parans, cum quinquaginta et eo amplius milibus hominum regnum eorum ingressus, Coloniam usque pervenit, ipsis in aliis occupatis. Ludovicus vero iunior ad patruum legatione directa pacem rogabat, quam cum impetrare non posset, viriliter ipsum bello appetit, cumque cum nimio exercitus damno et multo dedecore fugere victum compellit. Karolus imperator in diversis locis per Franciam sanctorum ecclesias aut aedificat aut restaurat. Apud Compendium, quam ex suo nomine Karolopolim appellavit, civitatem magnam facere disponebat, ecclesiam sanctorum Cornelii et Cypriani construxit, et in suo eiusdem loci palatio ecclesiam sanctae Dei genitricis, quas pretiosissimis reliquiis adornavit, scilicet

de corona spinea Domini, de sindone, sudario, et spongia, ac reliquiis sanctorum Cornelii et Cypriani; in quorum adventu iucundo composuit responsorium quod cantatur de apostolis, scilicet " cives apostolorum. „ Apud Carolosium in Aquitania inter Lemovicum et Pictavos monasterium nobile construxit, in quo praeputium Domini posuit.

Comitatus flandrensis eo regnante exordium sumpsit. Flandria enim eo tempore non erat tanti nominis nec famae nec opulentaie ut est nunc, sed a regis Francorum forestariis regebatur, quorum Lidricus barlebracrensis, et Nigerlanus filius eius, et Andacer filius Nigerlani sub Pipino et Karolo Flandriae rectores fuerunt, nec tamen comites appellati. Balduinus autem alter filius Andacri rapuit Iudith filiam viduam Karoli calvi, de quo nunc agimus; unde ex praecepto Karoli et episcoporum consensu excommunicatus est. Demum consilio episcoporum et optimatum Balduino et Iudith reconciliatur; datque eis Flandriam in comitatum et heredibus eorum perpetuo possidendam.

Karolus imperator contra voluntatem uxoris omniumque suorum secundo proficiscitur in Italiam; quo cum venisset, subito nuntiatum est ei fratrueles suos Karolomannum et Karolum, filios quondam Ludovici regis Germaniae, cum manu valida supervenire. Quod audiens contristatus est valde, non enim habebat exercitum sufficientem, et ideo in Franciam per Alpes repedare disponens, a quodam Sedechia iudaeo ut dicitur potionatus, in loco qui dicitur Marchia posito inter alpes pridie nonas octobris obiit; cuius filius Ludovicus cognomento balbus post regni divisionem regnat in Francia annis duobus. Iunior vero Karolus huius nominis tertius, filius Ludovici Germanorum re-

gis, imperium adeptus est admittentibus se quibusdam nobilium romanorum, Iohanne autem papa ad Ludovicum balbum filium Karoli imperatoris recenter defuncti transferre imperium satagente. Coepit autem secundum chronicam Vincentii anno Domini ·DCCC·LXXIX·, in quadam vero chronica dicitur ·LXXXII·, et imperavit annis ·XII· Anno secundo imperii Karoli iunioris Ludovicus balbus Francorum rex uxore de se praegnante moritur; de cuius regno Francis varie sentientibus, aliis quidem filiis Ludovici balbi ex concubina deberi iudicantibus, aliis vero id Germaniae regno resociare volentibus, nascitur interim ex legitima uxore filius, qui ex nomine avi sui Karolus nominatur. Filii tamen ipsius Ludovici balbi ex concubina Ludovicus et Karolomannus regnum Franciae inter se dividentes regnant sex annis. Karolus vero imperator iterum Karolomanno fratre suo defuncto, et non multo post Ludovico altero fratre suo immatura morte perempto, de inimicis relata victoria regnum Germaniae obtinet. Postea vero quam imperasset annis duobus, a Iohanne papa benedicitur, et imperat adhuc annis ·X·, coepitque anno Domini ·DCCC·LXXX·

His diebus plus quam ·V· milia Normannorum a Francis in Gallia perimuntur. Post non modicum autem tempus in silva Francorum Carbonaria dicta plus quam ·IX· milia ab eisdem Francis prosternuntur. Deinde iidem Normanni anno Karoli tertio Danis sibi adiunctis, Franciam et Lotharingiam pervagantes, Ambianum, Atrebatum, Corbeiam, Cameracum, Ardennam, finesque Morinorum, monasteria sanctorum Richarii et Valerii ferro et igne devastant. Eodem anno Gothofridus et Sigifridus reges Normannorum cum inaestimabili multitudine iuxta Mosam in loco qui di-

citur Baslon considentes, Leodium, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Breuamque cum adiacentibus castellis obruunt; sacri autem ordinis ex utroque sexu ministri ubi opportunius poterant latitabant. Post hoc Normanni Treviros incendunt, et Metas usque perveniunt, ibique secundo proelio christianos devinenut, in quo proelio Galo metensis episcopus perimitur.

Cum Galli et Germani sic se opprimi a Normannis vident, Karolum imperatorem ad auxiliandum regno evocant; qui adveniens Normannos potenter obsedit. Gothofridus vero rex Normanuorum facto foedere, ut Frisia provincia et Gilla filia Lotharii regis uxor sibi daretur baptizatus est, et ab imperatore de sacro fonte susceptus. Sigifrido quoque magnis donis affecto, eos a regno recedere fecit; qui mox Franciam repetentes, post multas incursiones a Karolomanno Francorum rege ·xii· mille argenti probati marchas exigunt tributi nomine; et sic in ·xii· annos pacem promittentes mare repetunt. Verum sequente anno rege Francorum mortuo, cuius frater Ludovicus iam priore anno obierat, praefati hostes in Franciam redeunt, dicentes se cum rege Francorum tantum et non cum Francis pacis foedera pepigisse. Hic compulsi Franci Karolum imperatorem ad auxiliandum sibi iterum requirentes, Franciam ei subiciunt; qui contra Normannos apud Lovanium castra metatus semel et bis exercitum misit, sed nihil dignum fecit. Regnavit ergo Karolus etiam in Francia annis ·v· Porro idem imperator cum multa cum Normannis proelia inisset, nec eos expellere praevaleret, tandem facto foedere concessit eis regiones quae ultra Sequanam erant, quae pars Franciae Normannia a Normannis dicta est.

CXIIII. MARTINUS ·II·

Martinus secundus coepit anno Domini ·DCCC·LXXXII·, in quadam vero chronica scribitur ·DCCC·LXXXIII· Sedit anno uno, mensibus ·V· Vacavit sedes diebus ·II·

CXV. HADRIANUS ·III·

Hadrianus tertius natione romanus, ex patre Benedicto, coepit anno Domini ·DCCC·LXXXIII·, in quadam vero chronica dicitur ·LXXXV· Sedit anno uno, mensibus ·III· Hic constituit ut imperator non intromitteret se de electione Papae.

CXVI. BASILIUS.

Basilius papa invenitur hoc loco in chronica Vincentii, ubi etiam scribitur quod in aliquibus libris non invenitur, nec ego in chronica alicuius alterius ipsum legi.

CXVII. STEPHANUS ·V·

Stephanus quintus natione romanus, ex patre Hadriano, coepit anno Domini ·DCCC·LXXXV·, in quadam vero chronica dicitur ·LXXXIII· Sedit annis ·VI·, diebus ·VIII· Vacavit sedes diebus ·V· Huius tempore cum Normanni adiunctis sibi Dacis seu Danis paene totam Galliam devastarent, propter ipsorum timorem corpus beati Martini de Turonis Antisiodorum deportatum est, et in ecclesia sancti Germani collocatum. Sed monachis propter oblationes litigantibus, et suo sancto miracula quae fiebant adscribentibus, leprosus inter sanctum Martinum et Germanum positus est; cuius pars ad

sanctum Martinum versa mundata est: et iterum alia nocte alia pars regyrato leproso sanata est, sancto Germano non impotente, sed hospitem honorante. Karolus denique imperator corpore et animo deficiens, ab optimatibus regni repudiatur, et Arnulphus filius Karolomanni regis fratruelis ipsius sublimatur in regnum. Anno Domini ·dccc·xci· secundum chronicam Vincentii, vel secundum aliam ·dccc·xciii·, Arnulphus coepit, imperavitque annis ·xii· His diebus romanum imperium, et regnum Francorum misere discerpuntur. Franci enim neglecto filio Ludovici balbi puero vix decenni, Odonem filium Roberti, quem a Normannis suprà diximus occisum, praeficiunt sibi regem. Radulphus autem corona sibi imposita rex Burgundionum statuitur quod regnum diu perduravit.

Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Franci Karolum puerum duodennem Ludovici balbi filium in regno paterno constituunt, et a Falcone archiepiscopo faciunt benedici, et oritur inter eum longa concertatio et Odonem. Odo vero rex Francorum cum ·ix· annis regnasset, moritur primates obtestans ut Karolum in regem susciperent. Karolus itaque, qui simplex dictus est, toto regno Francorum accepto regnavit annis ·xxvii· Hic Edinam regis Anglorum filiam duxit uxorem, de qua liberos procreavit. Interea Normanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum christianis pugnant, et vincunt Heroldum Maguntiae archiepiscopum. Arnulphus vero audita caede suorum, a Baioaria contra Normannos cum exercitu valido pugnaturus accedit, quos super fluvium qui Theila dicitur pedestri bello adorsus tantam eorum stragem edidit, ut vix qui tam adversum nuncium referret ad classem de tam innumerabili multitudine su-

peresset. Normannorum autem residuum transvadata Mosa trans mare recedunt pervagantes vastando Ripuariam et Ardennam. Porro iidem Normanni alio tempore cum obsedissent Carnotum, a Richardo duce Burgundiae et comite Roberto exterriti, ostensaque Dei genitricis camisia, in fugam vertuntur, et sic civitas liberatur. Alia quoque vice iidem hostes veniunt Senonas, quam civitatem sex mensibus obsederunt, omnia circum disperdentes.

CXVIII. FORMOSUS.

Formosus episcopus portuensis coepit anno Domini ·dccc·xc·, in quadam chronica dicitur ·dccc·xci· Sedit annis ·v·, mensibus ·v·, in quadam vero chronica dicitur sedisse annis ·iiii· Vacavit sedes diebus ·ii· Hic per picturam renovavit totam ecclesiam beati Petri principis apostolorum. Idem aliquando ob timorem Iohannis papae fugiens, episcopatum portuensem reliquit; et post eum revocatus redire nollet, anathematizatus ess. Sed deinde ad Papam in Galliam veniens, usque ad laicalem statum degradatus est. Insuper iuravit nec Romam nec ad episcopatum se regressurum. Postea vero a Martino successore Iohannis contra iuramentum restitutus, non solum Romam est reversus, sed et romanum pontificatum suscepit. Propter quod de facto ipsius multa altercatio fuit, ut in sequentibus patebit.

CXVIIII. BONIFACIUS ·VI·

Bonifacius sextus natione tuscus coepit anno ·dccc·xcv·, in quadam tamen chronica dicitur ·xcvi· Sedit diebus ·xv·

CXX. STEPHANUS .VI.

Stephanus sextus natione romanus coepit anno Domini .DCCC.XCVI., in alia chronica dicitur .XCVII. Sedit anno uno. Vacavit sedes diebus tribus. Hic a Formoso papa episcopus Anagniae ordinatus ipsum Formosum persequitur, et omnes ordinationes ipsius irritas debere esse decrevit (1). Legitur etiam quod iste corpus Formosi papae in concilio positum et papali veste exutum laicali induerit, et duobus digitis dextrae manus abscisis, manum eius in Tiberim (2) iactari praeceperit.

CXXI. ROMANUS.

Romanus natione romanus coepit an. Domini .DCCC.XCVII., in alia chronica dicitur .XCVIII. Sedit annis .III., in quadam tamen chronica dicitur mensibus .III., diebus .XXIII.

CXXII. THEODORUS .II.

Theodorus secundus natione romanus coepit anno Domini .DCCC.XCVIII., in quadam chronica dicitur .XCIX. Sedit diebus .XX. Hic contra Stephanum papam sentiens reconciliavit omnes ordinatos a Formoso papa.

(1) Baronii pietas valde excandescit adversus huius Stephani facinora, qui malo initio, factione scilicet Marchionis Etruriae, ad pontificatum evectus fuit. De ordinationibus autem Formosi famosa quaestio est in ecclesiastica historia, easque peculiari opere, quod extat, defendit Auxilius presbyter, qui et ipse a Formoso fuerat consecratus. Rem breviter lucideque exponit inter ceteros Natalis Alex. saec. IX. cap. I. art. 14.

(2) Perperam Martinus polonus *in tumulum* pro *in Tiberim*.

CXXIII. IOHANNES ·VIIII·

Iohannes nonus coepit anno Domini ·dccc·xcix·, in alia vero chronica dicitur ·dcccc· Sedit annis ·ii·, diebus ·xv· Hic pugnam fecit cum romanis. Idem ad confirmandam Formosi ordinationem synodum ·lxxiiii· episcoporum Ravennae statuit, ubi synodus quam Stephanus papa contra Formosum fecit reprobata fuit. Hoc tempore claret in Burgundia Berno ex comite abbas gigniacensis coenobii a se fundati. Hic ex dono Annae comitissae construxit cluniacum coenobium in cella gigniacensi. Sub hoc Bernone Odo musicus ex clerico turonensi monachatum profitetur. Claruit et Remigius antisiodorensis in exponendis scripturis divinis et humanis studiosus, a quo praefatus Odo in musica et dialectica apprime eruditus est. Interea Arnulphus imperator longa aegritudine dissolutus, ut quidam volunt, adeo est in corpore a minutis vermibus ex se scaturientibus quos pediculos vocant afflictus, qui nullo medicamine removeri potuerunt, ut discederet ab hac luce; cui Ludovicus filius eius subrogatur in regno. Anno Domini ·dcccc·ii·, in chronica vero Vincentii dicitur ·dcccc·iii·, Ludovicus huius nominis tertius, Arnulphi filius, imperator factus imperat annis ·x· Hic defecit progenies Karoli magni in regno Germaniae.

CXXIIII. BENEDICTUS ·IIII·

Benedictus quartus natione romanus coepit anno Domini ·dcccc·ii· Sedit annis ·iii·, mensibus ·ii·. Vacavit sedes diebus ·vi·

CXXV. LEO ·V·

Leo quintus post Benedictum eligitur anno Domini ·DCCCCIII· Hunc post ·XXX· dies, in alia vero chronica dicitur ·XL· dies, ordinationis suae Christophorus presbyter suus capiens, et in carcerem trudens, per invasionem rapuit praesulatum.

CXXVI. CHRISTOPHORUS.

Christophorus post Leonem coepit anno ·DCCCCV· Sedit mensibus ·VII·, post quos a Sergio papa deponitur et in carcerem tamquam invasor detruditur. In multis vero chronicis dicitur, quod eiectus e papatu factus est monachus.

CXXVII. SERGIUS ·III·

Sergius tertius natione romanus, ex patre Benedicto, coepit anno Domini ·DCCCCVI·, in quadam vero chronica dicitur ·VII·, in alia denique ·VIII· Sedit annis ·VII·, mensibus ·III·, diebus ·XVI· Vacavit sedes diebus ·VII· Hic Sergius diaconus propter Formosum a papatu reprobatus, et ab eodem Formoso episcopus factus, ad Francos se transtulit quorum auxilio Christophorum invasorem papatus incarcerans, Romam latenter ingressus papatum obtinuit, et in ultionem suae repulsae Formosum de sepulcro, quod dictu nefas est, extractum et in sede pontificali sacerdotaliter indutum decollari praecepit, et in Tiberim iactari. Insuper omnes quos ipse ordinaverat, iniuste exordinavit, iniustiusque reordinavit (1); quem Formosum postmodum a

(1) Errasse heic Sergium in quaestione facti, non iuris; et

piscatoribus inventum, et in basilicam beati Petri loculo reportatum quaedam sanctorum imagines adorasse et venerabiliter salutasse palam omnibus visae sunt.

Nunc ad reges Francorum redeamus. Ira Dei versa est in misericordiam erga Francos. Nam Normanni et Dani, qui et Daci, qui regnum Francorum per ·XL· annos et amplius ad nihilum paene redegerant, ita sunt per Richardum ducem Burgundiae, et Robertum comitem parisiensem fratrem quondam regis Odonis, devicti per intercessionem sanctae Dei genitricis Mariae, in cuius territorio carnotensi proelium fuit commissum, clementia divina christianis auxilium praestante, ut ipsi Normanni Dei misericordiam implorarent, et instanter peterent se effici christianos. Eo tempore duces Normannorum erant duo cognati, Rollo et Gello. Consilio igitur capto Karolus rex cum optimatibus suis, dedit Rolloni Gillam filiam suam, et totam Neustriam, eo tamen pacto ut baptizaretur, quod se facturum spopondit. Suscepit autem Rollonem de sacro fonte Robertus parisiensis frater Odonis regis, et eius gratia ex Rollone vocatur Robertus. Hic fuit primus dux Normannorum; genuit autem Guillelmum, Guillelmus Richardum secundum, et iste Richardus Richardum tertium et Robertum Guiscardi. Hic Apuliam, Calabriam, Siciliam acquisivit, Venetosque et Alexium imperatorem Graecorum devicit. Hic genuit Guillelmum nothum qui interfecit in proelio Karolum regem Anglorum. Isti sunt duces Normannorum et reges Anglorum, qui ex Rollonis genere prodierunt.

Gelloni autem cognato eius tradidit Karolus mon-

malo exemplo, non falsa doctrina; adnotat Bellarminus de rom. Pont. lib. IV. 12. Utiliter autem heic legetur adnotatio ad Natalem Alex. saec. X. cap. I. art. 17.

tem Blesensem, in quo castrum aedificans habitavit, acceptaque uxore nobili genuit Theobaldum vetulum. Theobaldus vero genuit Odonem ex filia Conradi imperatoris, qui Campanensis est dictus eo quod in Campania sit natus. Odo autem genuit Odonem; Odo Theobaldum et Stephanum; Stephanus autem comitem Theobaldum. Haec est genealogia comitum Blesensium de progenie Gellonis normanni descendentium. Ludovicus imperator moritur, qui propter tyrannorum Italiae insolentiam, et multam malorum ingruentiam non meruit imperialem benedictionem. Cui successit filius eius Conradus huius nominis primus anno Domini ·dcccc·xiii·, imperavitque apud Teutonicos annis ·vii·, qui etiam caruit benedictione imperiali. Tempore siquidem praedicti Ludovici imperatoris coeperunt Italici imperare. Exemptum enim imperium a Francis, fertur ad Italicos secundum sententiam Romanorum, quia Franci non adiuvabant Romam contra Longobardos rebellantes; propter quam causam tempore istius Ludovici dividi coepit imperium. Anno Domini ·dcccc·vii·, in alia vero chronica dicitur ·viii· Berengarius primus imperavit apud Italicos annis ·vi· Iste fuit prudens in armis.

Berno abbas gigniacensis moriturus, Odonem olim musicum abbatem cluniacensis coenobii ea conditione instituit, ut coenobium cluniacense in signum subiectionis solveret coenobio gigniacensi ·xii· denarios annuatim de censu. Hic beatus Odo mirae sanctitatis extitit et incomparabilis in monastica disciplina fervoris ac paene suo saeculo singularis. Valde enim hoc tempore in plerisque Galliarum locis monasticae religionis fervor tepuerat, et in monachis rarus fuit mundi contemptus. Abbatiae siquidem antiquiores, quae in

urbibus Galliae seu in castris nobilioribus erant fundatae, a religiosi propositi tramite adeo exorbitaverant, ut paene omnes qui in eis videbantur divinis obsequiis mancipati, curis carnis et propriae voluntatis studio et malae intentioni servirent. Hic igitur vir beatus ob suae cumulum sanctitatis, non solum cluniacensis, sed multorum in regno hesperiorum coenobiorum effectus est abbas, ac disciplinae regularis egregius et sagacissimus propagator; ipsius industria et fervore, monachorum tepor versus est in ardorem devotionemque religionis et fidei venerandam. Valde quippe per eum et sub eo monastica devotio exsiccata viruit, et refloruit beati Benedicti laudabilis institutio in coenobiis per exemplum eius et industriam reparata. Cluniacense denique coenobium tanta religione sub hoc sanctissimo patre Odone tum initio tum longe post floruit, ut fonti aquae vivae, quae verae religionis pietate ad se venientes et uni Deo servientes plenissime abluebat, posset merito comparari. Hic Odo antiphonas et hymnos beati Martini dictavit.

CXXVIII. ANASTASIUS ·III

Anastasius tertius natione romanus coepit anno Domini ·dcccc·xiiii·, in quadam tamen chronica dicitur ·xii· Sedit annis ·ii·, mensibus ·ii· Vacavit sedes diebus ·ii Anno Domini ·dcccc·xiii·, vel secundum quandam chronicam ·xv·, Berengarius secundus huius nominis imperator imperavit in Italia apud Romanos annis ·vi·, in quadam vero chronica dicitur annis ·viii·

CXXVIIII. LANDO.

Lando natione romanus coepit anno Domini ·DCCCC·XVI·, in quadam tamen chronica dicitur ·XIII· Sedit mensibus ·VI· Vacavit sedes diebus ·XXXVI·, in alia chronica dicitur ·XXVI·

CXXX. IOHANNES ·X·

Iohannes decimus coepit anno Domini ·DCCCC·XVII·, in quadam vero chronica dicitur ·XVI· Sedit annis ·XIII·, mensibus ·II·, diebus ·IIII·, in quadam vero chronica dicitur sedisse annis ·XIIII· Hic fuit filius Sergii papae et episcopus ravennas, qui ecclesiae invasor fuit, et ab omni populo ravennate depositus. Huius consilio et auxilio Sarraceni, qui tunc dominabantur in Italia, primo prope Urbem devicti sunt. Demum ipse Papa cum marchione Alberico intrans Apuliam contra Sarracenos, apud Garilianum cum illis durum proelium conserentes, victores sunt effecti; et postquam redierunt Romam, a populo romano cum gaudio et honore sunt recepti. Sed postea discordia interveniente, Marchio de urbe expulsus in Horta castrum extruens, illuc se recepit; et nuncios ad Hungaros ut terram romanam possiderent misit, qui venientes totam Tusciam depopulando, mares et feminas et quicquid tollere potuerunt, in Hungariam deportarunt. Propter quod Romani commoti praedictum Marchionem trucidarunt. Hungari vero deinceps singulis annis per multa tempora fines Romanorum devastare solebant.

Per idem tempus in Britannia castro Dolensi fundatum est nobile coenobium, quod Dolis vocatur ab Ebdone viro illustri praedicti domino castri. Hic vir

admodum devotus post paululum in Britannia plures monachos mortis metu Normannorum rabiem fugientes suscepit. Hi caput beati Gildisii abbatis detulerunt ad castrum Dolense, cui etiam idem Ebdo proprium coenobium iuxta castrum suum ex alia parte aquae construxit, ubi eiusdem sancti venerabile corpus cum multorum sanctorum reliquiis honorabiliter requiescit; in quo loco monachi se asserunt corpus beati Albani martyris quondam in Britannia passi, et beatae Brigidae virginis possidere. Praefatus vero Ebdo post hoc contra Hungaros pergens apud urbem Aurelianos ab eis occiditur, ubi et sepultus honorabiliter requiescit. Anno Domini ·dcccc·xvii· sanctus Geraldus genere vita et miraculis clarus obiit, et in monasterio aurelianensi, quod in pago Arverniacensi in honorem sancti Petri apostolorum principis ipse fundaverat, sepelitur. Conradus imperator apud Teutonicos moritur, moriensque coram principibus regni Henricum filium Othonis ducis Saxoniae regem designat. Anno Domini ·dcccc·xx·, in quadam chronica dicitur ·xxi· coepit Hugo imperator in Italia, imperavitque apud Romanos ·vi· annis.

Anno Domini ·dcccc·xx· Henricus primus imperat apud Teutonicos annis ·xviii· Hic vir pacificus fuit, iustitiae cultor, et iniustorum deletor, non tamen inter imperatores computatur, quia non regnavit in Italia, nec fuit per Papam coronatus. Anno eiusdem Henrici secundo, Robertus dux frater Odonis regis appetens regnum Francorum contra Karolum simplicem Franciam turbare coepit, eiusque instinctu omnes paene Franciae regi adversari coeperunt. Karolus vero audiens a dicto Roberto se impeti, Lotharienses sibi in auxilium evocat, et contra eum iuxta urbem Suessionem pugnans, ipsum cum multis perimit. A quo bello

rex Karolus rediens verbis dolosis Heriberti comitis Virmandensium, qui sororem dicti Roberti duxerat uxorem, deceptus apud castrum Petronam in domum eius hospitaturus divertit; sicque ab eo captus et in carcerem coniectus, tandem martyr et exul occubuit. Porro uxor eius ad patrem suum regem Anglorum fugit cum parvulo suo nomine Ludovico. Sane post Karolum Radulphus filius Richardi ducis Burgundiae a Francis rex eligitur, regnatque in Francia ·XIII· annis. Iohannes vero papa a militibus comitis Guidonis captus, super os eius cervicali imposito strangulatus est. In cuius locum alter Iohannes subrogatur frater Alberici romani, expulso Hugone regente. Sed quia idem Iohannes male intraverat, statim eiectus fuit, et idcirco non ponitur in numero Pontificum.

CXXXI. LEO ·VI·

Leo sextus natione romanus coepit anno Domini ·DCCCC·XXVIII· Sedit mensibus ·VIII·, in quadam autem chronica dicitur sedisse annis ·III·, mensibus ·VI·, diebus ·XV· Primum tamen puto esse verum.

CXXXII. STEPHANUS ·VII·

Stephanus septimus natione romanus coepit anno Domini ·DCCCC·XXXI·, in quadam vero chronica dicitur ·XXIX· Sedit annis ·II·, mense ·I·, diebus ·XII· Vacavit sedes diebus ·II· Anno Domini ·DCCCC·XXXI· coepit Berengarius tertius, imperavitque apud Romanos in Italia annis ·VIII·

CXXXIII. IOHANNES ·XI·

Iohannes undecimus natione romanus coepit anno Domini ·dcccc·xxxii·, sed in alia chronica scribitur ·xxxi· Sedit annis ·iii·, mensibus ·x·, diebus ·xv· Vacavit sedes die ·i· Huius anno primo in Ianuensi urbe fons sanguinis largissime fluxit, portendens forsitan subsecutam ipsius urbis ruinam, quae eodem anno ab africanis Sarracenis illuc cum classe venientibus capta fuit; cunctis civibus, exceptis parvulis et mulieribus, captis aut occisis.

CXXXIIII. LEO ·VII·

Leo septimus natione romanus coepit anno Domini ·dcccc·xxxvi· Sedit annis ·iii·, mensibus ·iiii·, diebus ·xii· Vacavit sedes mense uno. Anno Henrici imperatoris ·xviii· multa apparuerunt prodigia, siquidem sol caelo sereno obscuratus, per fenestras domorum radios quasi sanguineos immittebat. Item homini cuidam manus amputata, post annum paene ad integrum restituta est dormienti. Eodem anno imperator Henricus obit; cui Otho filius ex Mathilda filia Theodorici ducis Saxonum succedit in regno. Anno Domini ·dcccc·xxxviii· coepit apud Teutonicos Otho primus Henrici filius, imperavitque tam apud Teutonicos quam apud Romanos annis ·xxxvi·

CXXXV. STEPHANUS ·VIII·

Stephanus octavus natione germanus coepit anno Domini ·dcccc·xxxix· Sedit annis ·iii·, mensibus ·iiii·, diebus ·xv· Vacavit sedes diebus ·x· Hic fuit a quibusdam

romanis mutilatus. Anno Othonis imperatoris Teutonicorum primo Radulphus rex Francorum apud Antisiodorum moritur, cuius corpus in ecclesia sanctae Columbae Senonibus tumulatur. Post cuius mortem Franci Guillelmum archiepiscopum senonensem in Angliam mittunt ad Edinam quondam Francorum reginam, ut filium suum Ludovicum qui illuc cum matre sua confugerat, ad regnum suscipiendum paternum remittat. Cui obsidibus datis et adhibitis sacramentis, Ludovicum puerum in Franciam praedictus antistes adduxit, qui apud urbem Laudunum rex inunctus ac coronatus regnavit annis ·XIX·

CXXXVI. MARTINUS ·III·

Martinus tertius natione romanus coepit anno Domini ·DCCCCXLII·, in quibusdam tamen chronicis dicitur ·XLI· Sedit annis ·III·, mensibus ·VI·, diebus ·XIII· Vacavit sedes diebus ·III· Anno Domini ·DCCCCXLIII· coepit Lotharius ·II· apud Romanos, imperavitque apud eos annis ·II·

CXXXVII. AGAPITUS ·II·

Agapitus secundus natione romanus coepit anno Domini ·DCCCCXLV·, in quadam tamen chronica dicitur ·XLVI· Sedit annis ·VIII·, mensibus ·VI·, diebus ·X·, in alia chronica dicitur annis ·X· Vacavit sedes diebus ·XII· Sub hoc tempore sanctus Odo primus abbas cluniacensis dormit in Christo, cui Ademarus successit; qui cum cluniacense coenobium sex annis rexisset, sanctum Maiolum abbatem sibi substituit, virum fervoris eximii et admirandae abstinentiae, reparatoremque prae-

cipuum monasticae disciplinae. His diebus Francorum proceres contra Ludovicum regem rebellant, et praecipue Hugo magnus parisiensis comes. Hic fuit filius Roberti tyranni in proelio suessionico a Karolo rege perempti. Ludovicus itaque rex a suis ducibus circumventus, a Normannis capitur, et consilio Hugonis Lugdunum ductus publicae custodiae traditur. Karolomannus vero maior filius eius a Normannis abductus Rothomagi moritur. Hoc audiens Otho imperator Teutonicorum cum ·xxvii· legionibus in Franciam ingreditur ad liberandum Ludovicum, ob cuius metum a custodia relaxatur.

Anno Domini ·dcccc·xlvi·, vel ·xlvii· secundum chronicam Sicardi episcopi cremonensis, Berengarius quartus huius nominis imperator regnum Italiae cum imperio adeptus est, regnavitque cum filio suo Adalberto apud Romanos annis ·xi· Cumque ecclesia sub tyrannide Berengarii maximam pateretur persecutionem, ad memoratum Othonem regem Teutonicorum a sede apostolica legati mittuntur de tyrannide Berengarii conquerentes. Unde hic primus Otho filium suum nomine similiter Othonem in Italiam misit, qui de Berengario triumphavit, et totam Italiam subiugavit. Adalbertus vero in Corsicam fugit. Proinde rex Otho a Iohanne papa ·xii· coronatus imperatoris nomen acquisivit; et sic imperium ad Teutonicos pro gloriosa et victoriosa ecclesiae defensione transivit. Haec ex chronica Sicardi. Anno Othonis ·xviii· sanguis pluit super operarios mense maio feria sexta. Ipso anno Ludovicus rex Francorum moritur, et Remis in ecclesia sancti Remigii sepelitur anno Domini ·dcccc·liiii· vel ·lv· Post quem Lotharius filius eius ex Gerberta sorore Othonis imperatoris rex Remis inunctus regnat annis ·xxxv

Iohannes duodecimus, de regione via lata, coepit anno Domini ·DCCCC·LIII·, sed in quadam chronica dicitur ·LVI· Sedit annis ·VII·, mensibus ·X·, diebus ·VI· Vacavit sedes diebus ·XII· Hic prius vocatus est Octavianus, filius Alberici qui cum esset potens in Urbe, vocatis ad se nobilibus rogavit eos et iureiurando adstrinxit, ut mortuo Agapito papa filium suum Octavianum ad pontificatum promoverent, quod et factum est, sumpto Iohannis nomine. Hic frequenter fuit per imperatorem et clerum de correctione morum admonitus; demumque collecto ex tota Italia episcoporum concilio, dum se excusatum venire cunctatur, eo a cunctis post multa praeiudicato, Leo adhuc laicus substituitur. Sed postmodum iterum Iohannes a Romanis receptus, synodo collecta Leonem deposuit, ac eius gesta cassavit. Per hos dies Hugo magnus comes parisiensis sub Lothario rege efficitur dux Francorum; qui secundo ducatus sui anno moritur, et in ecclesia sancti Dionysii sepelitur. Cui Hugo, Otho, et Henricus filii eius succedunt, quorum Hugo ducatum Francorum sortitus est loco patris.

Iterum de Iohanne XII. ex codicibus vaticanis 1437. et 7143. itemque ex Cincio camerario.

Iohannes duodecimus fuit temporibus primi Othonis, qui subiugatis Hungaris et universis sibi adversantibus de regno Francorum expulsis, cum imperii gubernacula in pace teneret, audivit Adalcitam illustrem reginam uxorem Lotharii Longobardorum regis, et Attonem maximum comitem a Berengario tyranno nequi-

ter detineri obsessos inexpugnabili arce Canusii. Compatiens igitur afflictionibus tantae reginae in Lombardiam cum maximo exercitu properavit, et eodem nequam Berengario capto atque interfecto, filiisque eius prorsus a regno exclusis, praedictam Adaleitam in uxorem accepit, et Longobardorum regnum in omni tranquillitate possedit. Post aliquantum vero temporis cum pace omnimoda frueretur, voluit Romam videre, et de consilio praecipue iam dicti Attonis comitis ad praesentiam domni Iohannis papae filiali devotione accedere, cui iuramentum quod inferius continetur corporaliter praestitit in haec verba.

IURAMENTUM OTHONIS ·I· IMPERATORIS.

Tibi domino papae Iohanni ego rex Otho promitto et iuro per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per hoc lignum vivificae crucis, et per has sanctorum reliquias, quod si permittente Deo Romam venero, sanctam romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, et numquam vitam aut membra, neque ipsum honorem quem habes, mea voluntate aut consensu aut mea exhortatione perdes; et Romae nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quae ad te aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio; et quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem venerit, tibi reddam; et cuicumque regnum italicum commisero, iurare faciam illum ut adiutor tui sit ad defendendum sancti Petri terram secundum suum posse. Apud Grat. dist. 63. cap. 33.

Quibus ita peractis, honorifice a Romanis susceptus est et ab ipso Pontifice coronatus. Hic primus omnium Germanorum regum appellatus imperator est.

Hic pacata tota Italia cum uxore in Saxoniam remeavit, de qua filium genuit tam regni quam sui nominis successorem, cui quandam filiam imperatoris constantinopolitani coniugem dedit. Deinde ad pia opera intendens, in allodio suo apud Brunswich ecclesiam mirae pulchritudinis fabricavit, et possessionibus magnis divitem fecit. Multitudinem praeterea paganorum habitantium circa regnum ipsius relicta idolorum cultura convertit ad Christum. Cumque his et aliis bonis operibus esset intentus, repente in lectum aegritudinis decidit, et perceptis dominicis sacramentis, de hoc mundo migravit ad Christum. Cetera vero huius historiae diligens lector in libello Bonizonis sutrini episcopi, qui inscribitur ad amicum, inveniet.

In insigni Cincii camerarii codice, qui fuit dominorum Columnensium, et me praefecto ad bibliothecam vaticanam accessit, extat initio genuinus et priscus ordo romanus ad coronandum Imperatorem, quem ordinem quum ab iis magnopere differre viderem qui extant apud Mabillonium in museo italico T. II, nec non ab ipso, quo nunc utimur pontificali romano, bene me mereri de sacra liturgia putavi, si hunc in loco non alieno recitarem. Alius vero brevissimus coronationis ordo romanus est in eodem codice fol. 149. b.

Qualiter romanus Imperator debeat coronari.

Incipit ordo romanus ad benedicendum Imperatorem, quando coronam accipit a domino Papa in basilica beati Petri apostoli ad altare sancti Mauricii.

Die dominico summo mane descendit Electus cum coniuge sua ad sanctam Mariam transpadinam, quae est iuxta Terebinthum, ibique recipitur honorifice a praefecto urbis, et comite palatii lateranensis; et uxor eius a dativo iudice et arcario, et deducitur per porticum clericis urbis omnibus io-

dutis cappis, planetis, dalmaticis, et tunicis, cum turibulis, cantantibus *ecce mitto angelum meum*, usque ad suggestum areae superioris, quae est in capite graduum ante portas erectus sanctae Mariae in Turri. Ibi sedet dominus Papa in sede sua circumstantibus episcopis, et Cardinalibus diaconis, et ceteris ecclesiae ordinibus. Tunc electus Imperator cum coniuge et omnibus baronibus suis clericis et laicis osculatur pedes domini Papae. Et Regina in partem cum supradictis ductoribus suis recedente, Electus iurat fidelitatem domino Papae in hunc modum. *In nomine domini nostri Iesu Christi ego ·N· Rex et futurus Imperator Romanorum, promitto, spondeo, polliceor, atque per haec evangelia iuro coram Deo et beato Petro apostolo tibi ·N· beati Petri apostoli vicario fidelitatem, tuisque successoribus canonice intrantibus, meque a modo protectorem ac defensorem fore huiusce romanae ecclesiae, et vestrae personae, vestrorumque successorum in omnibus utilitatibus, in quantum divino fultus fuero adiutorio, secundum scire meum ac posse, sine fraude et malo ingenio. Sic me Deus adiuvet et haec sancta evangelia.* Ibique camerarius domini Papae, electi pallam accipit sibi habendam.

Deinde quaerit ab eo dominus Papa ter, *si vult habere pacem cum ecclesia*; eoque ter respondente, *volo*; dominus Papa dicit: *et ego do tibi pacem, sicut Dominus dedit discipulis suis.* Osculaturque frontem eius et mentum, rasus enim esse debet, et ambas genas, postremo os. Tunc surgens dominus Papa, ter querit ab eo *si velit esse filius ecclesiae.* Et illo ter respondente, *volo*; dominus Papa dicit: *et ego te recipio ut filium ecclesiae*; et mittit eum sub manto, et ille osculatur pectus domini Papae, et accipit eum per dexteram manum, et cancellarius eius sustentat eum a sinistra. Electus vero ducitur per dexteram ad archidiaconum domini Papae, et sic intrat per portam aercam, clericis beati Petri cantantibus *benedictus dominus Deus Israël*, usque ad portam argentariam. Ibi dimittit eum dominus Papa orantem. Quem leuto subsequitur gradu Regina cum supradictis ductoribus suis usque ad supradictam portam argenteam. Electus vero completa oratione, surgit; et episcopus albanensis de-

cantat super eum hanc primam orationem. *Deus in cuius manu corda sunt Regum, inclina ad preces humilitatis nostrae aures misericordiae tuae, et Principi nostro famulo tuo ·N· regimen appone sapientiae, ut haustis de tuo fonte consiliis tibi placeat, et super omnia regna praecellat.*

Postea dominus Papa ingreditur ecclesiam beati Petri clericis eiusdem ecclesiae cantantibus responsorium *Petre, amas me.* Quo completo, dominus Papa benedicit. Deinde sedet in sede sibi praeparata in dextera parte eiusdem rotae. Completa oratione albanensis episcopi, ingreditur Electus et sedet in praedicta sede, archipresbytero Cardinalium, et archidiacono hinc inde eum deducentibus, et iuxta eum sedentibus, ut doceant qualiter debeat domino Papae in scrutinio respondere. Dominus Papa facit scrutinium in hunc modum, septem episcopis sedentibus ad dexteram eius secundum ordinem suum; episcopi teutonici sedeant ad dexteram Electi, Cardinales et ceteri ordines ecclesiae sedeant. Dominus Papa dicit.

Antiqua sanctorum patrum institutio docet et praecipit ut quisquis eligitur ut praeesse debeat, diligentissime examinetur cum omni caritate de fide sanctae Trinitatis, et interrogetur de diversis causis vel moribus qui suo regimini congruunt, secundum apostolicum dictum, manum cito nemini imposueris: et ut etiam is qui ordinandus est, antea erudiatur qualiter eum in ea praelatione constitutum oporteat conversari, ut excusabiles sint qui ei manus imponunt. Eadem itaque auctoritate et praecepto interrogamus te, dilectissime fili, caritate sincera si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divino servitio mancipare volueris? Respondet: *ita toto corde volo in omnibus obedire et consentire.* Interrog. *Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum poteris, Domino adiuvante, ad omne bonum commutare?* R. *In quantum possum, volo.* Interrog. *Vis sobrietatem cum Dei auxilio custodire?* R. *In quantum possum, volo.* Int. *Vis semper divinis mancipari negotiis, et a lucris turpibus esse alienus, quantum te humana permittit fragilitas?* R. *In quantum possum, volo.* Int. *Vis humilitatem et patientiam in temet ipso cu-*

stodire, et alios nd hoc inclinare? R. *In quantum possum, volo.* Int. *Pauperibus et peregrinis omnibusque indigentibus vis esse propter nomen Domini affabilis et misericors?* R. *Volo.* Et dicat dominus Papa: *haec omnia et cetera bonn tribunt tibi Dominus, et custodiat te atque corroboret in omni bono.* Et respondent omnes, *amen. Credis secundum intelligentiam tuam et capacitatem sensus tui sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, totnmque in Trinitate deitatem, coëssentialem, coaeternum, coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestntis et mniestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia et in quo omnia quae sunt in caelo et in terra visibilia et invisibilia?* R. *Assentio, et ita credo.* Int. *Credis singulam quamque in saucta Trinitate personam unum Deum verum plenum et perfectum?* R. *Credo.* Int. *Credis ipsum Dei filium verbum Dei aeternaliter natum de pntre, consubstantialem, coomnipôtentem et coaequalem per omnia patri et divinitnte temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine cum anima rationali, duas hnbentem nativitntes, unam ex patre aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque nntura atque perfectum, non adoptivum ueque phantasticum, unicum et unum Deum, filium Dei in duabus naturis, sed in unius personne singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera cnrnis passione, et sepultum, et resurgentem a mortuis die tertia, vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua resurrexit et anima nscendisse in caelum et sedere nd dexteram Dei patris, unde venturus est iudicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala?* R. *Assentio, et per omnia credo.* Int. *Credis etiam Spiritum sanctum plenum et perfectum verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coaequalem et coëssentinlem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio?* R. *Credo.* Int. *Credis hnnc sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, et incommutabilem?* R.

Credo. Int. *Credis sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua unum datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum?* R. *Credo.* Int. *Anathematizas etiam omnem haeresim extollentem se adversus sanctam ecclesiam catholicam?* R. *Anathematizo.* Int. *Credis etiam veram resurrectionem eiusdem carnis quam nunc gestas, et vitam aeternam?* R. *Credo.* Int. *Credis etiam novi et veteris testamenti legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et dominum omnipotentem?* R. *Credo.* Et dicatur ei: *haec fides augeatur a Domino ad veram et ad aeternam beatitudinem, dilectissime in Christo fili.* Et respondeant omnes, *amen.*

Tunc vadit dominus Papa ad secretarium, et induit se pontificalibus indumentis usque ad dalmaticam, qua indutus sedet. Interim episcopus portuensis in medio rotae medianae, dat hanc orationem super electum. *Deus inenarrabilis, auctor mundi*, et cetera sicut in unctione Regis. Finita oratione vadit electus ad chorum sancti Gregorii cum praedicto Cardinalium archipresbytero et archidiacono, quibus quasi magistris uti debet in toto officio unctionis; et induunt eum amictu et alba et cingulo, et sic deducunt eum ad dominum Papam in secretarium, ibique facit eum clericum (1), et concedit ei tunicam, et dalmaticam, et pluvialem, et mitram, caligas, et sandalia, quibus utatur in corona sua, et sic indutus stat ante dominum Papam. Verum completo scrutinio, exit ostiensis episcopus ad portam argenteam, ubi Regina cum iudicibus et baronibus suis praestolatur, et decantat super eam hanc orationem. *Omnipotens aeterne Deus fons et origo bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, sed dignanter comprobando potius eligis; et qui infirma mundi eligendo, quaeque fortia confundere decrevisti; quique aeternae gloriae virtutisque tuae triumphum in manu Iudith feminae, iudaicae plebi de hoste saevissimo resignare voluisti, respice quaesumus ad preces humilitatis nostrae, et super hanc famulam tuam ·N· quam supplici*

(1) Hinc imperatores Sigismundus Constantiae dalmatica indutus, Federicus tertius Romae stola ornatus, evangelium cantaverunt in missa pontificali.

devotione in Reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuae potentiae semper et ubique circumda, ut verbo muniminis tui undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphanter expugnare valeat; et una cum Sarra atque Rebecca, Lia et Rachel, beatis reverendisque feminis, fructu uteri sui foecundari seu gratulari mereatur ad decorem totius regni, statumque sanctae Dei ecclesiae regendum nec non protegendum. Per Christum dominum nostrum, qui ex intemerato beatae Mariae virginis utero nasci, visitare et renovare hunc dignatus est mundum; qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per immortalia saecula saeculorum, amen. Qua oratione completa, unus de Cardinalibus presbyteris cui prior praeceperit, et de diaconibus similiter unus cui archidiaconus iusserit, Reginam deducant usque ad altare sancti Gregorii, ibique expectet donec dominus Papa cum sua processione exeat.

Completis igitur omnibus supradictis, ministri induant dominum Papam planeta et palleo, et imposita mitra procedat, ordinibus de more praecedentibus; post quem vadat Electus cum supradictis ductoribus suis, quem sequatur uxor eius usque ad arcam beati Petri. Tunc primicerius cantat introitum cum schola, et kyrie eleison, et silet. Dominus Papa ascendit ad altare, et post confessionem dat pacem diaconibus et incensat; post incensum ascendit ad sedem. Electus vero inter haec et uxor eius prosternuntur ante arcam beati Petri, et archidiaconus facit litaniam. Qua finita, exuitur solo pluviali dimisso. Episcopus ostiensis ungat brachium dextrum de oleo exorcizato et inter scapulas, et dicat. *Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas et dignitas, te supplici devotione atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo prosperum imperanti dignitatis concedas effectum, ut in tua dispositiono constituto ad regendam ecclesiam tuam nihil ei praesentia officiant, futuraque non obsistant, sed inspirante sancti Spiritus tui dono populum sibi subditum aequo iustitiae libramine regere valeat, et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique iugiter placere contendat. Per Dominum etc.* Sequitur oratio. *Deus Dei*

filius Iesus Christus, qui a Patre oleo exultationis unctus est prae participibus suis, ipse per praesentem sacri unguiminis infusionem Spritus paracliti super caput tuum fundat benedictionem; eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatinus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno iustis moderaminibus executo, aeternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit et gloriatur cum Deo Patre in unitate eiusdem Spiritus sancti.

Post regis unctionem sequitur benedictio Reginae ante altare. *Deus qui solus habes immortalitatem lucemque habitas inaccessibilem, cuius prudentia in sui dispositione non fallitur; qui fecisti quae futura sunt, et vocas ea quae non sunt; qui superbos aequo moderamine de principatu eicis, atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Esther reginam Israël causa salutis de captivitatis suae compede solutam, ad regis assumi thalamum regnique sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam ·N· humilitatis nostrae benedictione, christianae plebis gratia salutis, ad dignam sublimemque Regis nostri copulam regnique sui participium misericorditer transire concedas, et ut regali foedere coniugii semper maneat pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibi Deo vivo et vero in omnibus et super omnia iugiter placere desideret, et te inspirante, quae tibi placita sunt toto corde perficiat. Per dominum nostrum Iesum Christum. Sacri unctio olei in pectore Reginae Spiritus sancti gratia humilitatis nostrae officio copiosa descendat; ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali oblita pinguescis exterius, ita eius invisibili unguimine delibuta, impinguari merearis interius; eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas seu valeas, et utilia animae tuae iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante domino nostro Christo, qui cum Patre et eodem Spritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum, amen.* Post hae dominus Papa descendit a sede, et vadit ad altare sancti Mauricii, sequente Electo et Regina; et domino

Papa stante super limen in iotroitu altaris, Electus stet ante eum in medio rotae; ad cuius dexteram stet Regina, sex episcopis palatii lateranensis in rotis quae ibi positae sunt circumstantibus, septimo in officio altaris domino. Papae serviente. Tunc oblationarius (1) prior et secundus sumant coronas Electi et Reginae de altari sancti Petri, et ponant super altare sancti Mauricii. Tunc dominus Papa det anulum Electo et dicat. *Accipe anulum, signaculum videlicet sanctae fidei, soliditatem regni, augmentum potentiae, per quem scias triumphali potentia hostes repellere, haereses destruere, subditos coadunare, et catholicae fidei perseverabilitati connecti. Per etc.* Oratio post anulum datum. *Deus cuius est omnis potestas et dignitas, da famulo tuo prosperum suae dignitatis effectum, in qua te remunerante permaneat, semperque teneat, tibique iugiter placere contendat. Per* etc. Hic cingit eum gladio, et dicit. *Accipe gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus sancti resistere et eicere omnes inimicos tuos valeas, et cunctos sanctae Dei ecclesiae adversarios, regnumque tibi commissum tutari, atque protegere castra Dei, per auxilium invictissimi triumphatoris domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat in saecula saeculorum, amen.* Oratio post gladium. *Deus qui providentia tua caelestia simul et terrena moderaris, propitiare christianissimo Regi nostro, ut omnis hostium suorum fortitudo virtute gladii spirituali frangatur, atque illo pugnante penitus conteratur.* Hic coronetur. Tunc archidiaconus accipiat coronam de altari sancti Mauricii, et porrigat domino Papae, quam cum dominus Papa posuerit super caput Electi, dicat hanc orationem. *Accipe signum gloriae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et spreto antiquo hoste spretisque contagiis omnium vitiorum, sic iudicium et iustitiam diligas, et ita misericorditer vivas, ut ab ipso domino nostro Iesu Christo in consortio sanctorum aeterni regni coronam percipias. Qui cum Patre* etc. Impositio coronae super caput Reginae, quam cum imponit domi-

(1) In margine: *secundum antiquam consuetudinem loquitur.*

nus Papa super caput eius, imponant manus septem episcopi, et dicat dominus Papa alta voce. *Accipe coronnm regalis excellentiae, quae licet ab indignis, episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. Unde velut haec exterius auro est et gemmis redimita, ita tu interius auro sapientiae virtutumque gemmis decorari contendas; quatinus post occasum huius saeculi cum prudentibus virginibus sponso perenni domino nostro Iesu Christo digne ut laudabiliter occurras, ianuamque caelestis regni cum eodem ingredi merearis, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita saecula saeculorum, amen.* Hic det dominus Papa sceptrum imperii et dicat. *Accipe sceptrum regiae potestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis, qua te ipsum bene regas, sanctam ecclesiam populumque christianum tibi a Deo commissum regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos pacifices, et ut viam rectam tenere possint, tuo iuvamine dirigas, quatinus de temporali regno ad aeternum pervenias, ipso adiuvante cuius regnum et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum, amen.* Oratio post datum sceptrum. *Omnium Domine fons bonorum, cunctorumque Deus institutor profectuum, tribue quaesumus famulo tuo ·N· adeptam bene regere dignitatem, et a te sibi praestitum honorem corroborare dignare; honorifica eum prae cunctis regibus terrae, uberi eum benedictione locupleta, et in solio regni firma stabilitnte consolida. Visita eum in sobole, praesta ei prolixitatem vitae, in diebus eius semper oriatur iustitia, ut cum iucunditate et laetitia aeterno glorietur in regno. Per Dominum* etc. Post haec dominus Papa cum suis ministris ad altare beati Petri revertitur. Tunc praefectus urbis et primicerius iudicum deducant Imperatorem, Imperatricem vero praefectus stabuli et secundicerius iudicum. Quibus in locis suis iam stantibus, dominus Papa incipit *gloria in excelsis Deo*. Et schola respondet. Deinde dicit hanc orationem *Deus regnorum omnium* etc. Qua finita, archidiaconus cum ceteris palatii diaconibus, et primicerio et subdiaconis inter crucem et altare incipit has laudes *Exaudi Christe*. Schola tunc cum notariis in choro respondet: *domino nostro ·N· a Deo decreto*

summmo Pontifici et universali Papae vita. Et hoc ter. Iterum dicit archidiaconus cum cantantibus simul. *Exaudi Christe.* Et schola cum notariis respondet: *domino nostro a Deo coronato magno et pacifico Imperatori vita et victoria*; tribus vicibus *exaudi Christe. Dominae nostrae ·N· eius coniugi excellentissimae Imperatrici vita*; tribus vicibus item *exaudi Christe* respondetur. *Exercitui Romanorum teutonico vita et victoria*; tribus vicibus item. *Salvator mundi.* Respondetur: *tu illos adiuva*; ter item. *Sancte Michaël.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Gabriel.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Raphaël.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Petre.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Paule.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Iohannes.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Gregori.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Maurici.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Sancte Mercuri.* R. *tu illos adiuva*; ter. *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* Respondent alii similiter ter. *Spes nostra.* R. *Christus vincit. Salus nostra.* R. *Christus vincit. Victoria nostra.* R. *Christus vincit. Honor noster.* R. *Christus vincit. Murus noster inexpugnabilis.* R. *Christus vincit. Laus nostra.* R. *Christus vincit. Triumphus noster.* R. *Christus vincit. Principi laus honor et imperio per immortalia saecula saeculorum, amen.* Hac laude finita, legitur epistola, et cantatur graduale et alleluia. Post quem Imperator et Imperatrix deponunt coronas. Tunc legitur evangelium. Post quod Imperator deponit gladium, et ascendit ad sedem domini Papae, Imperatrice sequente, et offert domino Papae panem simul et cereos et aurum. Singillatim vero Imperator vinum, Imperatrix aquam, de quibus debet ea die fieri sacrificium. Quibus finitis, revertuntur ad loca sua. Cum autem praefatio incipit, Imperator extrahit pluviale, et induitur manto proprio. Cum dicitur *pax Domini*, ascendit ad communicandum indutus proprio manto, et Imperatrix cum eo. Et accepta communione iterum redeunt ad loca sua. Finita vero missa, accedat ad Imperatorem comes palatii, et discalciet eum sandaliis et caligis, et calciat eum ocreas imperiales, et calcaria sancti Mauricii, et acceptis coronis sequantur dominum Papam pergentem ad equitandum, deducti usque ad equos a supradictis ductoribus.

Cum dominus Papa venerit ad equum, Imperator teneat stapham (1), et coronetur, et intret in processionem. Imperator cum suis ductoribus eum sequatur. Imperatrix vero cum ductoribus suis sequatur Imperatorem. Ceteri barones sequantur. Clerici urbis omnes sicut soliti sunt laudes faciant per loca sua. Iudaei similiter in loco suo. Coronetur civitas, campanae sonent omnes. Camerarii imperatoris praecedant, et sequantur nummos proicientes, et equitantium iter non impediatur. Cumque pervenerint ad ascensorium, prior Cardinalium sancti Laurentii foras muros incipit laudes sicut mos est, et ceteri respondent. Quibus finitis, Imperator descendit, et tenent stapham domino Papa descendente, deposita prius corona. Deinde ducitur dominus Papa ab Imperatore et praefecto urbis usque ad cameram maioris palatii, ut inde separentur. Imperatrix vero deducitur a primicerio et secundicerio iudicum usque ad cameram Iuliae imperatricis, in qua ipsa comedere debet cum episcopis et ceteris baronibus suis. Camerarii Imperatoris cum camerario domini Papae dent presbyterium omnibus ordinibus sacri palatii, Pontifice et Imperatore in camera pausantibus. Quo peracto comedat Imperator ad dexteram domini Papae, ceteris in locis suis sedentibus. Finito prandio, surgat unus ex diaconibus quem archidiaconus iusserit, et legat lectionem; qua perlecta, surgant cantores et cantent quod soliti sunt. Finito cantu, surgant omnes cum benedictionibus. Dominus Papa redeat ad cameram suam, Imperator ad cameram Iuliae.

Electus descendens de Monte-gaudii (2), et veniens ad Ponticellum, iurat hoc sacramentum Romanis. *Ego ·N· futurus imperator iuro me servaturum Romanis bonas consue-*

(1) Ita pie se gerere voluit etiam Federicus III. imp., sed Paulus II. pontifex modeste recusavit. Apud Mabill. mus. ital. T. I. p. 267.

(2) Apud eundem Cincii codicem f. 145. in iuramento Principum Alamanniae legitur: *dominus Papa misit obviam imperatori in Montem-gaudii, qui et Mons-malus dicitur, signiferos cum bandis* etc. Et mox: *duo iuxta priorum Imperatorum consuetudinem iuramenta, unum iuxta Ponticellum, alterum ante portam porticus Romanorum populo fecit Imperator.*

tudines, et firmo chartas tertii generis et libelli sine fraude et malo ingenio. Sic Deus me adiuvet et haec sancta evangelia. Et ad portam Collinam similiter iurare debet; in gradibus sancti Petri similiter.

IUSIURANDUM FEDERICI II. IMPERATORIS.

Ex eodem Cincii camerarii codice fol. 161. *placet heic exscribere formulam iurisiurandi quod Federicus II. Imperator Honorio III. Papae obtulit per diploma anno* 1219, *quod deinde altero diplomate anno* 1221. *confirmavit. Deest enim hoc monumentum inter illa quae Card. Borgia collegit in hist. domin. temp. Sedis ap. in utraque Sicilia. Est autem diploma multo certissimum, siquidem utrumque hoc Federici iusiurandum diserte commemorat Innocentius IV. PP. in bulla damnationis eiusdem Imperatoris, edita in concilio lugdun. apud Labb. Concil. T. XI. part. I. p.* 640.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, amen. Ego Federicus secundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Siciliae, tibi domino meo sanctissimo et patri karissimo Honorio Papae tertio tuisque Successoribus et Ecclesiae romanae, praesentibus subscriptis principibus imperii et nobilibus, spondeo, polliceor, promitto, et iuro, quod omnes possessiones, honores, et iura romanae Ecclesiae pro posse meo bona fide protegam et servabo. Possessiones autem quas Ecclesia romana recuperavit, liberas et quietas sibi dimittam, et ipsam ad eas retinendas bona fide iuvabo. Quas autem nondum recuperavit, adiutor ero ad recuperandum, et recuperatarum secundum posse meum ero sine fraude defensor; et quaecumque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quae est a Radicofano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennae, Pentapolis, Marchia anconitana, Ducatus spoletanus, Terra comitissae Mathildis, Comitatus Brutenorii cum adiacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Lodoici. Has omnes pro posse meo restituam, et quiete di-

mittam, cum omni iurisdictione districtu et honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiae ab apostolica sede vocatus accessero, de mandato summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adiutor etiam ero ad retinendum et defendendum Ecclesiae romanae regnum Siciliae. Tibi etiam domino meo Honorio Papae et Successoribus tuis omnem obedientiam et honorificentiam exhibebo, quam devoti et catholici Imperatores consueverunt sedi apostolicae exhibere. Et si propter negotium meum romanam ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei sicut necessitas postulaverit in expensis Omnia vero supradicta tam iuramento quam scripto firmabo cum imperii fuero coronam adeptus. Principes autem imperii et nobiles, coram quibus iuravi, hii sunt: Henricus argentinus episcopos, Henricus basiliensis episcopus, abbas sancti Galli, Hugo abbas morbacensis, Gulfradus abbas de Wieziburc, Tibaldus dux Lotharingiae, comes Egeno de Urahc, comes Lodowicus de Wirtibere, comes Everardus de Helfinsten, Henricus de Niffen, et quam plures alii. Actum apud Hagenowem anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense septembri, indictione octava.

Mox fol. 162. idem diploma repetitur, diversis tamen initio et clausula, prout heic subteximus; nam brevis cuiusdam periochae in medio omissio, librarii incuria accidit.

Federicus divina favente clementia Romanorum imperator augustus et rex Siciliae. Per praesens scriptum notum facimus tam praesentibus quam futuris, quod nobis existentibus anno praeterito in mense septembri octavae indictionis apud Hagenowem fieri fecimus quoddam scriptum ad mandatum karissimi in Christo patris domini nostri sanctae romanae Ecclesiae summi Pontificis, et nuntiorum eius, quod continebat: in nomine sanctae *etc. ut supra*. Nos autem prae oculis habentes dilectionis et gratiae puritatem, quam praedictus pater noster summus Pontifex in nostra promotione laudabiliter dinoscitur habuisse, et quod de bono in melius ad exaltatio-

nem nostram intendit, scriptum ipsum sicut continetur superius confirmamus et volumus ab omnibus observari. Et ad maiorem securitatem praesens scriptum fieri fecimus, bulla aurea typario nostrae maiestatis impressa formatum. Datum Capuae post curiam sollempniter celebratam, anno dominicae incarnationis millesimo ·CC· vigesimo primo, mense ianuario, indictione nona, et anno imperii nostri primo, feliciter. Amen.

CXXXVIIII. BENEDICTUS ·V·

Benedictus quintus coepit anno Domini ·DCCCC·LXI·, in quadam vero chronica dicitur ·LXIII· Sedit mensibus ·II· Vacavit sedes diebus ·XX· Hic vivente Leone papa a Romanis pontifex eligitur; propter quod imperator Otho primus cum Romam obsedisset, traditur Benedictus a Romanis imperatori qui ipsum deposuit; et Leone restituto in papatum, Benedictus exul in Saxoniam mittitur, ibique moritur, et in Hamburch sepelitur. In quadam vero chronica dicitur quod in carcere strangulatus sit ab Othone imperatore.

CXL. LEO ·VIII·

Leo octavus coepit anno Domini ·DCCCC·LXII·, in quadam vero chronica dicitur ·LXV· Sedit anno ·I·, mensibus ·IIII· Vacavit sedes diebus ·VII· Hic Leo papa propter Romanorum malitiam qui suos intrudebant, statuit ut nullus Papa fieret nisi de assensu imperatoris. Hic (1) etiam Leo papa donationes factas a Iustiniano imperatore, Ariperto rege, et Pipino, et Karolo, ecclesiae romanae in regno Italiae, Othoni imperatori remisit eiusque successoribus, ita ut regnum italicum

(1) In codicis margine adnotatur, sequentia sumi ex chronica Sicardi.

ab invasoribus liberarent, ac perpetuo tuerentur (1). Idem Othonem filium Othonis coronavit.

CXLI. IOHANNES ·XIII·

Iohannes decimus tertius natione narniensis coepit anno Domini ·dcccc·lxiii, vel ut in alia chronica ·lxiii· Sedit annis ·vii·, mensibus ·xi·, diebus ·xv· Vacavit sedes diebus ·xiii· Hic a Petro urbis Romae praefecto comprehensus est, et in castellum sancti Angeli detrusus, deinde in Campaniam exul missus. Sed expletis mensibus ·ix· cum diebus ·xxviii· reversus est Romam, et de persecutoribus eius ab Othone imperatore supplicium sumptum fuit. Nam nobiles urbis quos culpabiles invenit, alios trucidavit, alios laqueo suspendit, quam plures vero in exilium ad Saxoniae vel Sardiniae partes transmisit.

CXLII. BENEDICTUS ·VI·

Benedictus sextus natione romanus coepit annò Domini ·dcccc·lxxii·, sed in quadam chronica dicitur ·lxvii· Sedit anno ·i·, mensibus ·vi· Vacavit sedes diebus ·x· Hic captus, et in castellum sancti Angeli retrusus, strangulatus est a Cincio Theodorae filio.

CXLIII. DOMNUS.

Dominus, qui in alia chronica scribitur Domnus, coepit anno Domini ·dcccc·lxxiii·, vel ut alia chronica

(1) Neque Leo ·viii· legitimus papa fuit, neque haec bonorum Ecclesiae romanae concessio imperatori veritate ulla nititur, ut iam demonstrarunt viri summi apud Sandinium, quorum est princeps Baronius ad annum ·dcccc·lxiv.

·LXIX· Sedit anno ·I·, mensibus ·VI· Vacavit sedes diebus ·X· Otho primus huius nominis imperator cum ·XXXVI· annis tam apud Teutonicos quam apud Romanos imperasset, moritur; cui secundus Otho filius eius successit anno Domini ·DCCCC LXXIII·, imperavitque annis ·X·

CXLIIII. BONIFACIUS ·VII·

Bonifacius septimus coepit anno Domini ·DCCCC·LXXV·, in quadam vero chronica scribitur ·LXXI· Sedit anno ·I·, mense ·I·, diebus ·XII· Vacavit sedes diebus ·XX· Hunc Romani, strangulato Benedicto sexto, Papam fecerunt. Qui postea non valens in urbe subsistere, depraedatis sancti Petri omnibus pretiosis fugit Constantinopolim. Tandem Romam cum magna pecunia reversus, cum proficere non posset, Iohanni diacono Cardinali oculos eruit; et ipse deinde subito extinctus est (1).

CXLV. BENEDICTUS ·VII·

Benedictus septimus natione romanus coepit anno Domini ·DCCCC·LXXV· vel ·LXXVI·, in quadam vero chronica dicitur ·LXXIII· Sedit annis ·IX·, mensibus ·VI· Vacavit sedes diebus ·V· Anno Domini ·DCCCC·LXXV· rex Anglorum Eduardus a noverca sua ut dicunt dolo occisus martyrii palma a Deo donari promeruit. Per idem tempus Otho imperator et Lotharius rex Francorum convenientes super Carum fluvium pacificantur datis invicem sacramentis, et Lotharius Lotharingiam abiurat.

(1) Crudelem hunc et praedonem Bonifacium fuisse antipapam, exploratum est.

CXLVI. IOHANNES ·XIIII·

Iohannes decimus quartus coepit an. Domini ·dcccc·lxxxiii·, in alia chronica dicitur ·lxxxiii· Sedit mensibus ·ix· Vacavit sedes diebus ·x· Hic in castello sancti Angeli clausus per quatuor menses fame afflictus moritur, et sepelitur in Vaticano. Otho secundus imperator moritur Romae, cuius filius Otho tertius adhuc puerulus in regnum a principibus sublimatur anno Domini ·dcccc·lxxxiiii·, qui imperavit annis ·xix·

CXLVII. IOHANNES ·XV·

Iohannes decimus quintus natione romanus coepit anno Domini ·dcccc·lxxxiiii· Sedit mensibus ·iiii· Vacavit sedes die uno.

CXLVIII. IOHANNES ·XVI·

Iohannes decimus sextus natione romanus coepit anno Domini ·dcccc·lxxxv· Sedit annis ·x·, mensibus ·vii·, diebus ·x· Hic fuit in omnibus * cruditissimus, et multos libros composuit. Hunc Crescentius patricius urbis in tantum coepit persequi, ut ipsum oportuerit urbem relinquere et in Tusciam migrare. Qui cum nuntios ad imperatorem misisset, a Crescentio hoc percipiente revocatus est ad urbem, et ipse cum senatu ad pedes Papae veniam postulavit. Sicque Papa facta pace Romae defunctus est. Anno tertio Othonis imperatoris Lotharius rex Francorum moritur; post quem Ludovicus filius eius biennio regnat. Hunc Hugo dux Francorum, filius Hugonis comitis parisiensis ex Aygunde sorore Othonis primi imperatoris, persequi coepit, et

* *cod.* armis.

tandem eo superato et defuncto regnum adipiscitur. Porro Ludovico voluit succedere Karolus frater Lotharii regis et patruus huius Ludovici, utpote cui ex paterna et avita successione regnum debebatur. Contra Hugonem itaque regni usurpatorem insurgit, eumque bello perurgens Laudunum urbem capit. Mox Hugo Lauduni eum obsidet; sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes obsidentium castra incendunt, et ipse rex Hugo plurimis suorum peremptis turpiter fugiens vix evasit.

Post hoc idem Karolus Montem acutum expugnat; Suessionem usque vastandu accedit; inde Remos aggreditur, et Laudunum cum multa praeda revertitur. Post hoc ipsam urbem Remorum occupat, Aripertum quem Hugo praefecerat, et quosdam primates capit, et Lauduni relegat. Cernens igitur Hugo quod vincere non posset Karolum, consilium habuit cum Anselmo proditore vetulo, qui episcopus laudunensis et consiliarius Karoli erat; isque noctu cunctis quiescentibus Hugoni duci Francorum Karolum tradidit, qui vinctus cum uxore sua ductus est Aurelianos carceris custodiae mancipandus, et quidem resistente Hugone nondum fuerat inunctus iu regem. Dum manet autem Karolus in turri Aurelianis, genuit illi uxor sua duos filios Ludovicum et Karolum, et duas filias Eymengardem et Gerbertam, et post hoc mortuus est. Eodem anno rex inunctus est Hugo Remis, non tamen regni diadematc usus, et in ipso anno Robertus filius eius regnum piissimus, de quo inferius prolixius prosequemur.

Hic deficit progenies Karoli magni in regno Francorum. Obiit autem Karolus anno octavo Othonis imperatoris tertii, anno Domini ·DCCCCXCI· Successit autem Karolo Otho filius eius in ducatu Lothariensi.

Porro filiae eius nupserunt duobus comitibus in regno Lotharingiae, Eymengardis quidem Auberto comiti nannetensi, Gerberta vero Henrico comiti de Durbatero. De progenie Eymengardis processit Baldoinus comes nannetensis, cuius filiam Elisabeth Philippus rex Francorum duxit uxorem, ex qua genuit Ludovicum qui capta Avinione civitate Provinciae, per Arverniam in Franciam rediens apud Monpansier obdormivit in Christo, sicut infra liquebit; cuius filius Ludovicus christianissimus, et tandem confessor Domini gloriosus sanctorum catalogo adscriptus, regni moderamina suscipiens feliciter gubernavit, sicut inferius dicetur; in quo constat per iam dictam seriem regnum Franciae ad progeniem Karoli magni fuisse reductum.

EPILOGUS BREVIS PRAEMISSORUM, DE ORIGINE REGNI FRANCORUM.

Franci origine troiani, adhuc pagano ritui dediti, regnum suum sicut in praesentiarum cernitur in Gallias transtulerunt, quae nunc ab eis Francia nominatur, sicut superius dictum est, et in gestis Francorum plenius continetur. Anno dominicae incarnationis ·cccclxxxiii· Childerico rege Francorum mortuo qui Treviros cepit, Chlodoveus filius eius ex regina Bassina, regnum fortiter tenuit et ampliavit. Nam Alamanniam sub tributum redegit, rege Alamannorum perempto; Aegidium ducem Normannorum qui Suessione regnabat occidit; Gudebaldum regem Burgundionum devicit; Alaricum regem Gothorum qui Tolosae regnabat peremit, sicque Neustriam, Austrasiam, Burgundiam, Alamanniam, Provinciam, Franciam, Burgundiam, Vasconiam usque ad Pyrenaeos montes,

qui Franciam et Hispaniam dividunt, suo imperio subiugavit. Hic a sancto Remigio cum sibi subiectis baptizatus, ab Anastasio imperatore coronam auream cum gemmis, et tunicam bracteam codicellosque de consulatu accepit. Hic quadam die bellaturus sancto Martino equum suum vovit si vinceret. Et cum semel, secundo, tertio, quarto, et quinto misisset, nec equus se movere posset, dixit: hic Martinus bonus est in auxilio, sed carus in negotio. Huius progenies feliciter regnavit usque ad annum ·D·CCLI·, excepto quod per ·LXXXVIII· annos a tempore Chlotarii et sanctae Bathildis reginae, regibus a solita fortitudine degenerantibus, regnum per maiores domus disponebatur. Unde factum est ut Pipinus filius Karoli Martelli, pater Karoli magni, ex maiore domus inungeretur per Stephanum secundum papam, ut supra dictum est; qui papa ipsum et successores in regno perpetuo benedixit, et omnem alienigenam ab invasione regni apostolica auctoritate interdixit. Regnavit autem eorumdem progenies usque ad annum Domini ·D·CCCC·LXXXV·

Tunc Hugo Capetius comes parisiensis dux Francorum contra dominum suum et consobrinum Lothariugiae ducem iniuste regnum invasit contra praeceptum Papae qui invasores anathematizavit. Sed quia scriptura (*Dan. II.* 21.) de Deo dicit quia ipse immutat tempora, et transfert regna, hoc eius iudicio relinquamus. Anno igitur Domini ·D·CCCC·LXXXV· translatum est regnum Francorum a progenie Karlensium in genealogiam Comitum parisiensium, quorum primus regnavit Hugo cognomento Capetius, ex Aygunde sorore Othonis primi imperatoris. Hic fuit filius Hugonis magni, cuius pater fuit Robertus frater Odonis regis, qui ambo cognati fuerunt contra Karolum sim-

plicem, quorum Robertum Karolus in bello suessionensi occidit. Hi duo Oddo et Robertus fratres, filii fuerunt Roberti fortis marchionis comitis andegavensis de genere Saxonum a Normannis occisi, ut supra dictum est. Habuit Otho imperator, filius Henrici imperatoris, duas sorores, unam Gebertam quae fuit uxor Ludovici regis Francorum, et genuit duos Karolos. Primus fuit successor Ludovici patris in regno. Secundus Karolus de quo nunc agitur, fuit dux Lotharingiae, cui regnum debebatur ex successione, quod Hugo, de quo est sermo, invasit. Secunda soror Othonis Aygundis uxor fuit Hugonis Parisiorum comitis, qui factus dux Francorum sub Lothario rege genuit istum Hugonem ex eadem.

In gestis sanctorum Richerii et Galerii legitur quod corpora eorum in Flandriam ad ecclesiam beati Bertini in castro sancti Audomari, tunc valde munito metu Normannorum et Danorum, translata fuerunt. Normannis vero conversis tempore Karoli simplicis, corpora sanctorum ad diversa loca timore translata, ad suas ecclesias reducuntur. Cum autem monachi corpora sanctorum Richerii et Galerii repeterent, et monachi sancti Bertini auxilio et potentia fulti Arnulphi comitis flandrensis ea reddere nollent, sanctus Galerius in sompnis apparens comiti parisiensi commisit, ut Arnulpho diceret, quod eorum corpora remitteret. Sed cum comes parisiensis id Arnulpho intimasset, Arnulphus id facere superbo animo recusavit. Tandem vero Hugo comes parisiensis minatus fuit Arnulpho; sicque metu Hugonis comes flandrensis corpora sanctorum Richerii et Galerii in thecis auro et argento decoratis ad Monasteriolum castrum regis Franciae remisit; ille verum unumquodque suo monasterio resi-

gnavit. Nocte vero sequenti sanctus Galerius in somnis apparens Hugoni comiti dixit: quod studiose egisti quae praecepta sunt tibi, tu et successores tui regnabitis in regno Francorum usque ad sempiternam generationem. Alia littera habet usque ad septimam generationem. In septima enim generatione, ut supra patet et infra patebit, per matrimonium Elisabeth filiae Baldoini comitis flandrensis de progenie Karoli descendentis, et regis Philippi, qui de genere Hugonis descenderat, regnum Franciae ad progeniem Karoli est reductum, et illa progenies mixtim regnat. In hac relatione patenter ostenditur, regni translationem factam esse per Domini voluntatem. Hugo vero praedictus ordinavit filium suum Robertum ut regnaret post se in regno Francorum.

Per idem tempus sanctus Adalbertus, natione boëmus, primus episcopus pragensis, revelante Deo in Pannoniam veniens sanctum Stephanum primum regem Hungarorum cum multis baptizavit (1). Deinde

(1) *Hoc loco, ubi hungarici regis ad christianam fidem conversio scribitur, placet diploma attexere, ex Cincio camerario f. 168. b. et iterum f. 170. a. sumptum, quod etsi ad posteriora tempora pertinet, attamen hungaricorum regum religiosam pietatem valde commendat. Nimirum est Belae III. regis, diciturque datum anno 1169. Utique in fastis Bela regnum vulgo exorditur anno 1174; quia tamen Belae aemulus Stephanus iunior post pugnam anno 1168. patratam regnum amiserat, idcirco fieri potest, ut ex eo tempore Bela hic regni sui annos numerare coeperit.*

Privilegium regis Belae super libertate ecclesiarum Hungariae.

Bela Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramiae Laudemiaeque eadem gratia Strigoniensi ·Cl· Colocensi archiepiscopis, atque aliis omnibus eorum suffraganeis, praepositis quoque

ad Polonos et Boëmos transiens, eos in fide confirmavit. Et post Prussiam ingreditur, ubi fidem praedicando martyrio coronatur. In quadam vero chronica dicitur anno Domini ·DCCCC·LXXXV· Post hos dies Hugo Arnulphum filium Lotharii regis Francorum ex concubina, archiepiscopum remensem deponi fecit per synodum totius Franciae ibidem congregatam, eo quod

universis regalibus, nec non omnibus ecclesiasticis personis in praedictis archiepiscopatibus constitutis, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Iustum et rationi consentaneum omnimodis dinoscitur, ac sanctarum scripturarum testimoniis comprobatur, ut qui regiae celsitudinis culmen ab aeterno rege merentur accipere, iis quae od ecclesiae Dei et profectum christianitatis noscuntur in aliquo pertinere, tanto teneantur provida sollicitudine et cautela intendere, quanto pro honore a divina dispositione sibi collato debent suo creatori uberiorem devotionem prae ceteris exhibere. Quapropter propria ratione inducti, et saluberrimis exhortationibus ·M· venerabilis sanctae romanae ecclesiae diaconi Cardinalis, propensius attentiusque commoti, devotionem quoque venerandae memoriae regis Geisae patris nostri, quam circa sanctam romanam ecclesiam, et sanctissimum patrem nostrum dominum Alexandrum summum Pontificem studuit per omnio exhibere, modis quibus possumus imitari valentes, institutionem super depositione et transmutatione episcoporum, qua in se et in suis posteris domino Papae Alexandro et suis successoribus noscitur concessisse, videlicet ut absque auctoritatis eius consilio vel successorum suorum, depositionem seu translationem episcoporum non faceret vel fieri permitteret, confirmamus, et tam in nobis quam in posteris nostris perpetuo inviolabiliter duraturam censemus. Praeterea antecessorum consuetudinem retro temporibus habitam relinquentes in nostris posteris immobili firmitate valituram, sancimus quod decedentibus in rebus episcopalibus procurotores laicos de cetero non ponemus atque poni nullotenus permittemus; sed honestos clericos qui non ad voluntatem sed ad necessitatem victus de ipsarum ecclesiarum rebus moderate accipiant, ibidem instituemus; quod reliqua omnia bona fide et sine fraude aliqua ad reaedificationem ipsarum ecclesiarum et domorum episcopalium seu canonicorum,

esset inlegitimus, et Gerbertum monachum philosophum, fecit substitui, eo quod Roberti filii sui erat praeceptor, et multis scientiis praepolleret. Romanus vero pontifex Leonem abbatem misit, qui vice apostolica coacto Remis concilio, Gerbertum deposuit, et Arnulphum restituit suae sedi. Gerbertus itaque ad

ad usus quoque pauperum, viduarum, et orphanorum fideliter debeant observari. Nos vero vel posteri nostri nihil umquam de eisdem rebus ulterius in usus proprios redigemus; nisi forte, quod absit, hostes regni manu valida fines ipsius regni intraverint, vel aliqua alia urgentissima necessitas postulaverit; et tunc quoque id sine consilio episcoporum non faciemus. Addimus etiam et robore inconcusso tam in nobis quam in posteris nostris perpetuo observandum statuimus, quod regales praepositi vel abbates de suis praeposituris vel abbatiis seu dignitatibus non a modo deponerentur; in hac parte consuetudini nostrae antiquae per nos et posteros nostros renuntiantes, nisi forte infausto casu contingat eos super certo crimine canonico ordine convinci vel crimen suum publice confiteri. Ad hoc ·Ch· Colocensis archiepiscopus, omnea episcopi electi, regales praepositi et abbates magnificentiam et libertatem, quam pro reverentia beati Petri et sanctissimi patris nostri papae Alexandri, nec non et ·M· venerabilis diaconi Cardinalis apostolicae sedis legati sibi concessimus attendentes, pravam suam consuetudinem et omnibus canonibus obviantem, quae in instituendis et destituendis praepositis aliis dignitatibus, et ecclesiasticis beneficiis subtrahendis hactenus exercebant, in manus dicti Cardinalis penitus reliquerunt; unde cum consensu et libera omnium voluntate decrevimus et inviolabiliter praesenti privilegio valituro perpetuo atsbilimus, quod nulli archiepiscoporum, episcoporum, vel praepositorum, abbatum, deinceps licentia pateat de praeposituris suis praepositos removere, vel alias ecclesiasticas personas suis dignitatibus aut ecclesiasticis beneficiis privare, nisi forte fuerint convicti canonice vel confessi. Haec autem de consilio gloriosae Reginae matris nostrae, et archiepiscoporum, episcoporum, et omnium electorum praepositorum regalium atque abbatum, comitum, omnium procerum, et aliorum principum stabilita ac firmiter corroborata noscuntur. Actum anno dominicae incarnationis .MC.LXVIIII.

Othonem, quem etiam erudierat, confugit, qui eum primo fecit archiepiscopum Ravennae, et postea Papam, ut infra videbitur.

Anno Othonis imperatoris decimo, sanctus Dunstanus cantuariensis archiepiscopus, cuius vita virtutibus et miraculis extitit gloriosa, migrat. Huius tempore status ecclesiae anglicanae valde convaluit, et in sanctae religionis excrevit augmentum. Siquidem eius industria monasticus ordo refloruit. Quippe plura coenobia diruta reparata sunt, et nova constructa. Anno Othonis nono, sanctus Maiolus cluniacensis apud Silviniacum Arverniae obiit, ubi et corpus eius quiescit. Post quem Odilo praeficitur, qui Cluniacum ·LVI· annis rexit miro religionis fervore, et inter cetera pietatis opera miraculis in vita claruit; qui dicere consuevit cum reprehenderetur quod in peccantes plus iusto esset misericors, si dampnandus sum, inquit, malo dampnari de misericordia quam de duritia.

CXLVIII. GREGORIUS ·V·

Gregorius quintus natione saxo, ex patre Othone, coepit anno Domini ·DCCCCXCVI· Sedit annis ·II·, mensibus ·V· Vacavit sedes diebus ·XV· Hic dictus prius Bruno, ad instantiam Othonis tertii imperatoris, cum esset consanguineus eius, in Papam est electus. Sed post modicum Crescentius consul urbis placentinum episcopum venientem de legatione Constantinopoli, propter pecuniam quam gerebat, intrusit. Sed hoc factum imperator graviter vindicavit. In chronica Martini scribitur quod hic Gregorius Othonem tertium Romam venientem coronavit in imperatorem; qui Otho rediens, ut in chronica Martini dicitur, de Apulia per Beneventum, corpus sancti Paulini episcopi secum tulit.

CL. IOHANNES ·XVII·

Iohannes decimus septimus natione graecus, placentinus episcopus, coepit anno Domini ·dcccc·ix· Sedit mensibus ·x· In alia chronica dicitur mensibus ·v· Vacavit sedes diebus ·xx· Hic per consulem urbis dando pecuniam Gregorio vivente intrusus, post per imperatorem exoculatus fuit, et consul decapitatus.

CLI. SILVESTER ·II·

Silvester secundus natione gallicus coepit anno Domini ·u· Sedit annis ·iiii·, mense ·i·, diebus ·viii·, in alia vero chronica dicitur sedisse annis ·vii· Vacavit sedes diebus ·xxii· Anno Othonis ·xiiii·, Domini ·dcccc·xcvii·, Hugo rex Francorum moritur, conregnante filio suo Roberto piissimo, qui Constantiam filiam Guillelmi comitis arelatensis duxit uxorem, ex qua quatuor filios genuit, Hugonem qui cognominatus est magnus, Henricum, Robertum, et Odonem. Hugo vero apud Compendium a patre coronatus in regem, iuvenis defunctus est.

Hic rex Robertus mansuetus fuit, et mediocriter litteratus, et religionis amator. Nam in praecipuis sollempnitatibus in ecclesia sancti Dionysii capa serica indutus chorum cum cantore regebat, et cum monachis psallebat. Composuit et quosdam ecclesiasticos cantus, et prosam de Spiritu sancto " sancti Spiritus adsit nobis gratia. „ Et in natali Domini responsorium " Iudaea et Hierusalem. „ De martyribus " concede nobis Domine. „ Constantia autem uxor videns eum delectari in istis, iocando dixit: quod etiam de ipsa cantum faceret, unde fecit responsorium " o constantia marty-

rum „ in honorem beati Dionysii et sociorum eius. Hic cum quoddam castrum obsedisset, dimisso exercitu venit Aurelianos ob festum sancti Aniani, et cum chorum regeret, alta voce ter " agnus Dei·„ intonans, et genuflectens, castri muros et turrim dirui impetravit. Fuit in dando largissimus, at Constantia nimis tenax et avara. Et cum rex alicui dabat, dicere consuevit accipienti, vide ne Constantia sciat. Hic plures ecclesias in regno, et praecipue Aurelianis monasterium sancti Aniani, et ecclesiam sanctae Mariae et sancti Hilarii ante palatium construxit; sancti quoque Leodegarii in silva Aquiliana, et sancti Medardi in Vitriaco castro, monasterium sancti Reguli in civitate Silvanectensi, et sanctae Mariae in castro Stampensi, apud Augustudunum monasterium sancti Cassiani, Parisiis monasterium sancti Nicolai in palatio suo, et ecclesiam sanctae Mariae in Pissiaco castello. Regnavit in Francia post mortem patris annis ·xxxiii·

Per hos dies Raynaldus comes senonensis obiit. Hic abbatias sanctae Columbae et sanctae Pharae diu habens sub dominio suo multipliciter adgravavit; etiam abbatiam sanctae Mariae pro viribus destruxit, in cuius territorio castrum firmissime munivit; et aliud in territorio Ferrariensis coenobii castrum condidit, quod nomine suo vocavit. Floruit Fulbertus episcopus carnotensis, prius regis Roberti cancellarius. Hic vita honestissimus, sapientiaque praeclarus, composuit " chorus novae Hierusalem, stirps Iesse, et solem iustitiae „ et plura huiusmodi. Silvester papa Romae lamentabiliter vitam finit, qui cum esset monachus floriacensis coenobii in territorio aurelianensi super Ligerim siti, apud Hispalim in Hispania plura didicit, vocatus primo Gerbertus, ad Galliam rediens plures sollempnes

habuit discipulos, Othonem qui postea fuit imperator, et Robertum regem Franciae, et Lotharium archidiaconum et postmodum archiepiscopum senonensem. Hic Gerbertus prius archiepiscopus remensis, deinde ravennatensis, demum Papa fuit. *Sequitur inepta illa et famigerata narratio de magica Silvestri arte, deque eius paenitentia, et dira sibi morte ab ipsomet paenitente imperata, et denique de eius sepulcro ad Lateranum, quod emisso humore mortem Papae vel alicuius clerici in magna dignitate constituti portendere soleat. Quae fabulae ne pueris quidem iam narrandae videntur.*

CLII. IOHANNES ·XVIII·

Iohannes decimus octavus coepit anno Domini ·M·III· vel ·M·IIII· Sedit mensibus ·V·, in alia chronica dicitur mensibus ·VI·, diebus ·XXV· Vacavit sedes diebus ·XVIII· Hoc tempore quidam religiosus Hierosolymis rediens, in Siciliam cum quodam eremita recluso moram faciens, ab eo se didicisse retulit inter cetera, in illa vicinia esse loca flammas eructantia, quae ollae Vulcaniae ab incolis vocarentur, in quibus animae purgandorum luant diversa pro qualitate meritorum supplicia (1), deputatis ibi daemonibus ad haec exequenda, quorum diras voces et ululatus saepe audisse dicebat plangentium quod animae eriperentur eis per orationes et eleemosynas fidelium, et praecipue Cluniacensium indefesse orantium pro requie defunctorum. Quo Odilo abbas cluniacensis comperto per illum, constituit ut per omnia monasteria sibi subiecta, crastino omnium sanctorum, memoria omnium in Christo quie-

(1) Ex vita S. Odilonis a S. Petro Damiani scripta.

scentium celebretur; qui mos et ritus ad multas ecclesias per gratiam Dei inde pervenit.

Otho tertius imperator moritur. Secundum chronicam Martini post mortem Othonis secundi et tertii cessavit imperium annis ·II· (1) Hoc tempore Hungari per beatum Stephanum regem eorum convertuntur ad Christum. In chronica Vincentii additur, et per sororem Henrici imperatoris nomine Gillam uxorem regis Hungarorum, qui in baptismo vocatus est Stephanus, qui miraculis clarus apud Albam Hungariae in ecclesia beatae Mariae virginis requiescit. Anno Domini ·M·III·, et in chronica Sicardi episcopi cremonensis dicitur ·M·I·, Henricus secundus claudus dux Noricorum, id est Baioariorum, defunctis Othonibus absque heredibus, eligitur a principibus, qui regnavit annis ·XXII· In chronica Martini legitur: licet tres Othones per successionem generis regnaverint, post tamen institutum fuit, quod per officiales imperii imperator eligeretur, et sunt isti videlicet, maguntinensis, trevirensis, coloniensis, marchio brandeburgensis camerarius, palatinus dapifer, Saxoniae dux portitor ensis, pincerna rex boëmus. In chronica Sicardi dicitur quod regnavit annis ·XXIIII·, imperavit annis ·XI·, et permansit regnum vacuum annis duobus. Scribitur in quadam chronica, quod iste cum sponsa sua Radegunde ambo virgines permanentes, in ecclesia bambergensi quam aedificaverant, requiescunt, miraculis coruscantes. Notandum quod iste Henricus in quibusdam chronicis dicitur esse primus, et hoc accidit ex eo quod alius Henricus primus non imperavit apud Romanos, sed solum apud Teutonicos, et ideo non ponitur inter imperatores, sed inter reges in multis

(1) Al. cod. XII.

chronicis. Sed in chronica Vincentii, et in ista, numeratur inter imperatores. Et idem intelligendum est de Conradis.

CLIII. IOHANNES ·XVIIII·

Iohannes decimus nonus romanus, de regione quae vocatur Porta metropolis, coepit anno Domini ·M·III·, in alia chronica dicitur ·M·V· Sedit annis ·V· Vacavit sedes diebus ·XXX· Huius tempore florebat memoratus rex Francorum Robertus, vita et scientia praeclarus.

CLIIII. SERGIUS ·IIII·

Sergius quartus coepit anno Domini ·M·X· Sedit annis ·II·, mensibus ·VII· Vacavit sedes diebus ·VIII· Hic fuit sanctae vitae et castae conversationis. Sepultus est in basilica sancti Petri.

CLV. BENEDICTUS ·VIII·

Benedictus octavus, natione tusculanus, coepit anno Domini ·M·XII· Sedit annis ·XII·, in quadam chronica dicitur sedisse annis ·XI·, diebus ·XXI· Vacavit sedes anno ·I· Anno Henrici imperatoris septimo Hierosolyma a Turcis capta est, et permittente Deo gloriosum sepulcrum Christi possessum ab eis. Iudaei vero multis per orbem locis prae timore baptizantur. Benedictus de papatu eicitur, et alius quidam factus est Papa, unde maximum schisma fuit. Hunc Benedictum, ut Petrus Damianus scribit (1), vidit post mortem quidam episcopus nigro equo quasi corporaliter insidentem; et

(1) In vita S. Odilonis.

cum episcopus quaereret, num ipse esset papa Benedictus defunctus; ego sum, inquit, ille infelix Benedictus. Cui ille: quomodo est tibi, pater? Graviter, inquit, torqueor, sperans tamen de Dei misericordia, si mihi adiutorium praebeatur. Vade, inquiens, ad successorem meum Iohannem, et dic ei ut in tali terra pecuniam accipiens pauperibus distribuat, quia quod ante per me datum est, nihil mihi profuit quia de rapinis fuit; quod episcopus et fideliter explevit, et monasterium intravit episcopatui suo cedens.

CLVI. IOHANNES XX.

Iohannes vigesimus, romanus, ex patre Gregorio, coepit anno Domini ·M·XXIII· Sedit annis ·IX·, mensibus ·IX· Vacavit sedes diebus ·II· Hic habuit bellum cum Romanis. Huius tempore Aymericus sancti Stephani primi regis Hungarorum filius, virgo cum sponsa sua obiit miraculis coruscando. Anno Domini ·M·XXV· Henricus imperator obiit, et Conradus secundus coepit eodem anno, sed in quibusdam chronicis scribitur ·M·XXVI·, imperavitque annis ·XV· In chronica Sicardi dicitur annis ·XVI· In chronica Martini dicitur annis ·XX· Et permansit regnum vacuum annis ·III· Claret hoc tempore in Italia Guido aretinus multi inter musicos nominis; in hoc praeferendus, quod ignotos cantus per eius regulam pueri etiam facilius addiscunt, quam per vocem magistri aut per usum cuiuslibet instrumenti; dum sex litteris vel syllabis appositis modulatim ad sex voces, quas solas musica regulariter recipit, hisque vocibus per digitorum flexuras laevae manus distinctas, per integrum diapason se oculis et auribus ingerunt intensae et remissae elevationis vel dispositionis earundem vocum.

Anno Domini ·M·XXXI·, imperii Conradi septimo, Robertus rex Francorum moritur. Post quem Henricus filius eius regnat in Francia annis ·XXX· Per idem tempus Gaufridus Marcellus comes floruit. Hic comitem pictaviensem et Theobaldum blesensem vicit, et urbem Turonicam pro redemptione eorum accepit, de quo dicitur in metro:

Dum viguit tua dum valuit Marcelle potestas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnavit honestas.

Anno ·XV· imperii Conradi visa est in caelo trabs ignea mirae magnitudinis soli ad occasum vergenti occurrere et in terram cadere. Denique eodem anno imperator Conradus Italiam adiit, et quosdam episcopos in vincula coniecit; et quia mediolanensis fuga elapsus est, suburbia Mediolani incendit. Die vero pentecostes cum imperator in parva ecclesia secus urbem coronaretur ad missam, tanta tonitrua fuerunt et fulgura, ut aliqui mente excederent, et nonnulli animam exhalarent. Bruno vero episcopus qui missam canebat secretarius imperatoris cum aliis tribus dixerint, se inter missarum sollempnia vidisse sanctum Ambrosium comminantem imperatori. Tunc imperator ab Italia discessit, et paulo post obiit anno ·M·XL· Eodem anno Henricus tertius coepit, et imperavit annis ·XVII· Huius tempore sanctus Geraldus episcopus in Hungaria super bigam ligatus de altissimo monte cursu praecipitatus martyrio coronatur.

CLVII. BENEDICTUS ·IX·

Benedictus nonus tusculanus coepit anno Domini ·M·XXXIII· Sedit annis ·XIII·, in quadam chronica dicitur annis ·XIIII· Iste de papatu eicitur; et episcopus s-

binensis fit Papa, qui Silvester vocatus est. Quo etiam eiecto, Benedictus restituitur. Quo rursus eiecto, datus est papatus Iohanni archipresbytero sancti Iohannis, qui Gregorius sextus vocatus est. Hic cum esset rudis litterarum, alterum fecit consecrari secum ad vices ecclesiastici officii. Quod cum multis non placeret, tertius superinducitur, qui solus vices duorum impleret. Sicque iis de papatu altercantibus, Henricus Romam accedit, et omnibus canonica et imperiali censura depositis, Sindigerum bambergensem episcopum substituit, qui Clemens secundus appellatus est, Romanis imperatori promittentibus et iurantibus, se sine ipsius consensu numquam romanum pontificem electuros.

CLVIII. SILVESTER ·III·

Silvester tertius memoratus coepit anno Domini ·M·XLVI· vel ·XLVII· Sedit diebus ·LVI·, in quadam chronica tamen dicitur ·XLVI·

CLVIIII. GREGORIUS ·VI·

Gregorius sextus supra memoratus, qui fuit archipresbyter sancti Iohannis ante portam latinam, coepit anno Domini ·M·XLVII·, in quadam chronica scribitur ·XLVIII· Sedit annis ·II·, mensibus ·VI· Hic, sicut in quadam chronica dicitur, simoniace papatum invasit, et ut dictum est, alium, cum esset rudis litterarum, secum consecrari fecit, propter quod tertio superinducto qui vices amborum suppleret, uno contra duos, et duobus contra unum, de papatu altercantibus, Henricus imperator eos deposuit, et Clementem ·II· qui Sindegerus prius vocatus episcopusque bambergensis

fuit, substituit. In chronica Sicardi dicitur, quod Henricus imperator hunc deposuit; et ultra montes transportavit, et Clementem substituit. Guillelmus tamen in chronicis suis scribit, hunc Gregorium papam sanctum fuisse, et cum ad papatum venisset, omnia ex incuria antecessorum suorum neglecta invenisse. Nam omnia a praedonibus tollebantur, peregrini spoliabantur, et oblationes vi auferebantur; quos omnes primo Papa admonuit, secundo excommunicavit, tertio quia contempserunt, manum armatam apposuit, et raptores sancti Petri aut extinxit aut fugavit, et multa amissa praedia et oppida recuperavit. Tunc omnes ipsum homicidam et sanguinarium vocabant. Cardinales etiam dixerunt, cum esset infirmus, eum fore indignum qui in ecclesia sancti Petri sepeliretur. Tunc resumpto spiritu, longo sermone ostendit Papa se bene fecisse, et Cardinales stulte loquutos, allegans illud Ezechielis dictum sacerdotibus, qui non opponebant se murum pro domo Israhel. Et subdidit: cum mortuus fuero, corpus meum ante fores ecclesiae seris et vectibus firmatas sistite; et si apertae fuerint, corpus inferte. Si non, quod placet, facite. Eo igitur mortuo sic factum est, et turbo divinitus veniens portas ante firmatas non solum aperuit, sed etiam cum magno fragore usque ad parietem deportavit.

CLX. CLEMENS ·II·

Clemens secundus episcopus bambergensis, vocatus Sindegerus, per vim habuit papatum, coepitque anno Domini ·M·XLIX· substitutus post Gregorium. In quadam chronica dicitur ·M·L· Sedit mensibus ·IX·, diebus ·VII· Vacavit sedes diebus ·XXX· Hic fuit invasor ecclesiae,

et per vim habuit papatum. Ab isto Henricus imperator benedicitur et coronatur, Romanis ei iurantibus se numquam sine ipsius consensu romanum Pontificem electuros. Anno Henrici imperatoris nono, Domini ·M·XLIX·, Odilo abbas cluniacensis virgo centenarius dormit in Christo, cui successit Hugo mirae sanctitatis et religionis. Huius Hugonis tempore, et de consilio suo constructum est oratorium sancti Amandi in territorio lemovicensi, prope villam sancti Iuniani super Vigennam fluvium, ubi inventum est corpus sancti Amandi a Ranulfo canonico sancti Iuniani, qui oratorium ipsum ad preces Hugonis construere coepit anno Domini ·M·L·

CLXI. DAMASUS ·II·

Damasus secundus coepit anno Domini ·M·L· vel ·M·LI· Sedit diebus ·XXIII· Vacavit sedes diebus ·XI· Hic fuit invasor sedis apostolicae, et subito defunctus est.

CLXII. LEO ·IX·

Leo nonus genere alamannicus, de Lothariogiae regno, coepit anno Domini ·M·L·, in alia chronica dicitur ·M·LI· Sedit annis ·III·, mensibus ·II·, diebus ·VI· In quadam chronica scribitur sedisse annis ·V· Romani igitur ex prima consuetudine postquam petiissent Pontificem sibi dari, et imperator nullum teutonicorum ad hoc ut reciperent posset inducere, episcopum tullensem, Brunonem nomine, virum simplicem et bonum, ad hoc inclinavit, qui ad urbem veniens, et ex hoc conscientiam habens resignavit omnino, et denuo in summum Pontificem est electus. Hic vir sapientia et sanctitate praeclarus Romam ad capessendum papatum tendens audivit voces angelorum canentium " dicit Do-

minus, ego cogito cogitationes pacis. „ Hic leprosum nocte in lecto suo collocans, et mane reserato ostio non inveniens, Christum in paupere leproso se obstupuit suscepisse.

Hoc tempore Normanni Apuliam invadunt, quam Robertus Guiscardi eis eripiens sibi vindicat. Hic Robertus fuit pronepos Rollonis normanni, qui ut supra dictum est, Robertus dictus est in baptismo. Sanctus Theobaldus inter nobiles Francorum non infimus claret, qui mundo et semet ipso negatis, Christum sequutus, in Vicetia Venetiae urbe reclusus, duodecimo conversionis anno beato fine quievit; cuius ossa ad Gallias translata multis sunt remedia incommodorum. Leo papa post laudabilem vitam tumulatur in ecclesia sancti Petri, clarus miraculis manifestis. Unde corpus eius ad sedem tullensem, de qua assumptus fuerat ad papatum, transfertur, ubi cum veneratione sanctitatis colitur.

CLXIII. VICTOR ·II·

Victor secundus alamannicus coepit anno Domini ·M·LV· vel ·LVI· Sedit annis ·II·, mensibus ·III·, diebus ·XIII· Vacavit sedes diebus ·III· Hic timore imperiali factus est Papa. Hic tempore Henrici imperatoris apud Florentiam synodum celebravit, ubi multos episcopos propter simoniam et fornicationem deposuit. Hoc tempore Romae fuit Palumbus presbyter maleficus, qui cum daemonem compulisset anulum reddere cuidam iuveni, qui illum statuae Veneris posuerat, daemone clamante, o Deus omnipotens quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri? timens et paenitens, membris detruncatis defunctus est. Hoc etiam tempore corpus Pallantis gigantis inventum est Romae incorru-

ptum, cuius hiatus vulneris quatuor pedibus et semis mensuratus est, et ad caput eius lucerna ardens, quae nec flatu extingui poterat nec liquore, donec subtus flammam cum stilo foramine facto aër introductus est, et sic extincta est. Huius corpus erectum altitudinem muri excedebat, cuius epitaphium tale erat:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit more suo iacet hic.

Hoc tempore in Apulia quaedam statua erat marmorea, circa caput aereum habens circulum, in quo scriptum erat: " kal. maii oriente sole habebo caput aureum. „ Quod quidam saracenus a Roberto Guiscardi captus intellegens quid portenderet, in kal. maii oriente sole, notato termino umbrae illius statuae, sub umbra thesaurum repperit infinitum, quem pro redemptione sua dedit. Hoc eodem tempore in confinio Normanniae et Britanniae una, seu potius duae erant mulieres, habens duo capita, quatuor brachia, et omnia membra gemina usque ad umbilicum; inferius autem duo crura, et omnia singula erant; una edebat, altera esuriebat; una ridebat, et altera flebat; una loquebatur, et altera tacebat; una defuncta in Burgundia, altera aliquamdiu supervixit.

Anno Henrici imperatoris ·xvii· fundatur a sancto Geraldo famosa ecclesia sanctae Mariae de caritate in territorio antisiodorensi super Ligerim, in qua multitudo monachorum Deo servit, et idem sanctus in ea quiescit. Floruit hoc tempore sanctus Gualterus stirpeusis ecclesiae in territorio lemovicensi abbas, cui tamquam discretissimo et sapienti Victor papa auctoritatem contulit iudicandi de criminibus. Huic aegrotanti media hieme desiderata fraga divina pietas praeparavit. Post hos dies Victore in Gallias veniente, et

ab Henrico imperatore gloriose suscepto, eo praesente idem imperator moritur. Cui Henricus quartus filius eius subrogatur anno Domini ·M·LVII·, et imperavit secundum chronicam Vincentii annis quinquaginta. In chronica Martini dicitur annis ·XLIX· Post vero Victor papa moritur.

CLXIIII. STEPHANUS ·IX·

Stephanus nonus lotharingius, prius abbas casinensis, coepit anno Domini ·M·LVIII· Sedit mensibus ·IX·, diebus ·XXVII· Sepultus est Florentiae in Tuscia anno Henrici imperatoris quarti secundo. Henricus rex Francorum huius nominis primus Philippum filium suum octennem coronari fecit et ungi in regem Remis per Gervasium archiepiscopum remensem; et sequenti anno, scilicet tertio Henrici imperatoris, anno vero Domini ·M·LVIII·, aliâs ·LIX·, moritur idem Henricus rex Francorum. Post quem Philippus regnavit annis ·XLVII· vel ·XLIX·, quem quamdiu parvulus fuit Balduinus comes flandrensis aluit.

CLXV. BENEDICTUS ·X·

Benedictus decimus prius velitrensis episcopus, Micius nomine, per violentiam factus Papa, coepit anno Domini ·M·LVIII· Cum sedisset mensibus ·IX·, in quadam chronica dicitur mensibus ·X·, postea cessit.

CLXVI. NICOLAUS ·II·

Nicolaus secundus natione burgundus, prius florentinus episcopus, apud Senas a Cardinalibus unanimiter electus, coepit anno Domini ·M·LIX· In decreto dist. XXIII. dicitur quod praesidebat in concilio in basilica lateranensi mense aprili, anno Domini ·M·LIX· Sedit an-

nis ·II·, mensibus ·VI·, diebus ·XXVI· Vacavit sedes diebus ·X· Per idem tempus Francia turbabatur per Berengarium turonensem, cuius confessio scribitur in decreto de consecr. dist. II. Hic Berengarius asserebat eucharistiam quam sumimus non esse verum corpus Christi sed figuram corporis et sanguinis. Nicolaus contra eundem concilium celebravit cum centum et tredecim episcopis; qui tamen Berengarius aliâs dicitur sanctus homo fuisse, et post retractationem finem mortis praedicendo feliciter migrasse.

Sanctus Edhardus rex Anglorum claret sanctitate, qui quodam die in prandio, episcopo et pluribus praesentibus, risum insolitum emittens, requisitus fuit secrete ab episcopo de risu inconsueto valde. Respondit: vidi, inquit, in spiritu ·VII· dormientes qui apud Ephesum super faciem terrae a tempore Theodosii imperatoris usque modo super dextrum latus pausaverant in monte Celion, in latus alterum se hodie convertisse. Super quo audientes valde mirati, nuntios miserunt ad imperatorem constantinopolitanum cum litteris, per quem nuntii voti compotes effecti, regis verbum verum fuisse invenerunt. Anno Domini ·M·LXIII· finitus est cyclus magnus annorum ·D·XXXII· continens in se cyclos decemnovennales ·XVIII·, qui ad omnem rationem paschalis computi omnino utilis est, et ab aevo in aevum in semet ipsum sine errore revolvitur. Sequenti autem anno cyclus magnus annorum ·D·XXXII· bis a nativitate Domini exactus incepit, in cuius fine erit labor et dolor.

CLXVII. ALEXANDER ·II·

Alexander secundus natione mediolanensis, coepit anno Domini ·M·LXII·, in multis chronicis invenitur ·LXIII·

Sedit annis ·XI·, mensibus ·VI·, diebus ·XXV·, secundum chronicam Martini. In chronicis quorumdam aliorum scribitur sedisse annis ·IX· cum dimidio. Hic dictus est prius Anselmus lucanus episcopus (1), et a Cardinalibus concorditer electus. Sed episcopi Lombardiae omnes Cadaloum episcopum parmensem elegerunt, dicentes Papam non debere eligi nisi de paradiso Italiae. Et hic Cadalous cum magno exercitu bis Romam veniens papatum per vim voluit, sed non potuit, obtinere. Itaque inter duos electos longa fuit concertatio etiam usque ad homicidia. Demum Alexander ad rogatum Henrici imperatoris Mantuae concilium celebrans, iureiurando se expurgans de simonia, in sede apostolica subrogatur. Cadalous vero ut simoniacus et invasor repudiatur. Alexander autem Romam revertitur, et tandem in ecclesia lateranensi tumulatur anno Domini ·M·LXXII·, secundum chronicas quorumdam, in quibusdam vero chronicis scribitur ·LXXV·.

Eodem anno Normanni, qui in praeiudicium Papae regnum Apuliae occupaverant, fines Campaniae devastabant; quos Gothofridus dux spoletanus et comitissa Mathilda devota filia sancti Petri expulerunt. Haec comitissa fuit potentissima, adeo ut cum imperatore bellum habuerit, quae cum amplissimis possessionibus habundaret, totum patrimonium suum super altare sancti Petri obtulit. Et hoc quod obtulit, usque in hodiernum diem dicitur patrimonium sancti Petri. Anno eodem, quo cyclum magnum diximus incepisse, sanctus Eduardus rex Anglorum de fine suo caelitus admonetur. Hic cum quodam tempore omnia quae ipse et socii habebant prae manibus dedisset pauperibus, anulum digiti sui pauperi cuidam tribuit, quem san-

(1) Diversus tamen ab auctore collectionis canonicae.

ctus Iohannes Baptista, ad quem specialem devotionem habebat per quosdam peregrinos a nautis vento prospero flante dimissos, eis desolatis et flentibus in littore maris apud Accon, in specie peregrini apparens remisit dicens, quod per totum illum annum fuerat in digito beatae Dei genitricis Mariae. Qui eadem die et hora, quibus beatus Iohannes Baptista eis anulum reddidit, se miraculose apud portum Londoniarum invenerunt, et regi anulum praesentantes narraverunt ei cum gaudio omnem seriem praedictorum. Nec longe post rex inclytus migrat ad Christum nonis ianuarii anno Domini ·M·LXV·

CLXVIII. GREGORIUS ·VII·

Gregorius septimus, natione tuscus, patria soanensis, coepit anno Domini ·M·LXXIII·, secundum aliam chronicam ·LXXIIII· Sedit annis ·XII·, mense ·I·, diebus ·III·, in quadam chronica scribitur annis ·XIII· Hic antea Hildebrandus vocatus, prior cluniacensis, postmodum vero Cardinalis, propter laudabilem eius vitam Papa a Cardinalibus est electus. Hunc Cincius praefecti filius, cum primam missam in natali Domini ad sanctam Mariam maiorem celebraret cepit et in turri sua posuit; sed Romani turrim destruentes, Papam liberant, et Cincium ex urbe eiciunt. Hic secundo anno pontificatus sui celebrata synodo simoniacos anathematizavit, ac sacerdotes uxoratos a sacerdotio amovit. Sed quia laicis missam eorum interdixit, grave schisma oritur in ecclesia, quia multis visum est esse contra sententiam sanctorum, qui scripserunt quod sacramentorum effectus sive per bonos dispensentur non amplificatur, sive per malos non attenuatur, quia sanctus Spiritus in illis latenter operatur. Florebat Petrus Damianus,

de Cardinali episcopo ostiensi factus eremita, sapientia et religione nominatissimus, qui Hildebrando scilicet papae Gregorio ·VII· scripsit litteras reddens rationem quare episcopatum dimiserit.

Hic Gregorius Henricum quartum imperatorem concilio ·cx· episcoporum habito excommunicavit, eo quod ecclesiae voluit scindere unitatem. Sed post ad ipsum Papam in Lombardia veniens, nudis pedibus super nivem et glaciem stans, vix absolutionem impetravit. Post haec Imperator Wormatiae concilio ·xxiii· episcoporum et nobilium congregato, iubet decreta Gregorii cassari; propter quod a Papa commoto denuo excommunicatur, et Papa omnes a iuramento et fidelitate eius absolvit, et omnes ab eo avertit verbis et scriptis, matrem etiam eius Agnetem alienat ab eo. Itaque qui prius abiuraverant Hildebrandum, id est Gregorium, periurium periurio cumulantes, nunc abiurant Imperatorem, primatesque regni Radulphum ducem Burgundionum regem elegerunt, cui coronam misit dominus Papa sic inscriptam " Petra dedit Petro, Petrus diadema Radulpho. „ Hunc Sigifridus archiepiscopus maguntinus benedixit. E contra, consensu eiusdem Henrici, episcopi seditiosi apud Brixiam convenientes Gibertum episcopum ravennatem in Papam elegerunt, et Clementem vocarunt, quem Henricus cum suis pronus in terra adoravit, et Romam ducens sine Cardinalibus, a bononiensi, cremonensi, et mutinensi episcopis fecit benedici, et ab eodem in die paschae coronatur, Gregorium cum Cardinalibus in castro sancti Angeli obsidens. Romani Gibertum suscipiunt, et Gregorius a papatu abdicatur. Robertus vero Guiscardi ab Apulia veniens, Imperatore fugiente cum suo Papa Senas, Capitolio et civitate leonina destructis, urbem

capit et ferro consumit ac igne, Papam ab obsidione liberans. Post haec Henricus consilium regale et synodale coëgit Maguntiae, ut ordinationem Giberti approbantes, depositionem Hildebrandi confirmarent subscripto, quod multi manu et ore faventes, corde tamen Hildebrando seu Gregorio papae adhaerebant. Idem autem Hildebrandus in Apuliam descendens apud Salernum exul obiit miraculis coruscans, anno Domini ·M·LXXXV· Gibertus vero in catalogo Pontificum romanorum minime computatur.

Anno Domini ·M·LXXXVII· sanctus Stephanus de Mureto diaconus, natione arvernus, ·XXX· aetatis suae anno conversus, non longe a civitate lemovicensi eremiticam vitam ducens, carne aut sanguine numquam usus, plenus sanctitate et miraculis, ordinem grandimontensem instituit, et quinquagesimo anno conversionis migrat ad Christum. Hic placentam quam mulier de spicis post messores collectis factam sibi obtulit, ut eam convinceret quod spicae hominibus pauperibus a lege concessae sunt, cultello divisit, e sanguis ubertim exivit. Dominus Gaufridus coenobium castaliense in lemovicensi pago reparat, ubi sanctam resurrectionem cum sanctis et iustis expectat. Magister Imbertus canonicus lemovicensis coenobium Beneventi in lemovicensi pago fundat. Anno Domini ·MLXXXV· in Hispania Alphonsus rex Galloeciae Toletum urbem maximam capit, Sarracenos debellans, et in ea christianitatis cultum amplificat.

Hactenus Auctorem nostrum, id est Bernardum Guidonis, edendum ceasuimus, quia posthinc, nempe a Victore III, extat apud Muratorium R. I. S. T. III. p. 351. seqq.

NOTITIA CARDINALIUM S. R. E.

quam Auctor ex Richardo cluniacensi potissime haustam vitis Pontificum praeposuit, nos vero postponendam indicavimus.

Iesus christus filius Dei primus et summus Pontifex assistens christianorum, tres hierarchias angelorum habet in suum obsequium in ecclesia triumphanti; et ad exemplum illius in militanti ecclesia circa vicarium ipsius summum Pontificem sunt tria genera Cardinalium sibi obsequentium instituta. Quocirca de ipsis quot, et qui, et ad quid sint, est breviter dicendum. Numerus ergo primordialis ipsorum Cardinalium est quinquaginta unus, qui in tria genera distinguuntur; quia quidam ipsorum sunt domino Papae assidentes, ut episcopi; quidam assistentes, ut presbyteri; quidam insistentes, ut diaconi. Episcopi enim in sollempnitatibus sunt domino Papae assessores, unde ipsi inter alios Cardinales cathedris utuntur. Presbyterorum vero Cardinalium quilibet suam hebdomadam servans, in missis et horis assistit domino Papae. Diaconi vero Cardinales insistunt ministeriis; ipsi enim Papam induunt, eundemque sustentantes deducunt, et ei circa altare deserviunt. Sunt autem episcopi Cardinales .vii. prima institutione; videlicet episcopus ostiensis, qui propter consecrationem Papae dignior est aliis, et utitur pallio; episcopus portuensis; episcopus albanensis; episcopus sabinensis; episcopus praenestinus; episcopus sanctae Rufinae, qui postmodum portuensi episcopatui unitus est et coniunctus; episcopus tusculanus. Et isti episcopi tamquam vicarii domini Papae in dominicis diebus et festis et praecipuis sollempnitatibus

in altari sancti Salvatoris ecclesiae lateranensis debent servire. Presbyteri vero Cardinales sunt ·xxviii· qui divisi per numerum septenarium residuis ·iiii· ecclesiis patriarchalibus sunt intitulati ad celebrandum. Isti ·vii· sunt intitulati ecclesiae sancti Petri, videlicet Cardinalis sanctae Mariae trans Tiberim, sancti Chrysogoni, sanctae Caeciliae, sanctae Anastasiae, sancti Laurentii in Damaso, sancti Marci, sancti Martini in monte. Isti ·vii· sunt ecclesiae sancti Pauli, qui debent in altari maiori deservire, videlicet Cardinalis sanctae Sabinae, sanctae Priscae, sanctae Balbinae, sanctorum Nerei et Achillei, sancti Sixti, sancti Marcelli, sanctae Susannae. Isti ·vii· sunt ecclesiae sanctae Mariae maioris, videlicet sanctorum Apostolorum, sancti Cyriaci in thermis, sancti Eusebii, sanctae Potentianae, sancti Vitalis, sanctorum Marcellini et Petri, sancti Clementis. Isti ·vii· sunt ecclesiae sancti Laurentii, videlicet Cardinalis sanctae Praxedis, sancti Petri ad vincula, sancti Laurentii in Lucina, sanctae crucis in Hierusalem, sancti Stephani in Caelio monte, sanctorum Iohannis et Pauli, sanctorum ·iiii· Coronatorum. Diaconi vero Cardinales ad ministerium domini Papae deputati sunt ·xvi·, videlicet Cardinalis sanctae Mariae in Domnica, et ille est archidiaconus aliorum; sanctae Luciae in circo Palatii iuxta Septisolium, sanctae Mariae novae, sanctorum Cosmae et Damiani Palatii, sancti Hadriani Palatii, sanctae Mariae in Schola graeca, sanctae Mariae in porticu, sancti Nicolai in carcere tulliano, sancti Georgii ad velum aureum, sancti Angeli, sancti Eustachii, sanctae Mariae in Aquiro, sanctae Mariae in via lata, sanctae Agathae, sanctae Luciae in capite Sabinae, sancti Quirici.

HISTORIAE PONTIFICIAE FRAGMENTUM EX BONIZONE SUTRINO.

Extat in miscello vaticano codice epitome quaedam historica romanorum Pontificum, quam Bonizo sutrinus episcopus collectionis suae canonicae adhuc ineditae libro quarto praeposuit. Ea sane brevissima est, et quidem usque ad Siricium lacinias etiam ex pseudo-isidorianis sumptas passim interserit. Satis igitur mihi sit epitomes huius partem tantummodo post Siricium heic proferre. Quin adeo cum ventum erit ad Hadrianum primum, Bonizonis textum haud iam e praedicto codice hauriam, sed ab ineditis Albini scholaris collectaneis, qui in postrema operis parte exscribit ex Bonizonis libro incognito DE VITA CHRISTIANA *reliquorum Pontificum notitiam usque ad Urbanum ·II·, in quo reapse Bonizo desinebat. Porro ex praedicto Albino alia alibi editurus sum.*

Dicerem quidem de Anastasio, et de Innocentio qui sabbato praecepit ieiunandum, et pacem intra missarum sollempnia dari. Et de Zosimo natione graeco, qui cereum in sabbato sancto praecepit in omnibus titulis benedici. Et de Bonifacio, qui monachabus et diaconissis interdixit ne sancta vasa vel pallas altaris tangerent. Et de Caelestino qui constituit ut psalmi David ·CL· numero antiphonatim cantarentur ante canonem, nam antea evangelium tantum et epistolae legebantur. Et de Xysto qui ecclesiam quae dicitur ad praesepe, et hodie vocatur maior ecclesia, in monte Livio (1) aedificavit. Et de magno Leone, et de Hilaro

(1) Scilicet apud Liviae macellum in Exquilino, ut constat.

natione sardo, et de Simplicio tiburtino, et de Felice episcopo. Et de Gelasio scholastico doctore mirifico, qui gelasianum codicem composuit, et hymnos et tractatus fecit, ut beatus Ambrosius, et declaravit quot libri recipi debeant in ecclesia, quive contempni, et quo tempore ordinationes sacerdotum ceterorumque ordinum fieri debeant. Et de Anastasio eius successore, et de Symmacho sardo qui constituit omnibus dominicis diebus et natalieiis apostolorum hymnum angelicum decantari. Et de Hormisda magnae vitae et meriti, et de Iohanne eius successore, et de Felice, et de Bonifacio qui constitutum fecit ut non fieret electio romani Pontificis, nisi post tertium depositionis eius diem. Et de Iohanne eius successore, et de Agapito, et de Silverio qui primus post beati Silvestri tempora sine imperiali assensu, Gothorum manu est ordinatus episcopus. Et de Vigilio, et de Pelagio episcopo qui praecepit ut schismatici episcopi per saeculares potestates comprimerentur. Et de Iohanne eius successore, et de Benedicto, et de Pelagio praedecessore Gregorii qui novem praefationes tradidit ecclesiae ante canonem decantandas; si mei esset praepositi, seriatim romanos Pontifices insinuare.

De beato Gregorio silendum non arbitror, a quo liber sacramentorum editus est, et antiphonarius tam diurnus quam nocturnus, et tractatus in Ezechielem, et homiliae ·XL· in evangelia, et in Iob moraliter et allegorice et ad historiam compendio digestans, et dialogorum liber, et pastoralis cura Iohanni ravennati directa, et registrum ad regendam ecclesiam satis utile. Hic constituit ut antiphona cantaretur quae vocatur introitus ad mulcendum audientium animos, deinde kyrie eleison a clero novies decantari, et post amplum

graduale et alleluia, excepto in septuaginta diebus in quibus tractus instituit decantandos; post evangelium vero, dum oblationes offeruntur offertorium, decantari, et post factionem eucharistiae postquam communicaverint communionem. Hic idem addidit in canone " diesque nostros in tua pace disponas. „ Et ut oratio dominica a sacerdote super eucharistiam alta voce decantaretur. Hic idem instituit ut a septuagesima usque in pascha non cantetur alleluia, et ut in matutinali synaxi festiva octo tantum cantarentur responsoria, et sequeretur ambrosianum, et in cotidiana duo tantum. Et a presbytero diceretur " Deus in adiutorium meum „ qui est centesimus octavus decimus psalmus. Quam vero sit honestissimus et nostrae saluti in oratione utillimus, quendam monachum sanctus edocuit angelus, qui se dicebat quondam Samsonis illius fortissimi fuisse custodem, et tunc eiusdem monachi ad custodiam deputatum. Qui inter alia multa praedicamenta salutis, hoc etiam de industria admonuit, ut psalmum hunc specialiter commendatum impigre frequentare nós conveniat, quem cantabimus ita " Deus in adiutorium meum intende. „ Hic idem Gregorius litaniam instituit maiorem, et Anglicam gentem Christi ecclesiae sociavit, et angelorum insertus choris caelo spiritum reddidit, et sepultus est in basilica sancti Petri ante secretarium.

Quid referam de Sabiniano eius successore, qui luminaria addidit in ecclesia beati Petri? Et de Bonifacio, qui a Phoca caesare meruit privilegium quod romanae ecclesiae constantinopolitana subiceretur? Et quid de alio Bonifacio, qui obtinuit a Phoca caesare dari ecclesiae Dei catholicae templum Romae, quod ab antiquis Pantheon dicebatur, et dictus Caesar dedit

episcopo; qui legem posuit in ecclesia sub interminatione separationis, ut nulla mulier filium suum de fonte susciperet, similiter et in confirmationibus. Et de tertio post Gregorium Bonifacio, et de Honorio eius successore. Et de Severino, cuius temporibus fuit Heraclius christianissimus imperator, qui extincto Chosroë crucem Domini Hierosolymam reportavit. Et de Iohanne eius successore, et de Theodoro pontifice qui paenitentialem librum composuit (1). Et de ter beatissimo papa Martino martyre, qui dum missarum sollempnia ad altare Dei genitricis virginis Mariae, quod dicitur ad praesepe, celebraret, divina benignitate spatharius Olympii ducis missus ut eum interficeret, percussus caecitate eum omnino videre non potuit. Nisi quia isti sunt dominici gregis arietes, romanae ecclesiae Pontifices, qui sanguine proprio et constitutionibus ecclesiam Dei consecrarunt.

Quod si non timerem ut prolixitas sermonis mei legentium animo fastidium generaret, scriberem quidem ad plenum de Eugenio qui beato Martino successit. Et de Vitaliano qui cantum, quo Romani utuntur, composuit. Et de Adeodato, cuius temporibus stella splendidissima apparuit nec antea visa. Et de Agathone, et de Leone *, et de Benedicto, et de Iohanne eius successore qui librum de dignitate pallii composuit. Et de Conone, et de Sergio iuniore (2) qui basilicam lateranensem reparavit, et ut agnus Dei intra missarum sollempnia decantaretur instituit, et ecclesiam quae est intra muros urbis Romae beati Silverii con-

* cod. *Folcone.*

(1) Recole dicta p. 133. n. 1. Et quidem etiam in alio chronico pontificali apud Cincium camerarium cod. vat. p. 109. idem diserte de Theodoro papa adfirmatur.

(2) Num *seniore*?

strni fecit, et altare eiusdem ecclesiae propriis manibus dedicavit. Et de quinto Iohanne et sexto, et de Sisinnio, et de Constantino, et de secundo Gregorio, et de tertio Gregorio, qui ad feretrum antecessoris sui electus est. Et de Zacharia viro magni meriti et sanctitatis, qui praecepit ut filii compatrum et commatrum non se iungerent. Et quia finem iam spectat paginula, silere non debeo de Hadriano Zachariae successore etc.

Deinde ex Albini, ut diximus, collectaneis.

Bonizo episcopus in libro suo de vita christiana.

Scribere dignum duxi de Hadriano Zachariae successore, cuius rogatu Karolus rex intravit in Italiam in potentatu magno et manu robusta, et Desiderium regem Longobardorum victor et a Pado fugavit, et in Papia obsessum tenuit. Dehinc Romam veniens, a monte, qui dicitur gaudii, usque ad sancti Petri ecclesiam pedes properavit. Quem beatissimus Papa in gradibus sancti Petri praestolatus est, et venientem usque ad confessionem sancti Petri, cum hymnis et laudibus et psalmis clericorum, et laudibus iudicum romanorum, ut mos est, decenter perduxit. At ille potentissimus rex offerens beato Petro multa donaria, promittensque eius Vicario fidem et debitam reverentiam, patriciatus a Romanis sublimatus honore, Papiam reversus, civitatem quidem coepit, et Desiderium regem cum coniuge secum ultra montes duxit; et ex illo diei meruit rex Francorum et Longobardorum, ac patricius Romanorum. Et de tertio Leone, qui sermocinarius appellatus est. Et de Stephano eius successore. Et de Paschali qui Romae ecclesiam aedificavit in honorem beatae Mariae, quae Domnica nominatur, quam

et marmoreis lapidibus vestivit. Et de Eugenio qui paenitentialem librum composuit, et in Franciam transmisit. Et de Valentino qui Lodovicum filium Karoli imperatorem consecravit. Et de eius successore Gregorio. Et de Sergio, cuius temporibus Sarraceni devastarunt Italiam.

Et de alio Leone qui Karolum filium Lodovici coronavit imperatorem, quique etiam aedificavit civitatem, quae Porticus nominatur, quam Leoninam suo nomine appellavit. Hic fecit ciburrium super altare sancti Petri argenteum; et ante altare ipsum tabulam auream, et tegulas confessionis argenteas, et ecclesiae portas argenteas. Hic idem aedificavit ecclesiam Romae, quae hodie dicitur sancta Maria nova; et ecclesiam quatuor Coronatorum. Hic idem invidiose super quibusdam criminibus pulsatus, synodum congregavit, et se iuramento innoxium demonstravit. Sed quia invidia vinci potest, tamen quiescere non potest, paucis postea evolutis diebus, malivoli qui invidiose eum accusaverant, seditionem concitantes in populo, iniuriantes eum a palatio in forum romanum traduxerunt; et ibi diabolico instinctu et populari audacia caecaverunt. Quod audiens Karolus rex, Romam veniens multos de populo trucidavit, ipsos vero auctores seditionis ligno suspendit. Ipse vero licet orbatus, quamdiu vixit romanam gubernavit ecclesiam. Et de Benedicto eius successore. Et de Nicolao qui Sophronium placentinum episcopum depositum ab alia synodo reconciliavit, et qui uno codemque tempore duos imperatores excommunicavit; orientalem quidem nomine Michaëlem propter Ignatii patriarchae iniustam depositionem; occidentalem autem nomine Lotharium propter Waldradae pelicis suae societatem.

Et de secundo Hadriano qui Lodovicum filium Karoli constituit imperatorem. Et de octavo Iohanne qui altercatus est cum Angelberga regina de civitate Ravenna, qui et Karolum filium eius ordinavit imperatorem. Et de Martino eius successore, cuius temporibus duo gloriosi episcopi fuere in Longobardia, unus placentinus nomine Paulus nepos imperatricis, qui placentinam ecclesiam per Sophronii ignaviam funditus destructam a fundamentis reaedificavit; alter vero parmensis nomine Gundolfus, qui canonicam parmensem constituit, et ipse nepos fuit imperatoris. Et de Hadriano qui ei successit in pontificatu. Et de Stephano, et de Formoso, quorum temporibus Longobardis rebellantibus Franci perdiderunt imperium. Et de quodam Stephano, cuius temporibus Sarraceni occupaverunt Siciliam. Et de Iohanne tusculano, cuius temporibus romani Capitanii patriciatus sibi tyrannidem vindicaverunt. Et de quodam Silvestro viro omnium artium peritissimo, qui primitus abbas bobiensis, postea archiepiscopus ravennas, post vero romanus Papa effectus est. Et de ·x· Iohanne tusculano, fratre maioris Alberici, qui pugnavit cum Sarracenis, et ab Italia pulsos in Siciliam fugavit. Hic aedificavit basilicam in palatio lateranensi. Et de Silvestro tusculano genere. Et de quodam Benedicto papa romano, qui uno eodemque die et laicus fuit et pontifex. Et de Iohanne tusculano genere, qui Othonem regem Saxonum coronavit imperatorem. Et de quodam Silverio tiburtino, qui mortuo Alberico tusculano, qui patriciatus sibi nomen vindicaverat, a Crescentio nomentano, qui patricius dicebatur, Papa ordinatus est, quique etiam secundum Othonem ordinavit imperatorem; postea vero cum magno dedecore ab eodem Crescentio a papatu

expulsus est; et quidam Iohannes placentinus episcopus graecus genere, legatione functus Othonis iunioris, a Constantinopoli rediens, dum Romam causa orationis veniret, a praefato Crescentio et a Romanis capitur, tenetur, et licet invitus, Papa tamen infelix ordinatur romanus. Quod audiens rex mente effrenus, Romam veniens ipsum Crescentium diu obsessum cepit et capite truncavit; ipsum vero Pontificem oculis orbatum, ceterisque membris debilitatum, ad dedecus et ignominiam sacerdotalis ordinis per plateas leoninae civitatis circumduci iussit. Sed ante quam ·xxx· dies implerentur, anima et corpore ipse rex defunctus est.

Et de Benedicto tusculano qui Henricum maioris Othonis nepotem regem Teutonicorum ordinavit imperatorem. Et de eius fratre Iohanne, qui uno codemque die et laicus fuit et pontifex. De his mihi silendum esse non credidi. Ceterum siquis de Theophylacto tusculano, qualiter Iohanni sacerdoti vendiderit papatum, et quomodo uno eodemque tempore Theophylactus et Gregorius et Silvester romanum non regebant sed vastabant pontificatum; et qualiter Henricus rex Conradi filius romanam ecclesiam a talibus pestibus liberavit, gnarus esse voluerit, legat librum quem dictavi, qui inscribitur AD AMICUM, et ibi inveniet haec ordinabiliter esse digesta (1). Inveniet autem ibi et qualiter papa Clemens electus sit, qualiterve Henricus rex imperator ordinatus. Et de Damaso eius successore quot in papatu duxerit dies. Et de praeclaro Leone, quid in papatu egerit, qualiterve vitam finiverit. Et de Victore eius successore quid egerit, aut quid eius tem-

(1) Hactenus est apud Albinum scholarem ex Bonizone; reliqua item sunt Bonizonis, sed ex codice collectionis canonicae seu decreti ab eo scripti.

poribus novum evenerit. Et de Stephano Gothifredi ducis germano, et qualiter eius temporibus Patarea (1) apud Mediolanum exorta est. Et de Nicolao papa, et de lite quam habuit cum Benedicto invasore, et quid egerit in papatu. Et de Alexandro ·II· papa, et de lite quam habuit cum Cadolo parmensi, et de eius victoriis, et quid egerit in papatu, et de eius fine. Et de septimo Gregorio, et de eius electione et vita et moribus, et qualiter in nativitate Domini ad altare sanctae Mariae a Cinthio viro crudeli captus sit, et eo die Dei gratia liberatus sit. Etiam de guerra quam sustinuit cum Henrico imperatore, et de controversia quam habuit cum Guiberto, et de aerumnis quas sustinuit, et de obsidione civitatis et sua, qualiter a Roberto Normannorum duce sit liberatus, et qualiter beato fine quieverit, apertissime declaratur. Urbani vero pontificis acta, et de eius victoria, siquis scire voluerit, legat librum quem scripsi AD HUGONEM SCHISMATICUM, et ibi inveniet ad plenum dilucidata quae voluerit.

(1) De Patarea, id est haeresi Patarenorum, Mediolani eo tempore exorta legatur Pagius apud Baron. ad an. 1058. n. 3. Rursus idem legatur Pagius ad an. 1044. n. 7-9. ubi Bonizonem ter de Pontificibus rom. scripsisse adnotat, refertque ex Lambecio partem hanc postremam Bonizonis.

VITAE ALIQUOT PONTIFICUM

quas ex diversis bibliothecae vaticanae codicibus Laur. Zacagnius eiusdem bibliothecae praefectus delibaverat, sed morte praeoccupatus non edidit.

BENEDICTUS ·VIIII·, SILVESTER ·III·, GREGORIUS ·VI·, CLEMENS ·II·, DAMASUS ·II·

Anno ab incarnatione Domini ·MXLVI·, indict. ·XIII·, praesidente in urbe Roma Benedicto ·VIIII· papa, anno eius ·XII·, facta est in urbe Roma grandis seditio, ita ut omnes in unum congregati venirent, et eicerent eum de suo pontificatu. In ipso denique anno in festivitate sanctae Caeciliae obscuratus est sol quasi trium horarum spatio. Et factum est cum eiecissent Pontificem ex suo pontificatu, orta est inter Romanos et Transtiberinos grandis seditio, ita ut in unum omnes congregati Romani ad obsidendam Transtiberim pergerent ·VII· die mensis ianuarii. Et factum est proelium magnum inter Romanos et Transtiberinos, qui videlicet Romani in fugam versi sunt. Comites qui veniebant per Montanam, scilicet Girardus Raynerii filius et ceteri cum multis equitibus, qui erant fideles dicti Pontificis, et ad portam venerant Saxiae, ibi omnes unanimiter se immittentes, ex multitudine copiosa suffocati sunt centum et eo amplius homines maiores et minores. Et die tertia terrae motus factus est magnus, ita ut ecclesiae signis sonarent.

Tunc omnes Romani in unum congregati elegerunt sibi Pontificem Iohannem sabinensem episcopum, cui posuerunt nomen Silvester, qui optinuit pontificatum diebus ·XLVIIII· Quo eiecto, Benedictum pontificem re-

duxerunt in suam sedem. Tunc praedictus Benedictus non sufferens romanum populum, eiusdem pontificatus honorem per chartulam refutavit Iohanni archipresbytero sancti Iohannis ad portam latinam suo patrino in die kal. maias, cui posuerunt nomen Gregorius, qui etiam pontificatum tenuit anno uno, et mensibus ·VIII·, minus diebus ·XI·

Henricus Dei gratia invictissimus caesar, audita fama inauditae controversiae, cum magna potentia et cum innumerabili exercitu Italiam petiit. Cumque pervenisset in civitatem quae Sutrium vocatur, convocavit ad se clerum romanum cum pontifice Gregorio. In sancta igitur sutrina ecclesia mirabilem synodum inesse decrevit, et Iohannem sabinensem episcopum cui posuerant nomen Silvester, et Iohannem archipresbyterum cui posuerant nomen Gregorius, et Benedictum praenominatum pontificem, canonice et iuste iudicando, sacris et religiosis episcopis, per canones ostendendo, proprio anathemate obligavit. Pervenit itaque in romanam urbem cum tanta multitudine, ut non caperet urbs tantum et tam copiosum exercitum. Henricus misericordia Dei pius et benignus rex congregata multitudine populi Romanorum in basilica beati Petri principis apostolorum, cum episcopis et abbatibus et universo clero romano, sanctam et gloriosam synodum celebravit, et mirabilem sanctum benignumque pontificem sanctae ecclesiae romanae nomine Clementem praeordinavit in vigilia natalis Domini. Die vero nativitatis domini nostri Iesu Christi ipse praenominatus Rex coronatus est, et tota romana civitas omni gaudio repleta, sancta denique romana ecclesia exaltata et glorificata, quia tam magna haeresis per misericordiam Dei inde eradicata est.

Itaque serenissimus princeps cernens Romanorum omnium voluntatem, circulum quo antiquitus Romani coronabant patricios, cum omnium voluntate sicut imperatori decreverant in capite posuit suo; et ordinationem Pontificum ei concessere, et eorum episcoporum regalia habentium, ut a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur almus Pontifex, una cum romanis et religiosis patribus, sicut sanctus Hadrianus, et alii Pontifices confirmaverunt proprii privilegii detestationem, sic in potestate regis Henrici qui in praesentia habetur, et futurorum regum patriciorum sancitum est (1). Clemens itaque summus Pontifex, reverso rege ad regni sui aulam, sedit in cathedra sanctae sedis apostolicae mensibus ·viii·, diebus ·xvi·, et relinquens terrestria petiit regna caelestia. Tunc Romanorum plebs in unum collecta ad regem Henricum legatos cum litteris miserunt precantes et obsecrantes ut servi dominum, et ut filii patrem, ut eis dirigeret pudicum benignum ornatum bonis moribus sanctae romanae ecclesiae et universo orbi pastorem. Benedictus itaque pontifex priscus talia facta cernens, cum esset in civitate Tusculana praemii cupiditate divisit romanum populum, et sic reinvasit sanctae sedis apostolicae pontificatum.

Legati itaque Romanorum cum pervenissent ad regem, magno eos cum honore in palatio suscepit suo, magnisque ditavit muneribus. Congregata itaque maxima multitudine episcoporum, abbatum, comitum, marchionum, et ceterorum principum, secundum decreta sanctorum patrum, Deo et omni plebe dignum

(1) Recole quae de Hadriano ·PP· diximus p. 169. Sane in his videmus historicum laicae potestati valde addictum, et Henrico imp. viventi blandientem.

elegit Pontificem Damasum. Legati igitur Romanorum antecedentes Damasum pontificem, Romam reversi sunt. Ipse vero benignissimus Pontifex iter arripuit Italiam versus. Cum autem pervenisset ad marchionem Bonifacium, cuius auxilio praenominatus pontifex Benedictus receperat pontificium, taliter eum callide est affatus loquelis: ego Romam non possum pergere tecum, quia Romani Papam reduxerunt, et potestatem quam prius habuit recepit, et omnes sibi pacificavit; insuper ego iam senex sum. His auditis beatus Pontifex ab itinere quod ceperat rediit, et Imperatori universa narravit; quo audito Rex intellexit calliditatem et astutiam Bonifacii, quem talibus per epistolam aggressus est affatibus: tu qui Papam canonice depositum in pontificium reduxisti, et praemii cupiditate nostrum imperium contempsisti, serio praenoscas quia si non emendaveris cito, adventu meo propinquo emendari te faciam, teque invito, populo romano dignum Deo donabo pastorem. Videns itaque Bonifacius quia nihil proficeret, per suum legatum eiecit Benedictum de pontificatu, et cum Damaso papa Romam venit. Populus autem romanus devote hunc cum magno desiderio suscepit, et apud beatissimum Petrum apostolum summus pontifex ordinatur die ·xvii· mensis iulii, indictione prima. Damasus vero papa vixit in pontificatu ·xxiii· dies, et ita defunctus est, et inthronizatus est Leo in romana sede ab Imperatore et a ceteris principibus regni.

LEO ·IX·

Leo nonus natione teutonicus sedit annis ·v·, mensibus ·ii·, et cessavit episcopatus mensibus ·xi· Iste Leo perrexit in cisalpinas partes ad imperatorem Henricum

secundum, et rogare coepit eum, ut per amorem beati Petri descenderet in Apuliam, et liberaret habitatores eius de servitute Agarenorum (1). Ille vero per semet ipsum non venit, sed direxit principes suos cum magno exercitu Teutonicorum simul cum consanguineis dicti Pontificis. Mox ut Pontifex reversus est Romam cum dicto exercitu, tunc perrexit in Apuliam simul cum latinis comitibus et ceteris. Mox commissa est pugna nimium dura et fortis; sed latini comites clam dimiserunt dictum Pontificem, reversique sunt ad propria. Pontifex vero superatus fugit in Civitellam. De exercitu autem Teutonicorum omnes paene in ea pugna extincti sunt, sed plures ex parte Agarenorum interfecti sunt. Post haec omnes principes Agarenorum in luctum conversi sunt, et cum magno gemitu et tristitia venerunt ad iamdudum nominatum venerabilem Pontificem, et ad eius vestigia corruerunt, veniam et misericordiam implorantes, et cum eo venerunt usque in partes Campaniae, et sic dimiserunt eum. Pontifex vero nimis anxiatus, ex magno gemitu dolore atque tristitia cecidit in infirmitatem. Ad ultimum feretro eius equis imposito, cum illis militibus qui evaserant, cum magno luctu et maestitia reversus est Romam. Non multo post in basilica beati Petri migravit ad regna aeterna, et absolvit eos anathemate. Tunc plebs Romanorum in unum congregati legatos miserunt ad Imperatorem rogantes, ut servi dominum, ut pium pastorem romanae ecclesiae tribueret. Congregata itaque multitudine clericorum et laicorum dignum Deo elegit Pontificem, et cum Romanorum legatis misit Romam. Gavisi sunt omnes Romani de illius adventu, et elegerunt eum romanum antistitem, cui posuerunt nomen Victor.

(1) Immo Normannorum.

VICTOR ·II·

Victor praedictus natione noricus sedit annis ·II·, mensibus ·III·, diebus ·XXVII·, et cessavit episcopatus diebus ·VIII· Hic perrexit ad imperatorem Henricum ob eam causam ob quam praedecessor suus, ut eiceret Agarenos, quia clamorem populi illius regionis non valebat sufferre. Sed minime impetravit, quia Imperatorem invenit in maxima infirmitate iacentem. Ad ultimum commendavit ei Henricum filium suum adhuc puerulum, ac in eius manibus defunctus est. Praedictus Pontifex tradidit regnum per investituram dicto puero Henrico, et coepit proficisci Romam, et in itinere ex hac vita subtractus est.

ITERUM DE VICTORE ·II·

Victor natione teutonicus, episcopus Aistatensis, nomine Gebehardus, sedit annis ·II·, diebus ·VIII· Apud Florentiam synodum celebravit, in qua nonnullos episcopos de simonia et turpi fornicatione impetitos atque convictos deposuit. Fuit autem temporibus imperatoris Henrici, qui cum in Lombardiam reverteretur, Beatricem comitissam, et unicam Bonifacii marchionis filiam, nomine Mathildam, quia earum hereditatem ambierat, dolo cepit, et ultra montes secum adduxit, ignorans quid suprema dies in proximo secum actura esset. Nam ubi remeavit in Franciam, subito in lectum aegritudinis decidens, illustrissimum ducem Gothifridum ad se vocavit, cui uxorem cum Mathilda filia Bonifacii, et cum omnibus possessionibus restituit; et post paucos dies de ipsa infirmitate mortuus est. Filium vero, quem in regem praefecerat, praedicto duci Go-

thifrido commendavit, rogans ut ei fidelitatem servaret, et cum aliis principibus eum iuvaret. Transactis vero paucis diebus, Victor papa defunctus est.

STEPHANUS ·X·, BENEDICTUS ·X·, NICOLAUS ·II·

Victori Stephanus successit, qui fuit cancellarius Leonis et Victoris, et germanus magni ducis Gothifridi, nomenque habuit Federicus. Dictus Stephanus reversus Constantinopoli, ubi legatus fuerat, cum magno thesauro invenit dictum Imperatorem mortuum. Tunc Romani elegerunt *ipsum Pontificem*, sed totum thesaurum quod Constantinopoli adduxerat per vim ei abstulerunt; unde ira commotus Roma egressus est, ut *rem* notificaret iamdudum nominato suo germano. Tunc Romani perterriti metu direxerunt post eum Braczinum transtiberinum, qui in itinere fertur ei venenum dedisse, ex quo mortuus est.

Post mortem vero dicti Pontificis, tunc fideles Imperatoris, clerici ac laici, miserunt Hildibrandum archidiaconum ad imperatorem Henricum, ut sanctae romanae ecclesiae pium rectorem ac benignum Pontificem tribueret. Ille vero capto itinere pervenit Florentiam, ubi ante dictus Stephanus obierat. Quid multa? Postquam locutus est cum episcopo dictae civitatis, promisit ei ut si ipse vellet cum eo Romam pergere, ordinaret eum romanum antistitem. Ille vero hoc audiens acquievit ac consensit dictis vel voluntati illius. Tunc cum quingentis equitibus, et cum magna pecunia ceperunt romanum iter.

Tunc fideles Imperatoris, hoc audito, ira commoti elegerunt Benedictum velitrensem episcopum Pontificem, de regione sanctae Mariae maioris. Ille vero re-

nuebat, sed volentem nolentemque invitum ordinaverunt eum romanum Pontificem (*cum nomine Benedicti*); et data pecunia, maxima pars de Romanorum populo ei fidelitatem fecerunt. Similiter comites qui circa urbem erant, scilicet Girardus Raynerii filius, comes Galeriae, et Albericus comes tusculanensis, et filii Crescentii de Monticellis. Tunc Hildibrandus hoc audito, paululum in itinere substitit, et misit pecuniam Leoni de Benedicto Christiano, et ceteris qui erant de eius coniuratione. Et divisus est romanus populus, et coeperunt inter se acriter pugnare. Tunc Traustiberini miserunt legatos dicto Hildibrando archidiacono, ut festinanter cum suo electo trans Tiberim pergeret, quod et factum est. Tunc per Traustiberim venit in insulam Lycaoniam; et ita divisus est romanus populus, ut cotidie pugnae et homicidia essent in civitate.

Tunc demum comites diviserunt se, alteri ex una parte, alteri vero ex alia. Tunc Hildibraudus cum suo electo Pontifice, et cum sua coniuratione abstulerunt praefecturam Petro praefecto de regione sancti Angeli, et ordinaverunt Iohannem Tiniosum transtiberinum praefectum. Ad ultimum superatis qui ex parte Benedicti pontificis erant, dictus Pontifex egressus de patriarchio lateranensi perrexit ad castrum Passarani apud Pepum, qui erat filius Crescentii praefecti. Tunc dictus Hildibrandus archidiaconus cum suo electo Pontifice perrexerunt ad patriarchium lateranense, et ordinaverunt eum romanum Pontificem, cui posuerunt nomen Nicolaus, et dederunt pecunias. Plures de populo romano ei fidelitatem fecerunt. Etiam ipse pontifex Nicolaus per se ibat per urbem, faciebatque sibi invitos, fideles pontifici Benedicto, fidelitatem facere;

unde plures ex illis iuraverunt cum sinistra manu, ita dicentes: quia manu dextera fidelitatem fecimus domino nostro papae Benedicto, tibi manum sinistram damus. Tunc absconse et clam per noctem egressus est de castro Passarani dictus Benedictus pontifex, perrexitque Galeriam apud Girardum comitem Raynerii filium.

Tunc Hildibrandus archidiaconus per iussionem Nicolai pontificis perrexit in Apuliam ad Riczardum Agarenorum comitem, et ordinavit eum principem, et pepigit cum eo foedus, et ille fecit fidelitatem romanae ecclesiae, et dicto Nicolao pontifici, quia antea inimicus et infidelis erat tempore Leonis papae. Tunc dictus princeps misit tres comites suos cum nominato archidiacono Romam cum trecentis militibus Agarenorum in auxilium Nicolai pontificis. Tunc dictus Nicolaus cum ipsis et cum romano exercitu, qui ei fidelitatem fecerant, perrexit Galeriam ad obsidendum et expugnandum eam. Coeperunt expugnare castella, quae in circuitu eius erant, apprehendere, depraedari, et incendere; ubi multi sagittis perierunt ex utraque parte. Galeriam vero, quia erat fortissima, *capere non* potuerunt. Ad ultimum reversus est unusquisque ad propria. Agareni vero reversi sunt in Apuliam.

Tempore vero messis iterum dicti Agareni Romam venerunt ad dictum pontificem Nicolaum. Tunc Pontifex cum suis Romanis fidelibus et cum dictis Agarenis iterum ad obsidendum Galeriam perrexerunt. Tunc dictus comes metuens de obsidione Romanorum, paenituit se recepisse dictum Benedictum pontificem. Benedictus vero talia cum cognovisset, ascendit supra muros Galeriae, coepitque romanum populum signare et maledicere, taliaque dicere: vos me invitum nolentemque elegistis Pontificem, vos me securum facite;

ego renuo vester esse Pontifex. Triginta vero ex nobilibus romanis ei securitatis sacramenta fecerunt de vita de membris de mala captione, ut securus in urbe viveret ipse cum suis rebus. Dictus Nicolaus pontifex cum suo exercitu Romam est reversus; nominatus vero pontifex Benedictus exuit se pontificalibus vestimentis, et reversus est Romam in domum suam, ubi eius genitrix manebat apud ecclesiam beatae Mariae maioris, et ibi mansit diebus ·xxx·

Postea vero Hildibrandus archidiaconus per vim eum apprehendit, et secum duxit in basilicam constantinianam in ecclesiam sancti Salvatoris, ubi concilium ordinatum erat ante pontificem Nicolaum. Dictus vero Benedictus cum ante pontificem Nicolaum venisset ante altare dictae ecclesiae, expoliaverunt eum sacerdotalibus vestimentis, et nudo (1) in medio conventus positum est scriptum in manibus, ubi erant omnia crimina et peccata quae iniqui homines agunt. Ille vero cum legere renuisset, quia nolebat se de illis accusare criminibus, quae ad se nihil pertinebant, volens nolensque id invitus legit cum lamento et gemitu. Stabant autem ibi mater eius cum solutis crinibus, nudatis pectoribus, cum gemitu et luctu, ipsique eius propinqui percutiebant pectora sua et rigabant ungnibus ora sua. Post haec clamavit dictus archidiaconus dicens: audite romani cives facta vestri Pontificis quem elegistis. Postea iussit eum vestiri vestimentis suis, et induit eum omnibus pontificalibus indumentis, sicut Pontifex, et tunc deposuerunt eum. Postea dederunt ei in hospitium ecclesiam beatae Agnetis, ut ibi miserabiliter viveret,

(1) Nudus dicitur saepe non qui nulla veste tectus, sed qui honestiore sive exteriore spoliatus est, ut linguae latinae periti sciunt.

et privaverunt eum omni divino officio, ita ut non esset ausus in presbyterium ingredi ad laudes et obsequia Deo reddenda. Sed non multo post Suppus archipresbyter sancti Anastasii, qui erat spiritualis pater dicti Nicolai pontificis, rogavit eum ut dicto misero haberet indulgentiam. Tunc ei restituit usque ad epistolas legendas. Altera vero vice rogavit eum propter necessitatem loci, et restituit ei usque ad evangelium legendum. Ulterius voluit restituere ut missam caneret, propter multos fideles quos ipse in hac urbe habebat vel extra. Vixit autem usque ad pontificatum dicti Hildibrandi, qui Gregorius nominatus est; et mortuus fuit.

Post mortem vero eius dictus Suppus archipresbyter perrexit ad pontificem Gregorium, et notificavit ei de illius morte, dixitque ei quo ordine eum sepelirent, quia magnam pecuniam ille dum adhuc viveret dimiserat in romanum clerum. Ille vero fremuit, et dixit ut eum pontificali honore et obsequio sepelirent, coepitque flere et dicere, male illum numquam vidi, actorum paenitet. Sicque factum est, ut ipse praecepit, honorifice est sepultus in eadem basilica beatae Agnetis, ubi ei occurrit omnis romanus clerus.

ALEXANDER ·II·

Post mortem vero dicti Nicolai miserunt Romani legatos ad Henricum regem, qui tunc puer erat, ut pium rectorem sanctae romanae ecclesiae tribueret. Hoc audito Hildibrandus, qui tunc archidiaconus erat, illico perrexit Mediolanum, et duxit Anselmum qui tunc archiepiscopus erat dictae civitatis (1), cui posuerunt nomen Alexander. At rex misit Cadolum episcopum

(1) Anselmus patriâ quidem mediolanensis, sed episcopus lucensis.

parmensem cum manu valida. Tunc illi qui erant ex parte Alexandri coeperunt pugnare cum comite Pepo et aliis comitibus qui erant cum dicto Cadolo et cum Alamannis, qui erant fideles dicti regis; unde dissensio magna facta est in hac civitate romana, Cencius Stephani praefecti cum suis germanis, nec non et Cencius et Romanus germani Baruncii filii, ac Bilizo Zonnitonis de Caro et Ceucio, cum dicto Cadolo erant, eo quod essent fideles imperatoris. Leo vero de Benedicto Christiano cum dicto Hildibrando archidiacono erant ex parte Alexandri.

Ad ultimum commissa pugna in pratis Neronis, superati fuerunt illi qui erant ex parte Alexandri, et fugati sunt, et multi mortui fuerunt et capti, plures vero in flumine perierunt. Et apprehenderunt civitatem leonianam cum basilica beati Petri. Sed quia nox erat, mansit ibi nocte illa Cadolus. Tunc vero poterant eum consecrare Pontificem, nisi eorum fuisset insipientia, quia primitus eum consecrare voluerunt in ecclesia beati Petri ad vincula. Tunc Hildibrandus cum Leone data pecunia per urbem tota nocte illa*, mane facto non potuerunt (*qui erant ex parte Cadoli*) ad dictam basilicam pergere, unde intra civitatem multae pugnae ortae fuerunt et homicidia. Tunc Alexander venit in monasterium Capitolii, et Cadolus in turrim Cencii Stephani praefecti, quae est in ponte beati Petri. Tunc temporis dictus Cencius teuebat castrum sancti Angeli. Cotidie pugnae erant in civitate usque in regionem Campitelli. Postea vero pecunia deficiente, comites reversi sunt ad propria, Cadolus reversus est Parmam. Denuo vero congregata pecunia reversus est Romam, sed nihil ei profuit. Demum reversus Parmam, ibi mortuus est.

Paschalis secundus natus Ravennae, de oppido cui nomen Galliata, ex patre Crescentio, sedit annis ·xviii·, mensibus ·v·, diebus ·vi· Obiit in vigilia beatorum Vincentii et Anastasii, noctis tempore. Et cessavit episcopatus duobus diebus. Anno ab incarnatione Domini ·mcxi· mense februario die nona, indictione quarta, tempore domni Paschalis ·ii·, anno eius ·xii·. Henricus Teutonicorum rex cum magno exercitu in Tusciam venit, et missis Romam in porticum sancti Petri nuntiis, cum Petro Leonis et aliis domni Paschalis papae nunciis consilio habito, domnus Apostolicus misit ad eum suos legatos Sutrium, ut finem imponerent discordiae et liti, quae a tempore beatae memoriae septimi papae Gregorii inter Regem et Pontifices romanos de investituris exortae fuerant. Finis autem qualis fuerit, in consequentibus enarrabitur. Hoc pactum inter eos etc. *ut in vita edita Paschalis.*

Huius temporibus eo quod papa Paschalis noluit concedere praefecturam Petro filio iam quondam (1) aequivoci Petri praefecti, facta est coniuratio magna atque seditio in hac civitate romana. Nec non et cuncti comites qui circa romanam urbem fuerunt, simul coniuravere ex utraque parte, scilicet a parte Pontificis et a parte praefecti. Unde ortae fuerunt pugnae multae, et homicidia, et pestilentiae magnae, turres a fundamentis dirutae ac plurimae domus dissipatae, et ecclesiae depraedatae, ac clerici capti. Post demum victi fuerunt illi qui erant a parte Pontificis. Pontifex

(1) In margine adnotatur: *Anno .XVII. pontificatus Paschalis .II. PP. in die .VIIII. mensis aprilis obiit Petrus praefectus.*

vero metu perculsus fuga elapsus evasit de palatio lateranensi apud monasterium clivi Scauri. In eius munitione, quae dicitur Septisolium, moratus est nocte illa. Diluculo vero egressus de urbe perrexit ad civitatem Albanensem; deinde secessit in Campaniam.

Postea vero praefectus et consules miserunt legatos ad imperatorem Henricum ·III· ut Romam veniret. Ille vero cum talia audisset gavisus est valde, nihilque moratus cum magno exercitu Romam petiit. Mox data pecunia, maxima pars de populo Romanorum ei fidelitatem fecerunt. Ingressus Romam cum magnis laudibus atque honore reginam coronavit in die sancto pentecostes, et praefecturam per aquilam confirmavit dudum nominato praefecto. Mox Rex secessit in Galliam. Quid multa? Praedictus Pontifex mansit extra civitatem annis duobus, mensibus tribus minus. Tamen pugnae cotidie erant super Petro Leonis, quia fidelis erat dicti Pontificis, inter basilicam beati Petri et castrum sancti Angeli, et Capitolium, et Ripam. Postea vero fideles dicti Pontificis, simul et comites scilicet Petrus Columna ac Raynaldus Senibaldi clam revocaverunt illum. Sed non fuit ausus manere in civitate, et cum festinatione perrexit per Transtiberim apud castellum sancti Angeli; et coepit pugnare contra basilicam beati Petri (quia praefectus cum consulibus illam tenebat) cum ballistis, cum machinis et fundibulariis, quia iam coniurationes defecerant, et Romani non erant in ea voluntate in qua antea fuerant. Sed Dei indicio octava die suae reversionis dictus Pontifex obiit apud castellum sancti Angeli in domo iuxta aeream portam; et sepultus est in basilica constantiniana, quia consules non permiserunt eum in basilica beati Petri sepeliri. Haec ex registro Paschalis papae.

Gelasius secundus campanus natione, caietanus patria, ex patre Crescentio, qui S. R. E. diaconus et cancellarius erat, sedit anno ·I·, diebus ·V· Anno incarnationis dominicae ·M·CXVIII· concorditer electus in sede apostolica positus est. Post octo autem dies ob metuendum imperatoris Henrici adventum ad urbem, vix potuit cum paucis fratribus suis utcumque Roma exire ad civitatemque Caietam per mare confugere; ubi tam a clero quam a populo ipsius loci, et a circumpositis episcopis et aliis ecclesiarum praelatis digno cum honore susceptus, et cum veneratione Deo auctore tractatus est. Deliberat itaque cum episcopis suis et baronibus illarum partium apud ecclesiam Capuanam sacramentum consecrationis praeeunte sancti Spiritus gratia *accipere*, et regnum papale secundum ecclesiae morem cum gloria induit. Tunc autem idem Imperator levavit Mauricium bracharensem archiepiscopum, et adiunctis sibi paucis sancti Petri schismaticis, in sedem apostolicam cum violenter intrusit, qui a romano populo Burdinus est appellatus. Dominus autem Gelasius papa transactis paucis dictus, transiturus ad partes Galliarum, navibus praeparatis, cum fratribus suis episcopis et Cardinalibus mare intravit, et per Pisas ac Ianuam transitum faciens, ad sanctum Aegidium applicuit: ibique ad eius praesentiam concurrente archiepiscoporum, episcoporum, magnatum tam clericorum quam laicorum maxima multitudine, de statu ecclesiae et aliis, quae ad communem omnium salutem videbantur expedire, colloquium habuit. Postmodum vero per montem Pessulanum Tolosam et partes Arverniae transiens, Cluniacum pervenit, ubi ali-

quamdiu corporis infirmitate detentus ·IIII· kal. februarii migravit ad Dominum, et in ipso monasterio honorifice tumulatus est.

ITERUM DE GELASIO ·II·

Tertio post obitum Paschalis die electus est Gelasius in vigilia conversionis beati Pauli apostoli, qui fuerat primus diaconorum, et vice Friderici cancellarii et archiepiscopi coloniensis, et administravit pontificatum sicut Pontifex, et mansit in patriarchio lateranensi usque in diem Veneris ante quadragesimam. Consules vero miserunt nuntios ad Imperatorem, qui tunc in obsidione morabatur Veronae, et notificaverunt ei omnia quae acciderant per litteras. Ille vero nihil moratus est, sed cum festinatione Romam petiit cum paucis militibus. Die Veneris ante quadragesimam misit nuntios ad consules ut exirent obviam ei. Sabbato vero ante quadragesimam ingressus porticum sancti Petri, mox ut electus Pontifex de eius adventu audivit, egressus est de patriarchio lateranensi, et venit in regionem sancti Angeli in ecclesiam beatae Mariae sitam super fluvium Tiberim, ubi fideles eius erant, et mansit ibi tota die sabbati. Rex vero misit nuntios ad eum ut finem liti imponeret. Ille hoc audito, nocte navem ascendit, secessitque in patriam suam Caietam cum episcopis et Cardinalibus atque diaconis. Imperator vero eum talia audisset, consilio habito cum suis fidelibus perrexit ad basilicam beati Petri, ut inveniret consilium quid ageret. Illico consiliaverunt cum ut Pontificem ordinaret. Tunc elegerunt Mauricium archiepiscopum hispaniensem de civitate Bracharensi, et consecraverunt eum romanum antistitem in die Vene-

ris quatuor temporum, quae sunt mense martio, cui posuerunt nomen Gregorius.

Praedictus Gelasius altera die, hoc est die sabbati, ordinatus est presbyter, die dominico consecraverunt eum Pontificem. Non multo post egressus inde perrexit Beneventum, ibique ei dux et omnes principes Agarenorum fidelitatem fecerunt. Moratusque est ibi usque ad festivitatem apostolorum, et tunc reversus est Romam; sed non fuit ausus manere in patriarchio lateranensi, quia fideles Regi et Pontifici eius retinebant illud. Mansit autem in Ripa apud heredes Stephani Ocdonis in ecclesia beatae Mariae secundicerii. Altera die, quae fuit octava festivitatis apostolorum Petri et Pauli, perrexit ad basilicam beati Pauli, et ibi missam celebravit. Alter vero Pontifex, videlicet Gregorius, quem Romani nominant Burdinum, celebravit missam in basilica beati Petri. Non multo post Gregorius secessit ad civitatem Sutrinam, et basilicam sancti Petri suis reliquit fidelibus custodiendam. Dictus autem Gelasius postea ingressus est navem, secessitque in civitatem Pisanam, deinde perrexit in Franciam, ibique ex hac vita subtractus est.

CALLISTUS ·II·

. . . . Illi vero (1) non fideles sed infideles ei et Imperatori non diu perseveraverunt in sacramento fidelitatis et securitatis dictae basilicae beati Petri, quod eis fecerant, sed accepta pecunia tradiderunt eam Petro Leonis, qui fidelis erat Callixti papae, cum omnibus eius munitionibus. Postea vero data pecunia, plures equites

(1) Nempe quos Gregorius antipapa custodiendae basilicae sancti Petri praefecerat.

ac pedites Callixto pontifici in romana civitate fidelitatem fecerunt. Non multo post perrexit cum magno exercitu ad civitatem Sutrinam, ubi dictus Gregorius, qui dicebatur Burdinus, manebat. Octavo autem die illius obsidionis, dicti Sutrini dederunt eum in potestatem Callixti papae et Romanorum. Postquam vero in eorum venit potestatem, expoliaverunt eum vestimentis suis, et induerunt ei duas versas ovinas uleas, et posuerunt eum super camelum qui ferebat caldarias pontificis Callixti, et coeperunt sic reducere Romam ludibriatum et verberatum. Postea vero collocaverunt eum super unum vilissimum equum, et miserunt per Transtiberim cum multa iniuria et populi clamore ad Septisolium, ibique in vinculis eum clauserunt. Non multo post exinde illum extrahentes miserunt ad castrum Passarani (1), indeque eum abstractum amandaverunt in Apuliam ad monasterium sanctae Trinitatis. Mansit autem a tempore ordinationis suae, usque ad diem quo captus fuit, in pontificatu annis tribus, et mensibus duobus, diebus octo minus.

In Cincii camerarii memorato superius codice duo sunt chronica romanorum Pontificum; quorum prius, usque ad Caelestinum ·III·, catalogi potius nomine appellem, habetque in margine imperatores, cum nonnullis temporum gestis. Hunc ego catalogum praetermittendum censui: etenim mercis huius magna in codicibus copia est. Alterum chronicum non vitarum numero sed rerum copia paulo est diffusius usque ad Lucium ·II·, quae est ipsa scribentis actas. Sed tamen ne ex hoc quidem, praeter praefatiunculam, recitandum quicquam putavi, quae est huiusmodi.

(1) Ricobaldus ferrariensis in chronico suo dicit fuisse reclusum in arce Fumonis.

Venerabili patri et domino ·I· Priori, et ceteris fratribus, ·A· sacerdos licet indignus eiusdem ecclesiae omnium fratrum minimus, in Christo salutem.

Filiorum est praecepto patris obedire; et in iis quae ad communem utilitatem pertinere noscuntur, in quantum Spiritus sancti gratia largitur, pro posse et nosse, operam dare. Praecepto itaque et voluntati vestrae, diligende Pater, ut potui obedivi, et nomina et tempora vel actus romanorum Pontificum, a beato Petro apostolorum principe, usque ad nostra tempora in unum parvum volumen adunare curavi. Obsecro itaque ut quae corrigenda sunt, corrigatis; et pro tanto labore orationum vestrarum munus mihi humiliter petenti rependatis; quatinus apud auctorem nostrum Iesum Christum pro meis dignemini intercedere peccatis.

AD INNOCENTII ·III· VITAM ADDITAMENTUM.

Liber cui titulus gesta Innocentii ·III· PP. *ab auctore coaetaneo scriptus, et a Bosqueto, Balutio, et Muratorio etiam R. I. S. T. III. p.* 486-567. *editus, habet in capitulo ultimo (id est ·CXLV·) quamlam aedificiorum ac piarum Innocentii oblationum largitionumque recensionem. Porro v. cl. Fr. Hurterius in celebri suo de magni huius Pontificis vita rebusque gestis commentario ed. gall. T. II. p.* 846. *n.* 1. *adnotat, eo capitulo nonnisi largitiones ab Innocentio prioribus undecim pontificatus annis factas contineri; ideoque arbitratur multo maiorem fore numerum, si ad septem reliquos innocentianae vitae annos is catalogus protenderetur. Reapse cap. CXXIV. praedictorum gestorum versatur historicus in decimo Innocentii*

anno. In cap. autem ·cxl· undecimum annum videmus decurrere. Denique extremum capitulum ·cxlv· manifeste mutilum esse apparet tum per se, tum quia munificentiae Innocentii aliunde idm cognitae, et per ·xviii· et amplius pontificatûs aunos propagatae, cuius tot etiamnum monumenta extant, in praedicto capitulo vix centesima, ut ita dicam, pars narratur. Ecce autem in archii pontificii prisco codice multo plenior atque longissimus inventus est largitionum omnium Innocentii catalogus, ab eodem auctore qui gesta conscripsit confectus, et coronidis instar gestis additus. Cuius ego bonum nactus exemplar, libenter heic adscribo ceu curiosum et utile atque illustre vitae Innocentii additamentum, cui numerales notas distinctionis gratia interposui.

1. Basilicae sancti Petri *contulit* quartam partem oblationum de omnibus ministeriis, potestatem insignia plumbea vel stamnea faciendi, et proventus eorum; calicem aureum ·xvii· unc. et dimid., crucem auream cum pede argenteo deaurato, duos textus evangeliorum preciosissimos ex auro et smalto cum margaritis et gemmis, vestem rubeam preciosam cum pavonibus aureis ad ornatum altaris, planetam, tunicam, dalmaticam, et pluviale de candido examito, granatis et auriphrygiis decenter ornatum, amictum et cingulum, albam et stolas. Et subdidit ei ecclesias sancti Iacobi et sancti Leonardi in Septimiano, et ecclesias sanctae Mariae in Saxia, et sanctae Mariae in Transpadina. Item ei ad opus altaris regalem pannum cum suis imaginibus mirabiliter auro contextum, et unum amplum mantile de opere alamannico, unum par bacilium ar-

genti sex marcarum, et unum par candelabrorum, et unam telam panni deaurati optimam cum panno serico, et unam toalleam optimam de opere alamannico cum duobus frustis auriphrygii boni et lati. Absidam eiusdem basilicae fecit decorari musivo, et in fronte ipsius basilicae fecit restaurari musivum quod erat ex magna parte consumptum.

2. Oratorium quoque sancti Iohannis ad fontes reparari fecit muris et tectis. 3. Basilicae sancti Pauli tunicam, dalmaticam, et planetam de examito viridi bene paratas, et unam magnam purpuram auro contextam, et unum amplum mantile. Item eidem basilicae nobilem pannum cum imaginibus aurea textura mirabiliter insignitum ad opus altaris, et unam ampullam auri ·xxiii· unciarum et quart. ac dimidiam, ornatam undique lapidibus preciosis. Item pro musivo eiusdem basilicae centum libras et ·xvii· uncias auri. Concessit eidem basilicae Montemporculum in territorio tusculano. 4. Basilicae sanctae Mariae maioris vestem rubeam cum pavonibus aureis, pallam altaris, ampullas unam argenteam et aliam crystallinam ad ministerium sacrificii, et viginti libras ad reparationem tecti; et unum gutium argenteum deauratum sex marcarum minus duarum unc., et unum calicem ·xvii· unc. cum dimid. auri cum lapidibus preciosis et smaltis, et unam tunicam, et unam dalmaticam.

5. Basilicae sancti Laurentii foris muros vestem rubeam cum pavonibus aureis, et pallam altaris. Item eidem basilicae centum libras proventus, et unum pluviale de examito rubeo cum auriphrygio, et unum calicem auri ·xvi· unc. et dimid., et unum par bacilium argenti octo marcarum minus dimid. unc. Et iterum eidem basilicae centum libras pro ecclesia sanctae Agne-

tis (1), purpuram ad altare, et vas argcuti trium marcarum et ·LXX· librarum proventus pro reparatione basilicae sanctae Constantiae, et porticus ecclesiae sanctae Agnetis. 6. Basilicae sancti Laurentii intra palatium cappam auriphrygiatam de rubeo examito, et cupam duarum marcarum argenti. 7. Monasterio sancti Gregorii in clivo Scauri cappam auriphrygiatam de rubeo examito, purpuram, et baldachinum, et pallam ad opus altaris, et anulum aureum cum lapidibus preciosis.

8. Ecclesiae sanctae Mariae in Aventino planetas duas de examito videlicet rubeo et violaceo auriphrygio decenter ornatas, et centum libras provcutus pro molendino emendo. Item alia vice pro eodem triginta libras proventus, et unum magnum pannum sericum auro contextum. 9. Monasterio sancti Alexii purpuram deauratam ad opus altaris. 10. Ecclesiae sanctorum Sergii et Bacchi, quam deformem et minantem ruinam in diaconatu refecit parietibus, et tecto, pectoralibus, et altari cum gradibus, in pontificatu fecit fieri porticum columnatam (2), dando ei cappam de violaceo examito cum auriphrygio, baldachinum et pallam ad opus altaris, capsam eburneam, corporalia et pyxidem pro eucharistia, basilicam * de factura lemovica, et libras ·xx· Item eidem naviculam argenteam, et unum cochlear argenteum septem unciarum et dimid., et unam planetam examiti rubei cum auriphrygio, et unum auriphrygium pro amictu, et unum amplum mantile cum auriphrygiis et fimbriis sericis ad opus altaris, et unum calicem deauratum decem et octo unc. argenti. Item eidem centum libras proventus.

* ita cod.

(1) Ergo iam tum sanctae Agnes ecclesia sub. iurisdictione erat, ut nunc etiam, basilicae sancti Laurentii.

(2) Sic in gestis cap. IV.

11. Ecclesiae sancti Marci turibulum argenti, centum massemutinas, et totidem solidos, vestem sericam deauratam ad opus altaris. Item eidem centum libras proventus, et unam candelam argenti quinque marcarum, et duas unc. cum ·xii· obolis aureis. Item eidem ·xx· obolos aureos, et alia vice centum libras. 12. Ecclesiae sancti Laurentii in Damaso vestem rubeam cum pavonibus aureis, cappam de rubeo examito cum auriphrygio, et centum libras. 13. Ecclesiae sanctae Mariae Rotundae planetam et dorsale cum auriphrygio decenter ornatum. 14. Ecclesiae sancti Thomae de Hispanis planetam et cappam de examito rubeo cum auriphrygio, vestem deauratam pro altari, et pallam et decem libras. 15. Ecclesiae sancti Andreae de unda planetam de rubeo examito. 16. Ecclesiae sancti Stephani in Laterano planetam de examito rubeo decenter ornatam. 17. Ecclesiae sancti Stephani de schola cantorum cappam examiti rubei cum auriphrygio decoratam. 18. Ecclesiae sanctae Pudentianae tres libras pro reparatione ipsius. 19. Ecclesiae sancti Thomae de forma ·xx· libras pro recolligenda quadam terra eiusdem. 20. Ecclesiae sancti Martini de montibus unam vestem rubeam cum listis aureis pro altari. 21. Ecclesiae sancti Marcelli unam vestem nigram cum aureis avibus pro altari. 22. Ecclesiae sancti Stephani in Coelio monte vestem nigram cum avibus aureis ad opus altaris.

23. Ecclesiae Fossae novae pro consummatione aedificii eiusdem ecclesiae centum libras. 24. Ecclesiae sanctae Mariae de Roscillo iuxta Gabinianum unam planetam examiti rubei cum auriphrygio; et apud Signiam concessit ei ecclesiam sancti Simeonis cum tenimentis suis. 25. Monasterio Casemarii pro fabrica

ipsius ducentum unc. auri, possessiones vero pro una grangia iuxta Castrum. 26. Ecclesiae sanctae Mariae de Rundenario sitae in episcopatu Cumano unam planetam de purpura rubea, et aliam de nigra purpura, et unam dalmaticam rubeam crocco colore guttatam, et unam tunicam rubeam insignitam quibusdam opusculis aureis, et auriphrygio decenter ornatam, et unam stolam sericam cum auriphrygio apparatu. 27. Ecclesiae Hortanae unam planetam de examito rubeo cum auriphrygio decenter ornatam, tunicam de limite caelesti, et unam dalmaticam, et unum auriphrygium. 28. Ecclesiae sanctae Mariae de Campitolio * unam planetam de examito rubeo auriphrygio laudabiliter decoratam. 29. Ecclesiae sanctae Crucis unam planetam de purpura. 30. Ecclesiae Anagninae unum catassamitum cum listis aureis, et unum bacile argenti. 31. Ecclesiae sanctae Mariae de Ageruia unum pallium deauratum. 32. Ecclesiae Viterbiensi cappam de examito rubeo auriphrygiatam, et anulum pontificalem. * ita cod.

33. Misit patriarchae Bulgarorum planetam, dalmaticam, et tunicam examiti albi cum auriphrygio convenienter ornatas, et magnum anulum cum quinque topaciis, quem ad suum usum habuerat, mitram auriphrygio insignitam, camisum, amictum, stolam, manuale, cinctorium, caligas, sandalia, chirothecas, et alia ornamenta quae conveniunt patriarchae (1). 34. Episcopo etiam Brunduorbeusi *, qui ad praesentiam domini Papae accessit, unum anulum aureum cum smaragdo, et mitram cum auriphrygio decenter apposito. 35. Ecclesiae sanctae Mariae in Saxia unum pallium ad opus altaris, unam toalleam de opere alamannico de auri- * ita cod.

(1) Confer de his muneribus ad Bulgaros missis etiam gesta cap. LXXVII.

20

phrygio integro ibidem decenter apposito, unam planetam auriphrygiatam examiti rubei, unum pluviale de examito rubeo auriphrygiatum, unum calicem argenteum deauratum, unam ampullam argenteam pro vino, aliam ampullam crystallinam pro aqua, unum par candelabrorum argenti quinque marcarum, et unum par bacilium argenti quinque marcarum et quinque unc., unam toalleam pro servitio altaris, item aliam planetam, camisum, amictum, et stolam, capsam argenteam marcarum ... habentem in fronte crucem auream unc. .., in cuius medio erat lapis onychinus habens sculpturam Christi spoliantis infernum, et in extremitatibus extensi brachii duos sapphiros, et in summitatibus erecti brachii duos granatos, in angulis autem hyacinthum, amethystum, chalcedonium, et sapphirum.

36. Monasterio Sublacensi unam planetam de .., et unam examiti rubei cum auriphrygio decenter ornatas, et ·xxx· libras proventus. 37. Rectoribus romanae fraternitatis unum dorsale, et unam amplam toalleam de opere alamannico. Item eidem pannum sericum cùm stellis aureis, quia consecravit altare in eadem ecclesia ad honorem virginis Mariae, ad cuius etiam opus dedit optimam toalleam de opere alamannico. 38. Ecclesiae sanctae Sabinae unum par bacilium argenti duarum marcarum, et quinque unc. argenti. 39. Pro restauratione ecclesiae sancti Pantaleonis, quae combusta fuit, tres libras. 40. Ecclesiae sancti Salvatoris de monte Amiato iuxta Radicofanum unam planetam de examito rubeo auriphrygiatam. 41. Ecclesiae sancti Lotharii (1) Reatinae, cuius altare idem dominus Papa consecravit, unum pallium cum leonibus. 42. Ecclesiae sancti Iohannis Reatinae unum pannum sericum

(1) In gestis cap. XI. dicitur Eleutherii.

cum parvis leopardis. 43. Ecclesiae sanctae Mariae de Spoleto, cuius altare consecravit (1), unum pallium sericum. 44. Ferentinensi ecclesiae unam planetam de examito rubeo auriphrygiatam.

45. Basilicae ·xii· apostolorum triginta libras ad reparationem ipsius. 46. Fecit etiam inquiri per omnes Urbis ecclesias, quae calices argenteos non haberent, et singulis non habentibus contulit calices pro reverentia sancti mysterii corporis et sanguinis Iesu Christi. Numerus autem eorum fuit centum triginta trium, pondus vero centum marcarum argenti. 47. In capella sua vasa auri posuit universa, cruces videlicet et candelabra, calicem et turibula, ampullas et profusoria, capsulas et bacilia, et cetera quae ad usum altaris sunt opportuna; sed et anulos aureos in omni specie lapidum preciosos, indumenta quoque pontificalia de universis coloribus multiplicia ornata ex auro margaritis et gemmis, mitras insuper preciosissimas et pulcherrimas ex smalto cum perlis subtiliter operatas, chirothecas similiter et sandalia, ut adeo dives capella visa non fuerit tam in materia quam in forma.

48. Quia vero non tantum honorabile sed utile censuit ut summus Pontifex apud sanctum Petrum palatium dignum haberet, fecit ibi fieri domos istas de novo, capellaniam, cameram, et capellam, panattariam, bucellariam, coquinam, et marescalciam, domos cancellarii, camerarii, et eleemosynarii; aulam autem confirmari praecepit, et refici logiam, totumque palatium claudi muris, et super portas erigi turres. Emit etiam domum intra clausuram palatii quam ad habitationem medici deputavit. 49. Apud Lateranum autem fecit praeparari palatium quod est supra capellaniam,

(1) Gesta loc. cit.

in quo nondum romanus Pontifex habitaverat, tabulatum super cameram, et caminum in camera faciens, cameram egestivam, et camerulam super absidam, et undique circa palatium affirmatum cossas altas et amplas, quas vulgariter scontros appellant. Fecit etiam apud domum eleemosynariam fieri duas cameras terminatas; item cameram iuxta capellam, et oraculum ante speculum, et domum pro clibano. Consistorium fecit pavimentari, et gradus marmoreos ad eiusdem ascensum.

50. Circa familiares suos liberalissimus extitit, conferendo illis beneficia et honores. Nam de capellanis suis hos promovit ad dignitates, Hugolinum in diaconum Cardinalem sancti Eustachii, quem postea fecit episcopum ostiensem; Leonem in presbyterum Cardinalem sanctae Crucis; Iohannem in presbyterum Cardinalem sanctae Mariae in Cosmedin, quem postea fecit romanae ecclesiae cancellarium; Petrum in presbyterum Cardinalem sanctae Pudentianae; Nicolaum in episcopum tusculanum; Iohannem in diaconum Cardinalem sanctae Mariae in via lata; Octavianum in Cardinalem sanctorum Sergii et Bacchi; Iohannem in diaconum Cardinalem sanctorum Cosmae et Damiani; Paulum in hortanum episcopum; Benedictum in episcopum fundanum; Rainerium in episcopum tuscanum; Iohannem in episcopum furconensem, quem postea transtulit in episcopum perusinum; Aegidium in episcopum ferentinum; Petrum in episcopum militensem; Saxonem in episcopum aprutinum; Raynaldum in archiepiscopum capuanum; Bartholomaeum in episcopum tranensem; Blasium in archiepiscopum turritanum; Raynaldum in archiepiscopum acheruntinum; Odonem in episcopum valvensem; Iohannem in abbatem san-

ctae Euphemiae. Porro Petrum Ismahelem, qui fuerat doctor eius in urbe, fecit sutrinum episcopum; et Petrum de Corbolio, qui fuerat doctor eius Parisiis, fecit cameracensem episcopum, et postea promovit eum in archiepiscopum senonensem. Circa clericos autem honestos et litteratos, maxime pauperes, adeo munificus fuit, ut absque dubio pluribus ipse fecerit ubique terrarum per orbem in ecclesiasticis beneficiis provideri, quam a quadraginta retro annis per suos fuerat praedecessores provisum.

51. Quia vero superfluitas multa nimis abundat in saeculo, maxime in praelatis, ut eos corripere posset liberius et corrigere, illius exemplo qui coepit facere et docere, ad talem se mediocritatem reduxit, quod vasa aurea et argentea in lignea et vitrea commutavit; pelles armellinas et grisias transtulit in agninas. Mensam suam tribus ferculis voluit esse contentam, et capellanorum suorum duobus, nisi magna sollempnitas aut aliqua necessitas amplius postularet; remotisque laicis viros religiosos adhibuit ad cotidianum ministerium mensae, ut ei a personis regularibus honestius serviretur; consuetis tamen officiis viris nobilibus reservatis, qui festivis diebus secundum morem deserviebant in eis. 52. Quandam moderatam summam de thesauro ecclesiae separavit, et in sequestro deposuit pro urgenti necessitate, siqua forsitan immineret. Reliquum vero thesaurum paene totum erogavit hoc modo.

53. Mille libras proventus erogavit in subsidium Terrae sanctae. 54. Centum libras proventus in auro monialibus acconensibus. 55. Pro emendis possessionibus ad opus hospitalis sancti Spiritus in Saxia mille marcas argenti, ex quibus sexcentae marcae fuerant in vasis, et quadringentae in plactis auri. 56. Ad con-

struenda aedificia sancti Sixti ad opus monialium quingentas uncias auri regis. 57. Et mille centum libras proventus ecclesiae sanctae Agnetis. 58. Centum libras proventus pro reparatione ecclesiae sancti Quirici. 59. Centum libras proventus monasterio sancti Anastasii. 60. Ducentas libras monasterio sancti Gualgani de Tuscia. 61. Centum libras monasterio Fallensi (1) de denariis, quos ei mutuaverat dominus Papa, remisit. 62. Centum libras monasterio sancti Pancratii. 63. Quinquaginta libras proventus monasterio sancti Bartholomaei de Trisulto pro aedificiis. 64. Centum libras monasterio Fossae novae. 65. Centum libras proventus Monasterio Casemarii. 66. Centum libras proventus monasterio Mammosoli. 67. Centum libras proventus ecclesiae sanctae Mariae de Aventino. 68. Centum libras proventus ecclesiae sancti Basilii. 69. Centum libras proventus monasterio Ferrariae. 70. Decem uncias auri regis ecclesiae sancti Sebastiani. 71. Quinquaginta libras proventus hospitalibus de Urbe. 72. Quinquaginta libras proventus pro opere sancti Viti de macello. 73. Decem libras proventus fratri Guidoni rectori hospitalis sancti Spiritus. 74. Centum libras proventus eremitis de Albano. 75. Quinquaginta solidos monialibus de Butrino iuxta Viterbium. 76. Decem libras senenses monialibus sancti Leonardi de Terreto. 77. Decem libras senenses hospitali de Rigo sanguinario. 78. Quadraginta solidos senenses monasterio sancti Martini de monte iuxta Viterbium. 79. Mille libras senenses ecclesiae sancti Nicolai de Corneto. 80. Centum libras senenses ecclesiae Vetrallae. 81. Decem libras senenses fratri Guillelmo procuratori sancti Spiritus in Saxia.

(1) Num Farensi, aut Farfensi?

82. Ducentas libras proventus ecclesiae sancti Petri et vestem preciosissimam cum perlis et auro, et unam magnam toalleam auriphrygiatam cum perlis. 83. Ecclesiae sancti Iohannis de Insula unam planetam de examito rubeo. 84. Ecclesiae sanctorum Iohannis et Pauli de Ferentino unam planetam de examito rubeo, et unam toalleam auriphrygiatam. 85. Ecclesiae sancti Angeli de spatha Viterbiensi unum pluviale de examito rubeo. 86. Ecclesiae sancti Sixti unam planetam de examito rubeo. 87. Ecclesiae sanctae Mariae novae Viterbiensi unum pluviale de examito rubeo. 88. Ecclesiae Tuscanae dimidium pallium et unam toalleam ad opus altaris. 89. Ecclesiae sancti Nicolai de Corneto unam planetam de purpura. 90. Ecclesiae Sutrinae dimidium pallium et unam toalleam. 91. Ecclesiae sanctae Mariae de Iuliano unam planetam de examito rubeo auriphrygiatam. 92. Ecclesiae sanctae Mariae in Saxia duas magnas toalleas alamannicas. 93. Monasterio casinensi unum amplum dorsale ad opus altaris. 94. Portuensi episcopo unam planetam de examito viridi. 95. Ostiensi episcopo unum baldachinum. 96. Iohanni de Columna sanctorum Cosmae et Damiani diacono Cardinali unam planetam de examito nigro, et unam dalmaticam de diaspro. 97. Archiepiscopo ravennati camisum, amictum, tunicam, dalmaticam, et planetam de examito rubeo auriphrygiato, cum stola et manipulo. 98. Ecclesiae lateranensi unum magnum calicem auri cum patena ponderantem ·LXII· uncias auri. 99. Monasterio Fossae novae unam cuppam auream ·XLII· unciarum et dimidiae, quando ipsius consecravit altare. 100. Ecclesiae sanctae Restitutae apud Soram pluviale de examito rubeo auriphrygiatum. 101. Ecclesiae cathedrali civitatis eiusdem purpuram auro textam.

102. Pro viduis et orphanis maritandis mille libras. 103. Nobilium filios, quos valettos appellant, ab aula sua prorsus amovit, dans singulis summam pecuniae, de qua cingulo militari possent honorabiliter insigniri, quae usque ad mille libras ascendit. 104. Non solum autem orphanis et viduis, pauperibus et infirmis eleemosynam tribuit, verum etiam ad domesticos et propinquos, tam clericos quam laicos, huiusmodi liberalitatem extendit, quae summa quatuor milia librarum excessit.

Sic desinit opus in codice archii pontificii.

DE NONNULLIS SCRIPTIS CANONICIS MONITUM.

Romanorum pontificum vitas ius pontificium recte subsequitur; quare et ego constitui, canonicarum aliquot nondum editarum collectionum saltem specimina seu summaria hoc libro meo complecti; ampliora deinde daturus, si per aetatem, et per stationis occupationes, perque reliqua rerum adiuncta licebit. Et quia S. Gregorius hoc nomine septimus in mea vitarum editione postremus tempore est, S. Anselmum lucensem inter canonici iuris consultos primum ponam, qui cum Gregorio amicissime vixit, ipsoque hortante, ut creditur, tractatum suum canonicum scripsit, in tredecim libros distributum, quo nullus ante ipsius saltem aetatem neque uberior, neque doctior, neque celebrior utiliorve creditus est; id quod eius summaria nunc a me edita demonstrabunt. Age vero de hoc insigni Anselmi opere idcirco pauca ac prope nulla praefabor, quia de ipso cum alii plurimi locuti sunt, tum novissime vir cl. P. Augustinus Theinerus (disquisit. critic. cap. VI.) cuius infinitam canonici iuris scientiam, ex antiquis fontibus haustam, quis exaequet? Atque

is praeclaram suam de Anselmi collectione disputationem sic p. 382. concludit « una tandem eademque virorum do- » ctorum sententia est, ut S. Anselmi lucensis collectio ty- » pis edatur. » Reapse Anselmum divulgare promiserunt vel cogitaverunt Lucas Wadingus, Lucas item Dncherius, Andreas Rota, M. A. Monsacratus, qui tamen omnes partim operis mole, quae me quoque terret, partim aliis casibus a suscepto consilio depulsi fuerunt: quare Anselmus post tot de ipso deliberationes ac promissiones, intra forulos bibliothecarum mss. adhuc iacet. Et vaticana quidem Pontificis maximi bibliotheca septem saltem Anselmi codices servat, quorum duo perveteres sunt et auctori ferme coaevi, quamquam undecimo libro de paenitentia uterque caret, qui tamen a recentiore exemplari belle suppletur. His ego circumfusus Anselmi divitiis quid agerem? Si totum imprimendum typis committerem, otium mihi tanto operi, ut par est, adornando deerat. Infinitos enim ab Anselmo citatos canones, patres veteres, iuris etiam civilis auctores, ac varii generis testes, quis non videt, in suis quemque sedibus esse quaerendos lydioque lapide explorandos? ne, quod olim Gratiano accidit, molesta auctoritatum et operum confusio fieret, spuria etiam scripta cum germanis pari iure haberentur, quam certe in Gratiano colluviem vix magno labore ac vigiliis Ant. Augustinus, romani correctores a Pontifice maximo deputati, postremoque quatuor editis voluminibus Sebastianus Berardus, expurgarunt. Haec igitur cogitanti mihi nihil interim aptius manifestando Anselmi operi visum est quam si plurimorum capitulorum rubricas seu titulos ad litteram heic describerem: neque enim, ut dixi, cunctas Anselmi partes complector, id quod ab instituto naturaque speciminis alienum est: praeter quam quod in omni vetere vel gravi scripto nonnulla esse solent, quae sine idoneis explicationibus efferri non debent. Utinam vero prologum operi Anselmus praeposuisset, in quo procul dubio multa scitu digna futura erant! Verumtamen nullus hactenus codex cum auctoris prolegomenis repertus est.

Anselmi aequalis Bonizo fuit, sutrinus primum episcopus, deinde placentinus, postremo ob ecclesiasticae disci-

pliune custodiam suunque erga Gregorium pontificem studium, schismaticorum manu martyr effectus. Huius collectionem canonicam seu decretum, libris decem comprehensum, tres servant codices, nempe vindobonensis a Lambecio descriptus, brixinuus qui praesertim per Ballerinios innotuit (dissert. de antiq. coll. can. part. 4. cap. XV.) et denique recens romanus apud RR. Canonicos SS. Salvatoris, quem R. P. Vincentius Garofalus archiep. laodicenus peculiari his annis diatriba illustravit. Mirari vero ac dolere licet, quod vaticana bibliotheca, cui potissimum competit, Bonizonis decretum, ut certe puto, non habeat. Igitur praeter illa, quae de hoc Bonizonis opere a praedictis triumviris dicta fuere, nihil mihi disserendum superest. Sed tamen ut a me quoque docti homines de Bonizone aliquid haberent, brevem retro edidi notitiam romanorum Pontificum, partim ex Albino inedito, partim eam quam sibi ex aliquo praedictorum Bonizonis codicum Laur. Zacagnius describendam curaverat, et cum aliis romani pontificatus monumentis, quae prelo parabat, si vita comes fuisset, copulaturus erat.

Post Anselmum ac Bonizonem, ad Cardinalem Deusdedit curas mens translaturus eram, qui Victori ·III·, Gregorii ·VII· successori, novam canonum collectionem in quatuor libros diffusam inscripsit, quam vaticanus codex praestantissimus Cardinali ipsi coaevus continet, aliique aliquot ex eo derivati. Verumtamen praefationem quidem Ballerinii (dissert. praed. part. 4. cap. XIV.) iam inde ab anno 1757. publici iuris fecerunt, quod ignorans v. cl. A. Gallettius eamdem rursus anno 1762, in commentario de vita Card. Passionei p. 29. lectoribus obtulit. Ne rubricae quidem capitulorum praedicti operis mihi reliquae erant, quas v. cl. A. Zacharias an. 1780. in tomo altero dissertationum italic. ad hist. eccl. pertin. diss. IV. sollerter divulgavit. Excerpta denique pontificiarum epistolarum seu decretorum Gelasii ·I·, Pelagii ·I·, Honorii ·I·, Gregorii ·II·, Stephani ·IV·, Eugenii ·II·, Iohannis ·VIII· nec non impp. Lotharii, Othonis, et Henrici, curiose more suo ex codice Cardinalis Deusdedit, nec non ex Anselmo, iamdiu carpserat vir vi-

gilantissimi ingenii Lucas Holstenius, atque in illam contulerat bipartitam syllogen, quae Romae post eius fata an. 1662. lucem aspexit. Sed ecce rursus Ballerinii fratres loc. praed. nonnullas decretales epistolas ex eodem Deusdedit sibi vindicarunt. Quae quum ita se habeant, multo tamen plura in praedicto doctissimi Cardinalis codice, itemque in Anselmo, adhuc supersunt, quae vel meam vel cuiusvis demum industriam ut divulgentur expectant.

Gregorii quoque presbyteri codex vaticanus mihi ad manus fuit, qui sub polycarpi titulo collectionem aeque canonicam, anno trigesimo vel paulo plus post antedictas, octo libris comprehensam composuit. Hoc enim admirandum accidit, ut una eademque aetas tantam iuris canonici magistrorum (quos inter fuit ipse Gratianus) copiam effuderit. Attamen haec Gregorii collectio spuriis Isidori mercibus apprime scatet. Praefatio eius apud iam dictos Ballerinios cap. XVII., rubricae vero apud Theinerum op. cit. p. 343-353. extant. Neque enim indignum est opus, cui studiosus aliquis curam impendat. Postremo altera est nondum edita collectio canonica in basilicae vaticanae codice, quam Cardinalis Laborans quinque libris constantem, et in partes ·XXXIII· subdivisam, sexaginta fere post Gregorium presbyterum annis grandi opere instruxit; sed quia docti duumviri Zacharias dissertatione ·XIV· inter latinas, Theinerus vero disquisitione sexta inter criticas, tum auctorem tum librum copiose patefecerunt, praeludium etiam, et rubricas seu titulos, atque alia specimina protulerunt, satis iam verborum super hoc Laborantis codice fluxisse putabo. Nunc anselmiani operis rubricae, saltem plurimae ac praecipuae, recitandae sunt.

SANCTI ANSELMI EPISCOPI LUCENSIS

COLLECTIO CANONICA

IN LIBROS TREDECIM DISTRIBUTA.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI,

QUI EST DE PRIMATU ET EXCELLENTIA ROMANAE ECCLESIAE.

1. Quod post Christum a Petro sacerdotalis ordo coepit.

2. Quod sacrosancta romana ecclesia caput omnium ecclesiarum a Domino est constituta.

3. Quod beatus Petrus concessam sibi potestatem suis tradidit successoribus.

4. Quod praepositi non laeduntur dum a fratribus propter iustitiam odio habentur.

5. Quod Christum non recipit qui Papam contristaverit.

6. Quod nec loqui debemus cui Papa non loquitur.

7. Quod beato Petro a Domino concessum est ceteris praeesse apostolis, ipsis volentibus.

8. Quod ad formam apostolorum facta est quaedam distinctio episcoporum, quibus tamen sedes beati Petri praeminet.

9. Quod ecclesia romana omnibus praeest ecclesiis, sicut beato Petro datum est praeminere ceteris apostolis.

10. Quod super unum, id est Petrum, aedificavit Dominus ecclesiam suam.

11. Ut nemo a romana ecclesia dissentiat, quae caput est omnium ecclesiarum.

12. Quod a regulis romanae ecclesiae nullatenus convenit deviare.

13. Quod ecclesia romana nunquam a fide erraverit.

14. Quod Papa debet universali ecclesiae subvenire, et quicquid in ea nocivum est corrigere.

15. Ut antiochena ecclesia romanae sit subiecta, nec ab eius dissentiat dispositióne.

16. Quod romanam ecclesiam beati Petri sacerdotio Dominus ditavit; et quod prima salus est a constitutis patrum non deviare, et quod in sede apostolica semper est catholica servata religio.

17. Quod romana ecclesia ipsius domini voce Salvatoris omnibus praelata est.

18. Quod apostolica sedes firmamentum est omnium episcoporum, ecclesiarumque omnium vertex.

19. Ut prima sedes a nullo iudicetur.

20. Ut omnes ecclesiae statuta romanae ecclesiae conservent.

21. Ut nemo apostolicae sedis iudicium iudicare aut retractare praesumat.

22. Quod apostolica sedes caput est omnium ecclesiarum.

23. Quod romana ecclesia singulari privilegio potestatem habet ligandi et solvendi.

24. Quod apostolicae sedis praesul a nullo nisi a Deo iudicandus est.

25. Quod Papa vices suas alteri, et suae sedis etiam subdiacono committit, ubi praesens esse non potest.

26. Quod Papae tacere non licet, quod in querelam potest venire.

27. Quod ad sedem apostolicam ab episcopis referatur, dum in fidei ratione dubitatur.

28. Quod Papa ex divina institutione universis ecclesiis principaliter curam debet.

29. Quod sedis apostolicae auctoritate iudicentur quae difficultatem diiudicationis habere videntur.

30. Quod romana ecclesia principatum a Domino accepit, et Marcus a magistro papa Petro non dissensit.

31. Ut omnes catholici sequantur quod sedes apostolica docet.

32. Ut omnium ecclesiarum statûs Papa curam habeat.

33. De eadem re.

34. De eadem re.

35. Quod romana ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, et numquam a fide erraverit.

36. Quod apostolica sedes numquam haereses fovet sed destruit.

37. Quod navis beati Petri non turbatur.

38. Quod non sit liberum Apostolico dissimulare vel tacere.

39. Quod habet Apostolicus a beato Petro fiduciam et auctoritatem defendendi fidem.

40. Quod Papae maior cunctis necessitas corrigendi incumbit.

41. Quod traditio romanae ecclesiae a reliquis observetur ecclesiis, quae ab ipsa principium acceperunt.

42. Quod non aliter de scripturis sentiendum quam sancti patres docuerunt.

43. Quod Papa ipsius sedis reverentia cogitur studiosus pro omnibus esse.

44. Quod non sit recedendum ab apostolicis institutis.

45. Ut nullus decreta sedis apostolicae temerare praesumat.

46. Quod apostolica sedes universae praesit ecclesiae.

47. Quod sedes beati Petri fas habet iudicandi de omni ecclesia, sed nemo de illa.

48. Quod sedes apostolica absque synodo possit solvere inique dampnatos.

49. Quod apostolica sedes uniuscuiusque synodi sua auctoritate confirmatae servare debet constitutum.

50. Ut irritum sit quicquid in apostolica sede absque Apostolico decernitur.

51. Quod Petrus regni caelorum claves accepit ut aliis aperiret.

52. Quod auctoritas congregandarum generalium synodorum soli apostolicae sedi sit commissa.

53. Quod Papa a solo Deo sit iudicandus.

54. Ut nemo ea quae apostolicae sedi sunt concessa usurpet sine eius consultu.

55. Quod sanctus Petrus ius ligandi atque solvendi Lino et Cleto non tradidit (1).

56. Quod in una catholica ecclesia vera Christo hostia immolatur.

57. Quod ab apostolica sede fidei veritas est inquirenda.

58. De petitione nicaeni concilii, ut ab apostolica auctoritate confirmetur.

59. De petitione aegyptiorum episcoporum pro ·LXX· capitulis nicaeni concilii.

60. Quod romana ecclesia semper immaculata permanserit et permanebit.

61. Quod beati Petri sedes sacerdotalis mater est dignitatis et magistra ecclesiasticae rationis.

62. Ut nulli sit fas temerare divina et apostolicae sedis instituta.

(1) Loquitur ex eorum sententia qui Linum et Cletum non pontifices ac successores Petri, sed eius tantummodo adiutores fuisse putant. Recole p. 9.

63. Quod romana ecclesia omnes instituit ecclesiasticas dignitates; et qui ei suum privilegium auferre conatur, in haeresim labitur.

64. Quod qui comederit agnum extra ecclesiam beato Petro commissam, profanus est.

65. Quod pro fide Petri Christus specialiter rogavit.

66. Quod romana ecclesia ab ipso Domino primatum obtinuit, et quod Petrus et Paulus una die sua eam morte consecraverunt; et quod ipsa prima sedes est, secunda alexandrina, tertia antiochena.

67. Quod evangelica auctoritate prima omnium est romana ecclesia, et quod Petrus et Paulus una die mortui sunt.

68. Quod romana ecclesia non synodicis sed evangelicis institutis primatum obtinuit.

69. Quod Petrus et Paulus doctores sunt gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum.

70. Quod nemo potest accedere ad beati Pauli corpus, vel sudarium eius, de cuius catena interdum limari potest, interdum minime.

71. Quod auctoritate pontificum et potestate regum mundus regitur; et regalis tamen potestas subiecta pontificibus esse debet.

72. Quod sacerdotibus imperatores obedire debent, non iubere.

73. De constantia papae Agapiti contra Iustinianum augustum, quem tandem ad pedes suos humiliavit.

74. De obedientia et honore quem Tiberius imperator exhibuit Papae.

75. Quod imperatoribus fas non est curiose de spiritualibus negotiis agere.

76. Quod Stephanus papa Pipinum in regem provexit.

CAPITULA LIBRI SECUNDI,

QUI EST DE PRIMATU ROMANAE ECCLESIAE
ET LIBERTATE APPELLATIONIS.

1. Ut difficiliora iudicia ad sacerdotes deferantur.

2. Ut omnes eam sequantur religionem quam divus Petrus apostolus edocuit.

3. Ut frustratoriae dilationis causa appellationes non fiant.

4. Ut difficiliores causae et maiora negotia ad apostolicam sedem, si appellatum fuerit, deferantur.

5. De eadem re.

6. Quod ad romanam ecclesiam ab omnibus oppressis appellandum est, a qua omnes maiores ecclesiae causae terminandae sunt.

7. Quod omnes, quibus necesse fuerit, ad romanam ecclesiam suffugere eamque appellare debent absque impedimento, et nullus episcopus iudicetur vel audiatur nisi in synodo apostolica auctoritate convocata.

8. Ut pulsatus episcopus licenter sedem apostolicam appellet, vocatus veniat, nec nisi formatis instructus revertatur.

9. Quod absque auctoritate apostolica nulli liceat episcoporum causas definire, quamvis scrutari liceat comprovincialibus episcopis.

10. Ut appellationis remedio vitiata causa relevetur, et in supplicio etiam destinato vox appellandi non negetur.

11. Ut in gravioribus episcopi pulsati ad sedem apostolicam confugiant, quae per se aut suos vicarios negotium eorum retractare procuret.

12. Ut primates accusatum episcopum discutiant,

sententiam vero dampnationis sine apostolica auctoritate non proferant.

13. Quod dubiae ac maiores causae ab apostolica sede debent terminari.

14. De eadem re.

15. Quod alieno errore maculatus, vel a suo proposito recedens, vel apostolicae sedi inobediens, non est suscipiendus.

16. Quod romana ecclesia fas habet iudicandi de omnibus, de illa vero nullus; et potestatem solvendi iniuste dampnatos, ac dampnandi quos oportuerit absque synodo.

17. Ut nihil de fugiente ad romanam ecclesiam sine eius praecepto iudicetur; si vero quis secus praesumpserit, ab officio submoveatur.

18. Quod appellantium episcoporum et cunctorum maiorum negotia apostolicae sedi debent reservari.

19. Quod alienus sit a divinis et pontificalibus officiis, qui apostolicae sedis noluerit obedire praeceptis.

20. Ut nullus metropolitanorum causas episcoporum sive aliorum agere praesumat, nisi quae ad propriam pertinent parochiam.

21. Quod Papa omnium ecclesiarum curam debet habere, et beati Petri sedes sacerdotalis mater est dignitatis, et magistra ecclesiasticae rationis.

22. Quod Papa restituit episcopos iniuste principum timore dampnatos, et omnia sua reddi praecipit.

23. Quod apostolica sedes ab aliis ligatos potest solvere, ab illa vero ligatos nemo.

24. Quod Papa reparare potest iudicia dampnatorum.

25. Quod apostolica sedes vim habet convocandi synodos, et iudicandi omnes maiores ecclesiae causas.

26. Quod ideo romanae sedi concessa sunt privilegia de congregandis conciliis et iudiciis et restitutionibus episcoporum, ut omnibus oppressis succurrat.

27. Quod veritas saepius exagitata manifestius clarescit.

28. Ut ad apostolicam sedem transferantur quae alibi finiri non possunt.

29. Ut ad apostolicam sedem referatur, siqua dissensio inter fratres oriatur.

30. Ut causae ecclesiarum ab episcopis ventilatae corroborentur ab apostolica sede, si ratae debuerint permanere.

31. Ut purgatio episcoporum non fiat sine consensu romani Pontificis vel aliorum pontificum.

32. Quod Papa decreta canonum ita librare debet, ut quae necessitas temporum relaxanda exposcit, temperet quantum fieri potest.

33. Ut nec concilium nominetur quod sine consensu Papae congregatum fuerit, et ut difficiliores quaestiones ad ipsum referantur.

34. Quod apostolicae sedi summarum dispositiones causarum ab ipso Domino traditae sunt; et ut sacerdotes non accusentur apud publicos indices.

35. Ut episcoporum finitiva iudicia ad sedem romanam referantur, et in ecclesiis eorum non alii praeponantur donec negotia eorum iuste ibi terminentur.

36. Ut accusatus episcopus alieno iudice non constringatur, sed apud suos episcopos causa eius discernatur, finis vero ad apostolicam sedem deferatur.

37. Quod apostolica sedes auctoritatem habet universae ecclesiae subveniendi, atque nociva corrigendi et emendandi.

38. Ut difficiliores singularum provinciarum quaestiones ad sedem apostolicam referantur.

39. Quod absque auctoritate sedis apostolicae nulla potest synodus regulariter congregari; nec episcopus qui eam appellavit, potest sine ipsa dampnari.

40. Ut nemo suspicionis arbitrio iudicetur; et quod sola sedes apostolica privilegium habet a temporibus apostolorum iudicandi episcopos.

41. Quod ab apostolis eorum successoribus statutum est, ut absque romani Pontificis sententia nec concilia celebrentur, nec episcopi dampnentur; et sicut beatus Petrus primus erat apostolorum, sic romana ecclesia primatum habet omnium ecclesiarum.

42. Quod romanae sedi a tempore apostolorum concessum est, et in nicaena synodo confirmatum, ut absque eius sententia nullus episcopus dampnetur aut depellatur.

43. Ut omnes observent quod apostolica sedes observat.

44. Ut absque apostolica sede nec concilium celebretur, nec episcopus dampnetur.

45. Quod papa Iulius eos increpat qui praeter ipsius sententiam concilium fecerant, et episcopos dampnaverant, quos ipse suscepit et in suas ecclesias restituit.

46. Quod irritum sit concilium nisi fuerit Apostolici auctoritate firmatum.

47. Quod apostolicae sedi privilegia specialiter sunt concessa de congregandis conciliis, et iudiciis ac restitutionibus episcoporum, et de summis negotiis ecclesiarum.

48. Ut in causis episcoporum sententia Papae expectetur.

49. Quod episcopi ab apostolica sede ordinationes,

dogmata, sublevationes debent recipere, et de maioribus causis nihil praeter ipsam decernere.

50. Ut apostolicam sedem appellet qui metropolitanum suum vel ceteros episcopos habet suspectos, et quod ipsa potestatem habet iniuste dampnatos et excommunicatos restituere, et sua eis reddere, quia caput est omnium ecclesiarum.

51. Ut accusatores et accusati episcopi coram Papa conveniant, et ibi causae eorum retractentur, et firmentur aut infirmentur, sicut antiquis consuetum est regulis.

52. Ut contentiones inter clericos et laicos a comprovincialibus episcopis terminentur, maiores vero ad sedem romanam transferantur.

53. Dum in fidei ratione dubitatur, debent episcopi ad sedem beati Petri hoc referre.

54. Quod Papa non per se sed per legatos conciliis provincialibus solet interesse.

55. Quod de iudicio sedis apostolicae nullus debeat iudicare, ipsa vero de omnibus.

56. Ut siquis iudicio provincialium episcoporum depositus fuerit, Papam adeat, et ipse, si videtur ei, retractet.

57. Ut difficiliores quaestiones ad sedem apostolicam referantur.

58. Ut praegravati a comprovincialibus episcopis vel metropolitano, sedem apostolicam appellent, et nullam interim molestiam patiantur, donec ibi res finiatur.

59. Quod metropolitano cum omnibus comprovincialibus episcopis summas ecclesiasticas causas licet discutere, sed non definire, nec episcopum dampnare, nec synodum congregare absque apostolicae sedis auctoritate.

60. Quod statuta maiorum nullo modo sint neglegenda, nec usurpanda quae non sunt concessa.

61. Quod episcopi non possint regulariter synodum congregare praeter apostolicam sedem.

62. Ut iudicium renovetur, si romana iudicaverit ecclesia renovandum.

63. Sicut inter apostolos fuit discretio potestatis, ut unus aliis praemineret, sic inter episcopos ordinatum est ut singulis provinciis singuli praesint, quibus tamen omnibus romana praeest ecclesia.

64. De invectione contra remensem archiepiscopum pro Rothardo episcopo quem ipse appellantem apostolicam sedem dampnavit.

65. Quod nemo potest ab his qui inferioris sunt dignitatis vel ordinis iudicari.

66. Quod constantinopolitana ecclesia, sicut et ceterae omnes, romanae sedi debet esse subiecta.

67. Quod quisquam sibimet non assumat honorem, sicut et Christus se ipsum non clarificavit sed pater.

68. Quod etiam inferioris gradus clericorum causae apud sedem apostolicam sunt finiendae, dum tempus aut res exegerit.

69. Quod apostolicae sedis sententia tanti consilii deliberatione debet proferri, ut nec retractatione nec immutatione egeat, nisi sic prolata sit ut retractari possit.

70. Ut anathema sit quicumque contra Papam verba infamantia composuerit, aut quemquam patriarcharum inhonorare temptaverit.

71. Quod apostolica sedes intra Italiam, ac ceteras Hispaniae provincias, et intra totius Illyrici fines, consecrationes, ordinationes, et depositiones patrare antiquitus consuevit.

72. Quod Papa ordinaverit ravennatem episcopum; et de obedientia mediolanensis archiepiscopi, et de consecratione ticinensis antistitis.

73. Ut siquis episcopus a comprovincialibus episcopis condempnatur, alius in eius loco non ordinetur, dum apostolicam sedem appellat, nisi ab ipsa determinetur.

74. Quod quaedam sunt quae nulla ratione convelli possunt, quaedam vero pro necessitate et aetatum consideratione oportet temperari, ut evangelicis praeceptis ac decretis patrum non sit contrarium.

75. Quod nicaenae synodo nullum potuit fieri praeiudicium a multitudine Arimini congregata, quia romana ecclesia nullum ei dedit assensum.

76. Quod episcopi debent observare quae a romana ecclesia sunt iudicata.

77. Quod accusati episcopi, aut condempnandi sunt apostolica auctoritate, aut eius auxilio fulciendi.

78. Quod nemo praeter apostolicam auctoritatem debet episcopum dampnare.

79. Ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus episcopis licenter Papam appellet, qui eius causam retractet, et in loco eius interim alius non ordinetur.

80. Quod pulsato, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare.

CAPITULA LIBRI TERTII,

QUI EST DE ORDINE ACCUSANDI, TESTIFICANDI, ET IUDICANDI.

1. Quod homicidae, adulteri, et cunctis criminibus alligati, et infames, atque laici et quicumque coaequales non sunt, episcopos accusare et vexare non debent.

2. Quod infames sunt qui adversus patres armantur, et sacerdotes vel ecclesias conculcant. Hi episcopos accusare non possunt.

3. Qui a proposito suo ceciderit, et apostolicis iussis non obedierit, infamis est.

4. Enumeratio earum culparum, quibus infames notantur.

5. Item qui sint infames, et qui accusare episcopos non possint; et quod statuta patrum, si labefactari coeperint, apostolica denuo auctoritate roborentur.

6. Quod infamis accusare non debet, et qualiter quis accusare vel indicare debeat, et cetera.

7. Ut qui sanctos patres persequuntur, infames habeantur, et ab ecclesia usque ad satisfactionem arceantur.

8. De his qui suscipendi non sunt, et infames censentur.

9. Ut qui suae legis vel religionis normam reliquerit, aut recte prohibita neglexerit, ad accusationem non admittatur.

10. Quod deteriores sunt morum corruptores, quam rerum raptores.

11. Quod accusatores sacerdotum non debent audiri, nisi prius vita eorum et intentio discutiatur.

12. Quod episcopi a populis non sunt arguendi, et de quibus non sint etiam accusandi.

13. Quod hi qui hodie aut nudiustertius inimici fuerunt, accusare vel testificare non possunt.

14. Item de eadem re, quod hi sacerdotes accusare non debent, qui sacerdotes esse non possunt.

15. Quod suspecti, et inimici, et facile litigantes, et pravae conversationis, et qui non tenent ac docent rectam fidem, accusatores esse non possunt.

16. De eadem re.

17. Ut nullus alienigena accusator sit vel iudex, sed nec servus aut libertus vel suspectus et infamis.

18. Item de his qui ad accusationem et testimonium non admittendi sunt.

19. Item de eadem re.

20. Item de his quibus accusare non licet; et ne accusatus alios habeat iudices, praeter quos ipse elegerit, aut suo consensu sedes apostolica.

21. Ut accusandi vel testificandi licentia denegetur his, qui christianae religionis et nominis dignitatem, et suae legis vel propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint.

22. Ut nemo clericum trahat ad saeculare iudicium sine consensu episcopi.

23. De eadem re.

24. Quod infami et sacrilego adversus christianum non licet dicere testimonium, et ut ecclesiastici iudices causam non audiant quae legibus non continetur.

25. Ut nec laici nec hi, quoscumque saeculi leges non admittunt, episcopos vel clericos accusare praesumant.

26. Ut etiam habitantes cum inimicis, et omnes laici ab accusatione clericorum amoveantur.

27. Ut clericus criminatus sua in provincia audiatur, et ut sententia iudicis quae absente accusato datur, irrita sit, et proditoris calumnia non audiatur.

28. Quod nec clerici laicos, nec laici clericos in sua accusatione debent recipere.

29. Ut si laicus contra clericum causam habeat, episcopum adeat.

30. Quod episcopus si in fide erraverit, primo est corrigendus; si non emendaverit, accusandus est ad apostolicam sedem.

31. Quod accusatio episcoporum nonnisi ab idoneis et probatissimis viris fieri debet.

32. Ut accusatus episcopus communione non privetur, nisi die statuta venire nöluerit.

33. Quod iudicium subterfugientibus absentia procurata non prosit.

34. Ut detractores et inimicorum fautores ab episcopali amoveantur accusatione, neque in re dubia certa detur sententia.

35. Ut qui causas habet contra pastores vel ecclesias eorum, primo caritative expectet emendationem; quod si ante infestare praesumpserit, excommunicetur.

36. Quod hi qui culpam suorum produnt praepositorum, Cham sententia, qui patris pudenda non operuit, dampnentur.

37. Quod non potest humano condempnari examine, quem Deus suo reservavit iudicio.

38. Quod non passim et facile fieri debent sacerdotum vel pastorum accusationes.

39. Ut accusatus episcopus ·XII· sibi iudices eligat qui eius causam iuste decernant, finis vero causae ad Papam deferatur.

40. Siquis episcopus absque tempore synodi in crimine detentus fuerit, a ·XII· episcopis audiatur.

41. Ut inferiores gradus superiores non accusent; et in quot testibus episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, et ceteri condempnandi sint.

42. Quod oves pastores reprehendere non possint, nisi in fide erraverint, et quod expoliati non debeant ad synodum vocari, nisi prius eis bona sua fuerint restituta.

43. Ut nemo episcopum vel quemquam clericorum apud saecnlares iudices accuset.

44. De eadem re, et ut vocato ad synodum con-

gruum spatium detur. Aliter non respondebit nisi voluerit; et ut accusatores et accusati aequaliter audiantur.

45. Ut nullus iudicetur nisi legitimos habuerit accusatores praesentes.

46. Quod nullus metropolitanus absque comprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas.

47. De episcopis sine romana auctoritate expulsis, ut sua eis redintegrentur.

48. Ut nemo expoliatum episcopum praesumat excommunicare.

49. Item ut expoliatis omnia reddantur, et tantum spatii quanto expoliati sunt detur, ante quam ad synodum vocentur.

50. Ut accusatus legitime episcopus vocatus ad synodum veniat; si non potest, legatum pro se mittat; ipse vero a communione non prohibeatur, nisi ·vi· vel plures menses venire distulerit.

51. Ut iudex ante suam non proferat sententiam, quam peractis quae in quaestione sunt, ad rei veritatem perveniatur, et induciae non parvae ad inquirendum dentur.

52. Ut nullius accusatio vel testimonium per scriptum recipiatur, sed propria voce praesente eo qui pulsatur.

53. Ut persona, fides, et conversatio accusantium Domini sacerdotes diligenter exquirantur.

54. Quod accusatores omni suspicione et infamia carere, et rectae fidei et bonae vitae esse debent.

55. Ut ea quae adversus absentes aguntur, evacuentur.

56. Ut inferiores ordine non accusent superiores, et in re dubia certa non detur sententia, et absens nemo iudicetur.

57. De his qui non possunt accusare episcopos, et quod non debeant episcopi ante reintegrationem omnium rerum suarum ad obiecta respondere.

58. Ut nec falsi nec inimici nec suspecti suscipiantur in accusatione.

59. Ut hi qui episcopis crimina impingunt, per se ipsos faciant, si tamen inreprehensibiles ipsi sint.

60. Item de his qui ad accusationem non sunt admittendi.

61. Ut nemo sit praeceps ad proferendam sententiam, vel passim dictis credendum vel iudicandum aut dampnandum quemquam ante veram et iustam probationem.

62. Ut nihil contra quemlibet accusatum absque legitimo accusatore fiat.

63. Quod accusatus episcopus non dampnetur nisi apostolica auctoritate aut confessus aut canonice convictus.

64. De eadem re, et de numero legalium testium.

65. Quod sacerdos non debet iudicare quemquam nisi confessum aut convictum.

66. De excommunicatis apud vicinos episcopos audiendis.

67. Quod dampnatio vel absolutio eius irrita est, cuius causa non est subtiliter examinata, et quod propter extortam confessionem dampnari nullus debet.

68. Quod in ecclesiasticis negotiis dicta etiam causa recedere licet ac differre si necesse fuerit, sed in saecularibus minime.

69. Quod accusati alios criminari non possunt, nisi prius expurgati fuerint.

70. Ut nemo simul sit accusator, iudex, et testis, sed singuli sint per se idonei.

71. Item de his qui accusare sacerdotes non possunt; et ut quisque episcopus in sua audiatur provincia, et de libertate appellationis.

72. Ut omnis accusatio intra provinciam terminetur, nisi sedes apostolica appellata fuerit.

73. De eadem re.

74. Ut episcopus congregata legitime synodo ab omnibus comprovincialibus audiatur, si accusatores legitimi sunt; sin autem, non fatigetur accusatus.

75. Ut iudex ante suam non proferat sententiam, quam accusatus ipse aut confiteatur, aut iuste convincatur.

76. Ut in omnibus diligenter inquiratur causis, quae sint, quomodo, quales sint.

77. De illatione criminis, et ut accusator rei poenam incurrat, qui quod obiecit probare non potuit.

78. Ut provinciae suos habeant iudices, nisi Papa aliter voluerit.

79. Ut adversus episcopum nemo conqueratur prius quam eum familiariter conveniat.

80. Ut episcopi suis sedibus sine apostolica auctoritate expulsi restituantur, et tunc obiectis respondeant. Qui vero loca eorum subintraverint, ab ecclesia arceantur.

81. Quod iudices et accusatores suspicione debent carere.

82. Quod ita nocens iudicium subterfugit, sicut innocens requirit.

83. Sicut nemo debet sine iusto iudicio dampnari, sic quae iuste iudicata sunt non debent differri.

84. Quod iniustum iudicium et definitio alicuius potentis metu vel iussu ordinata non valet.

85. Quod non licet imperatori quicquam agere, quod apostolicis regulis contrarium sit.

100. De congreganda synodo in Chalcedonensium civitate.

101. Quod imperatores ad chalcedonense concilium convenerunt non ad potentiam ostendendam, sed ob fidem confirmandam.

102. Ut siquis litem habens iudicium expetit episcoporum, mox illi concedatur; et quod illi firmaverint, nullus audeat iudex retractare.

103. Ut episcopi et ceteri ordines ecclesiastici ad publicas leges non pertrahantur.

104. Ut administratores saecularium dignitatum dum ab episcopis et ecclesiasticis viris conventi fuerint, querimonias eorum diligenter examinent et corrigant.

105. Ut praesides litteras accipiant communicatorias cum promoti fuerint, et sint sub cura episcopi in cuius loco praesidatum gerunt.

106. Quod Spiritum sanctum blasphemant, qui contra sacros canones proterve agunt.

107. De eadem re.

108. De Liberio papa, et admonitione eius (1).

109. De exilio Liberii papae, et Felice eius consilio ordinato.

110. De canonica dampnatione Nestorii.

111. De Iohanne antiocheno et episcopis quos ipse iniuste dampnavit.

112. Quibus canonibus vel regulis iudicandum sit.

113. De clericis a saecularibus non fatigandis.

114. De eadem re.

115. Quod excommunicatus ad accusationem admitti non debet.

(1) Nempe allocutione eius ad clerum romanum.

CAPITULA LIBRI QUARTI,

QUI EST DE AUCTORITATE PRIVILEGIORUM.

1. Ut privilegia ecclesiarum et monasteriorum inviolata permaneant.

2. Quod privilegia ecclesiarum et monasteriorum auctoritate sanctorum patrum instituta, non debent improbitate convelli aut novitate mutari.

3. Quod privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate.

4. Quod contra sacerdotale propositum est monasterii privilegia confundere, et quietem eius perturbare.

5. Ut privilegia et ordinationes quae Papa praesente sunt dispositae, a nullo convellantur vel mutentur.

6. Quod Papa sicut suae ecclesiae privilegia, ita singularum debet ecclesiarum iura defendere ac servare.

7. Ut ea quae ob religionis quietem ordinata sunt, non violentur.

8. Ut monasteria nullus contra voluntatem fundatoris sibi vindicet.

9. Ut semel ordinata nulla refragatione turbentur.

10. Ut constantinopolitana civitas suam habeat gloriam et non ambiat alienam.

11. Ut imperatores obediant episcopis.

12. Ut imperatores habeant privilegia legis publicae, et sacerdotes habeant dispositiones universarum ecclesiarum.

13. Ut clerici suis rebus licenter gaudeant.

14. Ut fideles christiani perpetua securitate potiantur.

15. Ut custodes sacrorum locorum nullam molestiam sustineant.

16. Ut privilegia ecclesiis facta permaneant inviolata.

17. De eadem re.

18. Ut privilegia ecclesiae qui violaverit ·XII· libras auri persolvat.

19. Privilegium Imperatoris de venerabilibus locis.

20. Item privilegium de libertate clericorum ac monachorum.

21. Item de quibus necessitatibus ecclesiae singularum urbium habeant immunitates.

22. Ut nemo audeat ab ecclesiis quomodolibet tollere vasa sacra vel vestes seu cetera donaria.

23. Ut procurator provinciae capitali sententia vindicet iniurias quae ecclesiis vel ecclesiasticis viris importantur.

24. Ut episcopi per ecclesias clericos ordinent quotquot unicuique videntur competere.

25. Ut nemo de fide christiana quaestionem audeat amplius movere, quae reverentissimis synodis confirmata est.

26. Ut qui promulgata ab Apostolico pro catholica fide et ecclesiastica disciplina contempserit, anathema sit.

27. De eadem re, et quod privilegium statutum est Christi.

28. Ut non liceat Apostolico praedia ecclesiae perpetualiter alienare vel commutare, nisi forte domus urbis pro clericis et captivis et peregrinis.

29. Ut eadem lege ceteri episcopi et presbyteri constringantur, qua summus Pontifex.

30. Ut privilegia ·XXX· annos possessa a nullo saecularium subtrahantur vel violentur.

31. Ut nemo patrimonia romanae ecclesiae petat, et siquis quomodolibet subtraxerit, anathema sit.

32. Item de eadem re.

33. Quod Constantinus imperator Papae concessit coronam et omnem regiam dignitatem in urbe romana et in Italia et in partibus occidentalibus.

34. De provinciis et civitatibus quas imperatores romanae ecclesiae concesserunt et praecepto confirmaverunt. (*Est diploma Ludovici imp.*)

35. De eadem re (*nimirum sunt diplomata Otho-*

36. Item de eadem re (*nis et Henrici impp.*

37. Ut nemo beati Petri proprietatem usurpet vel sciens occultet, vel debitum non reddat servitium.

38. De discretione inter divinum ius et publicum ac privata commoda.

39. Quod prima sedes a nullo est iudicanda.

40. Ut nullus regum censuram canonum violari permittat.

41. Ut ex propria dioecesi a clero et populo episcopi eligantur.

42. Ut res ecclesiis concessae nullam divisionem vel iacturam patiantur.

43. Quod Papa petit sibi ab imperatore restitui iura et possessiones romanae ecclesiae.

44. Ut unicuique ecclesiae suus honor servetur.

45. Quod pannonica dioecesis deputata est privilegiis apostolicae sedis.

46. Ut constituta apostolicae sedis et sanctorum patrum irrefragabiliter observentur.

47. Item de eadem re.

48. Item de eadem re.

49. Ut unicuique sacerdotum sui iuris limites sufficiant.

50. Quod quicquid semel contra aliquam haeresim decretum fuerit, inconcussum permanere semper debet.

51. Confirmatio privilegiorum quae sacrosanctis ecclesiis facta fuernut.

52. Ut privilegia catholicis facta non prosint haereticis.

53. Item confirmatio privilegiorum quae locis venerabilibus facta sunt.

54. De peculio clericorum quasi castrensi.

55. Quod non solum episcopis sed etiam sacerdotibus liceat verbum praedicationis proferre.

CAPITULA LIBRI QUINTI,

QUI EST DE IURE ET ORDINATIONE AC STATU ECCLESIARUM.

1. Quod ecclesia una est, licet habeat membra diversa.

2. Quod profanus est qui unitatem non servat ecclesiae.

3. Quod ecclesia domus Dei, columba appellatur, et sponsa, et quod potestatem accepit ligandi et solvendi.

4. Ut novae basilicae non consecrentur absque auctoritate sedis apostolicae.

5. Item de eadem re.

6. Ut publica missa non fiat in ecclesia, quae sine consensu Papae fuit dedicata.

7. De consecranda ecclesia cum sollempni dote, in qua fundator nihil proprii iuris retineat.

8. Quod non liceat laico praeter Papam in ecclesia statuere id est ordinare quicquam.

9. Ut nullam potestatem statuendi in ecclesia aut disponendi de facultatibus eius habeat laicus.

10. De eadem re.

11. Quod Papa licentiam dat consecrandi ecclesiam.

12. Quod Papa, cui cura debet esse omnium ecclesiarum, visitationis vicem in Capuana ecclesia alteri cuidam episcopo committit.

13. De consecratione ecclesiae si altare movetur.

14. Ut altaria, in quibus non fuerint reliquiae, destruantur.

15. Ut status parochiarum nulla ratione mutetur.

16. Propter tres causas loca sanctorum commutari possunt.

17. Quod ligna ecclesiae ad laicorum opus non sunt admittenda.

18. De paenitentia eius qui ecclesiam comburit.

19. Ut facultates ecclesiarum ·xxx· annos possessae, stabiles exinde permaneant.

20. Quod ecclesia quae apostolicae praedicationis fundamenta non possidet, deserenda est.

21. Ut ecclesiae Arrianorum catholicae consecrentur.

22. Ut dedicationes ecclesiarum et sacerdotum singulis annis sollempniter celebrentur; et si de dedicatione ecclesiae dubitatur, iterum consecretur.

23. De eadem re.

24. Quod Papa duas dioeceses uni episcopo committit.

25. De eadem re.

26. Quod ecclesiarum parochiae vel possessiones per tricennium quiete possessae, inconcusse permaneant.

27. Quod tricennalis possessio territorii conventum non adimit.

28. De tricennali possessione intra unam provinciam.

29. Ut oratorium non consecretur absque auctoritate sedis apostolicae.

30. Quod sacrilegus est qui sacerdotes Dei insequitur, et qui ecclesias depraedatur.

31. Quod monasteria vel xenodochia, quae ex pecunia pro sacris ordinibus data construuntur, mercedi non proficiunt sed nocent.

32. Qualiter ecclesiae pecunia sit servanda.

33. Quod providendum est religiosis, ut loca commoda habeant, ne patientes necessitatem desides fiant.

34. Quod decimae tributa sunt egentium animarum.

35. Quod decimae tantum dari plebibus debent.

36. Ut sacrilegus habeatur qui praedia divinis usibus tradita subtrahit.

37. De eadem re. Et quod res ecclesiae non propriae sed communes esse debent.

38. Ut propriis usibus non applicetur quod pro communi utilitate datur.

39. Quod sacrilegium est ea retinere quae sanctis locis relinquuntur.

40. De his qui loca sancta infringunt, et aliquid inde abstrahunt.

41. De his qui res alienas vel oblationes ecclesiasticas rapiunt.

42. Quod licet ecclesiasticis viris alienata ab ecclesiis cum fructibus suis reposcere.

43. Quod baptismus in monasterio non fiat.

44. Ut res ecclesiae nemo dare vel accipere praesumat praeter episcopum vel cum cui hoc commissum est.

45. Quod si nimia necessitas alicui episcopo incumbit, non tamen debet ecclesiae redditus distribuere, nisi primum insinuaverit primati provinciae.

46. Ut qui domum Dei violaverit, et inde aliquid abstulerit, communione privetur.

47. Ut possessiones ecclesiae non alienentur, nisi

religiosis clericis vel monasteriis aut peregrinis, et hoc temporaliter.

48. Quod ministeria ecclesiae pro captivorum redemptione vendenda sunt.

49. Ut decimae a laicis non possideantur.

50. Quod res sacrae nullius sunt, nec alienari debent nisi pro captivis.

51. Ut qui converti voluerit, medietatem rerum suarum ecclesiae, cui subiectus est, dimittat, et sic ad monasterium vadat.

52. Ut nullus abbas decimas vel primitias teneat sine auctoritate apostolica vel episcopi proprii.

53. De quodam abbate constituto a papa Gregorio.

54. Ut nullum constituatur monasterium sine conscientia episcopi sui, et ut omnes monachi episcopo subiecti sint.

55. Quod non liceat monasteria quae sacrata sunt, diversoria saecularia fieri.

56. Ut irritum habeatur siquis res ecclesiae a regibus expetit, et ipse communione privetur.

57. Si quis ecclesiarum vel xenodochiorum facultates abstulerit, ut necator pauperum excommunicetur.

58. De libertate monachorum et monasteriorum.

59. Ut monasteria releventur a gravamine clericorum.

60. Quod clerici non debent monasteriis praeponi.

61. Ut monasterium nullam patiatur calumpniam in his rebus quas ·XL· annos possedit.

62. Ut episcopi vel oeconomi vel orphanotrophi vel xenodochi nihil hereditarie possideant, nisi quod ante ordinationis horam possederunt.

63. Qui contra pacem ecclesiae sunt, aut rebus suis expolientur, aut verberibus caesi exilio deputentur.

CAPITULA LIBRI SEXTI,

QUI EST DE ELECTIONE ET ORDINATIONE ET DE OMNI POTESTATE SIVE STATU EPISCOPORUM.

1. Ut Papa incolumi nullus ambiat papatum; et de electione alterius, si ipse adhuc vivens nihil inde disposuerit.

2. Ut sanctum esse nemo dubitet, quem apostolicae dignitatis apex iuste attollit.

3. Item de eligendis episcopis, ut puris mentibus fiat, et nullum pretium interveniat.

4. Ut in electione romani Pontificis nullus impedimentum aliquod faciat.

5. Ut irrita sit omnis electio episcopi vel presbyteri vel diaconi quae a principibus fit.

6. De his qui se a populo electos asseverant.

7. Ut extranei non praeponantur his qui bene servierunt in ecclesiis suis.

8. Quod non licet populo electionem facere episcoporum.

9. Quod episcoporum electio non ex favore debet esse sed ex iudicio cautissimi examinis.

10. De quodam electo in episcopum quem beatus papa Gregorius reprobavit, et alium fecit eligi atque consecràvit.

11. Quod vivente romano vel alio pontifice nullus electionem praesumat facere.

12. De electione Pontificis.

13. Quod invasorem apostolicae sedis liceat Cardinalibus excommunicare et expellere.

14. Ut ab ambitione omnes cessent, et ille Papa permaneat quem clerus cum consensu populi elegerit.

15. Qui eligendus est episcopus, non sit laicus, non neophytus, non secundae coniugis aut viduae maritus.

16. Ut ad electionem metropolitani episcopi omnes provinciales episcopi conveniant: quod si in duos se diviserint, ille praeponatur qui melioribus meritis iuvatur.

17. Quod principatus quem seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etsi non moribus, tamen exemplo initii est perniciosus.

18. Quod grave sibi parat dampnum qui sublimat indignum episcopum.

19. Ut longa probatione vitam bonam monstrent, quibus gubernacula ecclesiae sunt committenda.

20. Nequis laicorum principum vel potentum se interserat electioni vel promotioni episcoporum.

21. Ut de aliena ecclesia episcopus non eligatur, nisi dignus in propria non inveniatur.

22. Quod de altera ecclesia non eligatur episcopus, si in ea dignus invenitur.

23. Quod mediolanensis episcopus iubente Papa ordinatus est.

24. Quod monachi vel laici nisi per gradus ecclesiae non debeant ad summum sacerdotium pervenire.

25. Quod nullus romanus eligatur Pontifex nisi unus ex Cardinalibus.

26. Qui sit neophytus; et ut ipse ad summos ordines non prosiliat.

27. De laicis qui ambitionis causa tonsurantur, et fiunt subito sacerdotes.

28. Quod secundum proprietatem nominis episcopus non est, qui dilexerit praeesse et non prodesse.

29. Quod miserum est eum fieri magistrum qui numquam fuit discipulus.

46. De ordine consecrationis episcoporum.

47. Item de ordinatione episcoporum, qualiter, qua die, qua hora, fieri debeat.

48. Quod non oportet episcopum a paucioribus quam a tribus episcopis ordinari.

49. Qualiter consecrentur episcopi.

50. Ut praeter conscientiam metropolitani nullus ordinet episcopum, sed nec unus solus.

51. Quotiens ordinantur antistites in principalibus quatuor sedibus, debent vicissim synodicas mittere, quibus profiteantur generales synodos custodire.

52. De auctoritate quatuor conciliorum synodica sancti papae Gregorii.

53. De ordinatione in sabbato sancto post baptisma.

54. De ordinatione in sabbato sancto paschae celebranda.

55. Ut electus episcopus, siqua contradictio insurrexerit, quinque episcopis expurgetur.

56. Quod episcopus moriens non debet alium pro se tamquam heredem episcopum constituere.

57. De eadem re.

58. Quod ordinato Papa ex communi consensu, quicumque illo superstite subintraverit, profanus erit.

59. Qui ab unitate ecclesiae recesserit, nec episcopi potestatem habere potest nec honorom.

60. Ut privilegium amittat, qui permissa abutitur potestate.

61. Nequis invitus ordinetur.

62. Ut perdat vim ordinandi qui illicitas ordinationes fecerit.

63. Ut ab illicitis ordinationibus abstineatur.

64. Ut inter episcopos vel abbates non habeantur nec audiantur, qui de laicis hanc susceperint dignitatem, et idem de inferioribus gradibus.

65. Ut laicae potestates non praesumant dare ecclesiasticas dignitates.

66. De sacrificiis episcoporum, qui contra Dei voluntatem fiunt.

67. Quod plebs a malo praeposito separare se debet, et alium eligere dignum.

68. Ut inter episcopos non habeantur qui nec a clericis sint electi, nec a plebe expetiti, nec canonice consecrati.

69. Ut nullus per ambitum accedat ad episcopatum.

70. Ut ex laicis non fiant subito sacerdotes, neque per simoniacam haeresim.

71. De eadem re.

72. De eadem re.

73. Quod ordinati ab haereticis dampnationem, potius quam consecrationem accipiunt.

74. De eadem re. Et ut aliae mulieres cum sacerdotibus non habitent nisi quas canones permittunt.

75. Quod non solum a munere pecuniae, sed et a munere obsequii et linguae cessandum est.

76. Quod simoniacus est qui pro electione praemia largitur.

77. Qui contra simoniacam et neophytorum haeresim vehementer non arserit, partem habebit cum illis a quibus incepit.

78. De dampnatione eorum qui donum Dei emunt vel vendunt.

79. De dampnatione haeresis simoniacae.

80. Ut omnis qui per pecunias dederit vel acceperit sacrum ordinem, a gradu suo decidat.

81. Quod non oportet episcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.

82. Sicut sacros ordines, ita et pallium, neque per gratiam vel preces dari oportet.

83. Ut pro ordinatione vel usu pallii, seu chartarum atque pastelli, nihil commodi detur.

84. Ut siquis metropolitanus intra tres menses consecrationis suae ad fidem suam exponendam palliumque suscipiendum ad sedem apostolicam non miserit, commissa sibi careat dignitate.

85. Ut honor pallii nisi exigentibus causarum meritis fortiterque postulanti dari non debeat.

86. Quod cum usu pallii semper aliqua privilegia sunt concedenda ab Apostolico.

87. Quod archiepiscopi non debent uti pallio nisi in missis.

88. Ne absque licentia sedis apostolicae episcopus vel diaconus utatur dalmaticis.

89. De auctoritate arelatensis episcopi.

90. Quod tantum intra missarum sollempnia pallio utendum sit.

91. Quod sanctus Gregorius electionem episcopi affirmat, et pallium dat.

92. De eadem re.

93. Quod pallium non debet cuiquam dari, nisi post consuetam fidei professionem.

94. Quod mutationes episcoporum communi consilio et utilitate per apostolicam auctoritatem fieri possunt.

95. Quod sacerdotes ad ecclesias cupiditatis gratia migrare non debent.

96. Quod si episcopus despecta civitate sua, ad maiorem migraverit, careat tam propria quam aliena.

97. Quod causa necessitatis aut utilitatis mutationes episcoporum fieri possunt.

98. Quod episcopalis sedes ad alium eiusdem dioecesis locum necessitatis causa transponatur.

99. De expulso episcopo in alia ecclesia incardinato, et de vitandis ordinationibus illicitis.

100. Quod Papa duos episcopatus redigere possit in unum.

101. Quod episcopus propria voluntate in aliam civitatem mutatus debet removeri, et alius ibi ordinari.

102. Quod episcopo non licet dimittere ecclesiam suam, sicut nec marito uxorem.

103. Ut ecclesia non iudicetur nisi a suo episcopo, qui si persecutus fuerit in sua, fugiat ad aliam. Aut si utilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat.

104. Quod non oportet episcopum vel reliquos ordines demigrare.

105. Quod in civitatibus quibus olim primi flamines erant, primates et patriarchas esse sanctus Petrus praecepit, in quibus archiflamines archiepiscopi essent.

106. De eadem re.

107. Quod provincia est quae habet ·x· vel ·xi· civitates cum episcopis, et unum regem.

108. Ut metropolitani suas provincias gubernent, salva tamen apostolica auctoritate.

109. Quod primates in maioribus urbibus debeant esse, ubi gentiles olim suos propter maiora negotia primates appellabant.

110. Ut episcopi ad comitatum non vadant, nisi formatam a romana ecclesia accipiant.

111. Ut nullus episcopus ad comitatum pergat, nisi vocatus a religiosis imperatoribus.

112. Ut qui in canali sunt episcopi, euntes ad comitatum sollicite discutiant.

113. De episcopo Sereno invite ad comitatum pro facti inhumanitate ducto.

114. Item ut episcopi ad comitatum non proficiscantur nisi consulto Apostolico.

115. Ut nemo subiectus regulae ecclesiasticae adeat

imperatorem, nisi cum consilio metropolitani vel reliquorum episcoporum.

116. Incipit epistola formata a ·ccc·xviii· episcopis, et Attico constantinopolitanae urbis episcopo edita. De litteris formatarum.

117. Nequis episcopus ordinet aut retineat vel iudicet clericum alterius absque eius voluntate.

118. Ut nullus episcopus de alterius parochia se quicquam intromittat nisi rogatus.

119. De eadem re.

120. De eadem re.

121. Ut episcopus non leviter cuiquam dimissorias faciat litteras.

122. Ne universalis quisquam vocetur.

123. De eadem re.

124. Quod Papa episcopum dampnatum possit restituere.

125. Ut episcopi secundum ordinationis suae tempus sedeant in concilio et subscribant.

126. Ut nullus praesumat ea quae sibi non sunt concessa.

127. Quod doctor vel pastor si a fide exorbitaverit, a fidelibus corrigendus erit.

128. Quod saepe pastores ecclesiae depravantur, ut magis corruant qui sequuntur.

129. Quod magis proficimus communibus et alternis orationibus quam privatis et singularibus.

130. Ut imperitis et rudibus ecclesia non committatur regenda.

131. Ut episcopi sacrificantes secum habeant testes in sollempnibus diebus diaconos ·vii· vel ·viii·

132. Ut episcopi semper secum habeant testes sacerdotes et levitas.

133. Ut clerici vel electi monachi cubiculares sint episcopi.

134. Ut omnis ecclesia habens episcopum, habeat et oeconomum.

135. Quod episcopus non debet pravos homines in sua societate habere.

136. Ut omnis episcopus suum habeat vicedominum; aut si ipse neglexerit, clerus eligat unum.

137. Ut episcopus res ecclesiae saecularibus viris non committat.

138. Ut res ecclesiae saecularibus non committantur.

139. Quod episcopalis dignitas ab ea civitate subtrahitur, quae proprium episcopum interemit.

140. De tribus personis, pastoris, mercenarii, et furis.

141. Quod filii ex adulterio nati ad sacerdotium possunt promoveri.

142. Quod bigamus aut concubinam habens non potest esse episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec cetera.

143. Quod excelsae sedes episcoporum significant speculationem et potestatem ipsorum.

144. Quod valde timenda est sententia episcopi, licet iniusta; et non communicandum quibus ipse non communicat.

145. Quod pastores placere non possunt lupis pariter et gregibus.

146. Quod inferiorum culpae ad neglegentes rectores maxime referuntur.

147. Ut sacerdotes et ministri altaris saecularibus curis abstineant.

148. Ut destruatur quod illicite commissum est.

149. Quod christiani principes debent episcopis caput subdere, non de eorum capitibus iudicare.

150. Quod petendum est auxilium ab imperatore quando fuerit necesse.

151. De sacramento synodali.

152. De sacramento episcoporum a schismate redeuntium ad catholicam unitatem.

153. Quod Leo episcopus se de quodam sinistro rumore, sacramento ad beati Petri sanctissimum corpus expurgavit.

154. De fide sanctorum patrum in ecclesia servanda.

155. Ut episcopi, qui apostolicae sedis ordinationi subiacent, annue idibus maii sanctorum apostolorum Petri et Pauli liminibus praesententur.

156. Quod beatus Gregorius se dicit non recognoscere qui canones nolunt custodire, arguens neglegentiam.

157. Quod episcopi ad saecularia negotia non ordinantur, sed laici haec curare debent.

158. Quod episcopus, presbyter, et diaconus peccantes fideles verberare non debent.

159. Ut res ecclesiae in sua potestate habeat episcopus, et per presbyteros ac diaconos dispenset.

160. Ut si episcopus res habeat proprias, cui vult derelinquat, non autem res ecclesiae.

161. Quod si presbyteri, cum episcopus non est, de rebus ecclesiae quid vendiderint, ad ecclesiam revocetur.

162. Ut episcopus dispensandi res ecclesiasticas habeat potestatem, et eam non committat domesticis aut propinquis vel fratribus suis.

163. Quod syracusanus et ceteri Siciliae episcopi a quolibet dioecesis suae presbytero numquam ultra duos solidos cathedratici nomine accipere debeant.

164. Ut nullus sacerdotum rem tituli sui usurpare praesumat.

165. Ut non liceat episcopo a sacerdote vel alio clerico vel a sanctis locis ultra statuta patrum quicquam exigere.

166. Quod non debent episcopi a suis clericis vel monachis aliquam pecuniam turpis lucri gratia exigere.

167. Quod non licet episcopo res in episcopatu acquisitas alienare, sed quas antea habuerit, cui vult iudicare.

168. Quod non licet episcopo cimelia vel vasa sancta vel cetera alienare, nisi pro redemptione captivorum.

169. Ut per singulos gradus ad ordinem suum ascendat episcopus.

170. De Marcellino papa, qui coactus turificavit, et postea martyr factus est.

171. Ut omni die dominico et nataliciis martyrum gloria in excelsis cantetur.

172. Ut presbyteri simul cum Papa canonem in festis dicant.

173. De benedictione chrismatis et sacri olei.

174. Quod non licet episcopo abesse per tres septimanas ab ecclesia sua.

175. Quod non licet alicui relicta principali cathedra ad aliquam in dioecesi ecclesiam se conferre.

176. Ut episcopus in saecularibus causis non occupetur.

177. De eadem re.

178. Quod episcopus neglegens non debet esse, sed studiosus circa filios et pauperes.

179. Quod metropolitanus nihil extra parochiam suam agat.

180. Quod solus episcopus diaconum vel presbyterum deponere non potest.

181. De his qui in plebes irruunt, quas ad se pertinere putant.

182. Quod Papae primum colobiis usi sunt, quae postea in dalmaticas commutata sunt.

183. Quod non licet episcopo vel abbati res ecclesiae principibus tribuere, aut propinquis nisi ut pauperibus.

184. Quod non licet episcopis vel clericis claris vestibus ornari.

185. Quod nihil facilius, sed apud Deum dampnabilius, quam sacri ordines, si secundum homines agantur; si vero secundum Deum, nihil difficilius ac beatius.

186. Quod boni principes ecclesias debent aedificare, et sacerdotes tueri et honorare.

187. De eadem re.

188. Quod episcopi ad iudices saeculares non debent confugere.

189. Ut laicus episcopum sub digna custodia dirigat (1).

190. Ut schismatici per publicas potestates reprimantur.

191. De falsis et apocryphis libris ut in usu lectionis non habeantur.

192. Qui libri sint legendi.

193. Quod ideo non recipiendi quilibet apocryphi libri.

194. De brevi anexu librorum in canone sanctarum scripturarum receptorum.

195. Ut in ecclesia praeter canonicas scripturas nihil legatur.

196. De plebibus qui numquam episcopos habuerint.

(1) Agitur in textu de pseudo-episcopo ad sedem apostolicam dirigendo.

197. De his qui in aliena ecclesia vel provincia audent ordines efficere.

198. Quod bis in anno episcopi in provincia congregentur quo metropolitanus voluerit.

199. De episcopo ad ecclesiam sibi commissam ire nolente.

200. Si episcopus infirmus fuerit, qualiter alius ei succedere possit.

201. Ut episcopi quotiens ad consignandos infantes egrediuntur, subiectis suis graves non existant.

202. Epistola Urbani papae secundi comprobans ecclesiarum emptores et venditores esse simoniacos, et quod missae sceleratorum sacerdotum sint respuendae.

CAPITULA LIBRI SEPTIMI,

QUI EST DE ORDINATIONE PRESBYTERORUM, DIACONORUM, ET RELIQUORUM ORDINUM.

1. Quod communiter omnibus vivendum est, maxime his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt.

2. De interpretatione vocabuli quod est clericus, et quod Dominus pars clericorum est, et quod ipsi de sorte sunt Domini.

3. De communi vita clericorum, et eorum qui se continere non possunt.

4. Item de communi vita clericorum, et quod res ecclesiae in alios usus quam ecclesiasticos converti non debent.

5. De claustris et officinis clericorum.

6. Quod clericis communiter viventibus proprium habere non licet.

7. De diaconis et religiosis personis, ut canonice vivant.

8. Quod adolescentes in clero positi probatissimo seniori deputentur.

9. De quibus laicis quis non possit ad clericatum pervenire.

10. Ut qui viduam duxerit uxorem seu ante baptismum seu post baptismum, clericus non fiat.

11. Ut bigamus clericus non fiat.

12. Ut paenitens clericus non fiat.

13. Ut clericus nec viduam nec eiectam ducat uxorem.

14. Ut qui uxorem virginem non duxerit, ad sacros ordines non aspiret.

15. Ut inscii litterarum vel membris truncati sive paenitentes ad sacros ordines non aspirent.

16. Ut hi qui baptizati vel rebaptizati sunt extra catholicam ecclesiam, ad sacros ordines non accedant.

17. De his qui ad sacros ordines non debent promoveri.

18. Quod paenitentes, quamvis peccato sint mundati, clericatus tamen honorem adipisci non possint.

19. Quod venia paenitentibus bigamis et viduarum maritis ita olim est concessa, ut tales ultra non promoverentur.

20. Ut qui invitus ad agendam paenitentiam in monasterium mittitur, ad sacerdotium pervenire non permittatur.

21. Ut transmarinum hominem nemo ad clericatum suscipiat, nisi sub quinque episcoporum testimoniis.

22. Ut nullus ex paenitentibus clericus ordinetur.

23. Quod incogniti et peregrini ad sacros ordines non suscipiantur.

24. De his qui ad sacros ordines pervenire non possunt.

42. Quod per gradus singulos debent a minimo ascendere qui volunt in ecclesia militare.

43. Per quae tempora et per quos gradus ascendendum sit ab infantia nsque ad snmmum sacerdotium.

44. De eadem re.

45. De ordine consecrationis ecclesiasticorum ordinum.

46. De eodem.

47. Quod presbyter et diaconns ab uno tantum episcopo ordinantur.

48. Qualiter psalmista id est cantor ordinetur.

49. De ordinatione ostiarii.

50. De ordinatione lectoris.

51. De ordinatione exorcistae.

52. De ordinatione acolythi.

53. De ordinatione subdiaconi.

54. De ordinatione diaconi.

55. De ordinatione presbyteri.

56. Ut diaconi suum servent ordinem, et officiis presbyterorum se non implicent.

57. De ordine et officio diaconorum.

58. Quod presbyteris diaconi, et diaconis sequentes clerici honorem debent exhibere.

59. De obedientia diaconornm erga presbyteros.

60. Ut diaconus eucharistiam presbyteris subministret.

61. Ut diaconus iubente presbytero sedeat.

62. Ut diaconus coram presbytero sedeat.

63. Ut diaconus tempore tantum officii alba induatur.

64. Ut minores ordines maioribus sint subiecti.

65. Quod diaconi quasi oculi sunt episcopi, qui circumlustrare debent ecclesiam, et docere laicos.

66. Quod in unaquaque civitate debent esse ·VII· diaconi qui custodiant episcopum.

67. Quod ministri sacri altaris cantare non debeant, sed praedicationi et eleemosynis vacare.

68. Quod Deo non voce tantum sed corde cantandum est in ecclesia.

69. De ministério diaconorum, sine quibus sacerdotes nomen habent, officium non habent.

70. Quod quidam necessitate diaconus factus est, qui post mortuam uxorem filios habuerat de aucilla.

71. Ut diaconi calciati compagis non procedant.

72. De archidiacono quem suus episcopus voluit callide promovendo deponere.

73. Quod archidiaconi res ecclesiae debent arctius custodire.

74. Quod vicedomino episcopium est committendum.

75. Quod in romana ecclesia ordinatus, inde ulterius egredi non debet.

76. De quodam quem fecit sanctus Gregorius acolythum, et remisit eum ad obsequendum episcopo suo.

77. Quod Papa possit concedere clericos unius ecclesiae in alia ordinari.

78. Quid ab episcopo, quid a presbytero, quid a diacono suscipi debeat.

79. Quod ·VII· diaconi, et totidem subdiaconi per civitatem romanam ordinati sunt.

80. De ·VII· subdiaconis qui ·VII· notariis imminerent.

81. Quod regiones sicut in urbe Roma, per singulas urbes diaconis dividantur.

82. Quod diaconus in sinistro humero stolam gestare debet.

83. Quod non debet diaconus in presbyterio se-

dere cum divina celebrantur, neque corpus Domini praerogare presbytero praesente.

84. Quod subdiaconus orario non utatur, nec hostiam derelinquat.

85. Quod lectores et cantores orariis non utantur.

86. Quod presbyteri maiores sunt diaconis, et quod olim id presbyter quod episcopus (1).

87. Quod secundum canonica instituta inquirenda est vita ordinandi presbyteri; et quod in omni ecclesia necessarius est presbyter et minister.

88. Ut personae promovendae diligenter inquirantur, et presbyteri semper recitent nomina Apostolici et ordinatoris sui.

89. Quo aetatis tempore presbyterum conveniat ordinari.

90. De eorum promissione qui ad gradus ecclesiasticos promoventur.

91. Quod sacerdotes non propter aetatem sed propter sapientiam presbyteri dicuntur.

92. Quod si diaconi nolunt in presbyterii gradum promoveri, de acolythis et subdiaconis qui sunt idonei ordinentur, et illis honore atque commodo praeferantur.

93. De clericis qui non obtemperant suis episcopis, dum volunt eos promovere.

94. Quod reconsecrari nullus possit.

95. Ut nemo absolute (2) ordinetur.

(1) Nihil affertur ab Anselmo in textu nisi Hieronymi celebris epistola ad Evangelum (ed. Vallars. n. 146.) quam cum doctissimi homines saepe explicaverint, et episcopatus necessitatem atque excellentiam supra presbyteratum adseruerint, haud opus est heic diutius disputare.

(2) Nempe sine titulo speciali seu assignatione ad certum ministerium, ut est in textu.

115. Quod simoniacus est qui ordinem emit, et ab ordine sui officii submoveri debet.

116. De iis quibus chorepiscopi et presbyteri distant ab episcopis.

117. Ut chorepiscopi de officio quod ad summos sacerdotes pertinet nihil praesumant.

118. Ut presbyteri ad episcopale officium non aspirent.

119. De eadem re.

120. Ut presbyteri baptizatos chrismate tangant in fronte ubi episcopi desunt.

121. Quod idem olim episcopus qui presbyter (1).

122. Quod presbyteri qui Christi corpus perficiunt, et populum benedicere ac praedicare possunt.

123. Ut episcopi clericos, et clerici honorent episcopos.

124. Qualiter episcopi et presbyteri ligare ac solvere debeant.

125. Quod clerici monachis praestant.

126. Quod non licet missas cantare nisi in locis sacratis.

127. De eadem re.

128. Ut presbyter minus quam cum duobus missam non celebret.

129. Quod solum sacrati sacerdotes debent missas cantare, et nonnisi in loco sacrato.

130. Quod presbyteri soli non debent missas cantare nec in quolibet loco.

131. Ut si presbyter inceptum non potest implere officium, alius pro eo presbyter expleat.

132. Ut praeter Domini sacerdotes nullus audeat praedicare.

(1) Nihil aliud recitat in textu Anselmus nisi notissimum Hieronymi locum ex commentario in epist. Pauli ad Titum I. 5.

133. Quod presbyteri qui bene praesunt, duplici honore digni habeantur.

134. Ut presbyteri et levitae cum uxoribus suis non misceantur.

135. De subintroductis mulieribus.

136. Quod sacerdotes cum mulieribus non habitent praeter quas canonum censura permittit.

137. Quod lex continentiae eadem est altaris ministris quae episcopis atque presbyteris.

138. Quod nec habitare cum mulieribus diaconi debent.

139. Quod subdiaconi carnale coniugium habere non debent.

140. De eadem re.

141. Ut clerici soli ad feminarum tabernacula non accedant, nec confabulentur cum eis soli.

142. Ut concubinae clericorum venumdentur, clericis vero paenitentia imponatur.

143. Ut in clericorum domibus mulieres non habitent, praeter quas synodus nicaena permittit.

144. Ut clerici ad pubertatem venerint, aut coniugium, aut castitatem profiteantur.

145. Ut clerici vel continentes ad virgines vel viduas soli non accedant.

146. Quod maior a minore non debet benedici.

147. Quod non est quaerendum quis praedicet, sed quem quisque praedicet.

148. Quod praepositi sua quaerentes, mercenarii sunt.

149. Quod omnia quae episcopi vel presbyteri vel quicumque clerici in qualibet ecclesia ordinati adquisierunt, debent esse eiusdem ecclesiae.

150. Ut clerici res ecclesiae non vendant nescientibus episcopis, nec episcopi inconsultis presbyteris.

151. Quod sacerdotes cupidi non debent esse.

152. Quod clericus nec per alium foenus attemptare debet.

153. Quod clerici non sint conductores vel negotiatores.

154. Ut clerici usuram non accipiant.

155. Quod clerici debent Papae intimare, si viderint episcopum suum contra ipsius praeceptum agere, aut dampnum in ecclesia.

156. Ut clerici si viderint episcopum vel presbyterum seu diaconum excedere statuta romani Pontificis, ipsi debeant iudicare.

157. Quod oportet presbyteros et diaconos scire omnia quae sunt ecclesiae.

158. Quod sacerdotes ceterique fideles in ecclesia non sedeant quando evangelia leguntur.

159. De clericis superbientibus contra episcopum suum, et ut monasterium conditiones episcopo reddat quas fundator tempore consecrationis disposuit.

160. Ut nemo ex ordine clericorum intret in curiam.

161. Ut clericus sui episcopi insidiator curiae tradatur.

162. Ut clerici, praeter romanos, mappulis non utantur.

163. Nequis clericum alicuius episcopi illo invito suscipiat.

164. Quod non oportet peregrinos clericos sine commendaticiis ministrare.

165. Ut clerici scurriles abiciantur.

166. Siquis potentum quemlibet expoliaverit, et admonente episcopo non reddiderit, excommunicetur.

167. De ieiunio clericorum ante pascha, et de missa in nocte nativitatis Domini.

186. Ut monasteria nemo perturbet, sed episcopo loci illius curae sit causas utilitatesque eorum disponere.

187. Ut clerici negotiis saecularibus non illigentur, neque ad tutelam vel curam ullo modo nominentur.

188. Quod diaconi et presbyteri nonnisi certo, ceteri vero clerici omni tempore ordinantur.

189. De clericis arma sumentibus.

190. Quod episcopo praesente vel presbyteris urbis, in ecclesia civitatis presbyteris ruris offerre non licet.

191. Ut ecclesia per saecularem dignitatem non obtineatur.

192. De rerum venditione, quae ex consecratione proveniunt.

193. Quod missa a talibus nequeant celebrari.

194. De (non) ordinato si ordines sibi usurpaverit.

195. De clericis qui ad saecularia iudicia transeunt.

196. Ut clerici praefecti vel ordinati in parochiis, monasteriis, atque martyriis, in proprii episcopi maneant potestate.

197. De his qui de propria parochia ad aliam, deinde omnino demigrant.

198. De his qui propositum monachi reliquerunt.

199. Ut non liceat personam ecclesiasticam ad testimonium dicendum pulsari.

200. De his qui viduam aut dimissam duxerint, vel homicidio consenserint.

201. De virginibus consecrandis.

202. De viduis ab episcopis non velandis.

203. De votis monachorum ac virginum praevaricatis.

204. De clericis vel monachis non manentibus in suo proposito.

205. Quod iuvenculae abbatissae non fiant, et virgo nonnisi sexagenaria veletur.

206. Quod sacratae Deo feminae vel monachae sacra vasa vel sacratas pallas contingere non debent, nec incensum circum altare deferre.

207. Ut oblatio ab omnibus fiat dominicis diebus.

208. De oblatione et pace.

209. De panibus benedicendis.

Incipiunt capitula placentinae synodi quae celebrata est a domino papa Urbano secundo (1). Sunt autem capitula ·xx·

CAPITULA LIBRI OCTAVI,

QUI EST DE LAPSIS.

1. Ut qui ex clero lapsi fuerint, pauperrimis monasteriis ubi paeniteant tradantur ipsi et res ipsorum; aut si parentes habeant, ipsi res accipiant, ac sufficientiam eis provideant.

2. A quibus officiis se ministri altaris contineant, si post ordinem cum suis uxoribus misceantur, quibusve utantur.

3. Quod nemo post paenitentiam sit clericus, rigore disciplinae non indulgentiae desperatione statutum est.

4. Ut viduarum mariti et numerosa habentes coniugia ab omnibus ecclesiasticis officiis arceantur.

5. De eadem re.

(1) Urbani ·II· pontificatum obitu S. Anselmi posteriorem fuisse scimus. Sed iamdiu est exploratum addita quaedam fuisse Anselmi codicibus, id quod scripturae quoque differentia saepe demonstrat.

6. Quod papa Siricius paenitentibus, bigamis, et viduarum maritis gradus quos tunc habebant concessit, praecipiens ne ultra tales promoverentur.

7. Quod episcopi vel sequentes gradus sacra mysteria contrectantes, si se ab uxoribus non continent, ab ecclesiastico officio removeantur.

8. Quod sacerdotes et levitae suis uxoribus non misceantur, quia cotidiano miuisterio occupantur.

9. Ut clerici excommunicentur, qui se post tertiam admonitionem non continent.

10. De dampnatione incontinentis presbyteri.

11. De his qui ad presbyterium promoventur, et ante ordinationem peccatorum sibi sunt conscii.

12. Quod episcopi fornicantes deponendi sunt.

13. De his qui ad honorem presbyterii sine examinatione provecti sunt.

14. Quod liceat episcopo vel presbytero seu qui in clero est, expurgare se, si testes defuerint.

15. Ut presbyteri, qui se expurgare de fornicatione non possunt, a ministerio moveantur.

16. Ut conspiratores adversus episcopos suos ab omni gradu removeantur.

17. Ut qui calumpniam vel insidias vel convicia suo episcopo intulerit, depositus curiae tradatur.

18. Quod clericus vel monachus si conspiraverit, vel calumpniam episcopis, vel clericis machinatus fuerit, proprio cadat gradu.

19. De clericis in haeresim lapsis et postea conversis.

20. Ut ex sacris ordinibus lapsi, ad sacrum ministerium nec post paenitentiam revocentur.

21. Ut presbyter, qui postquam depositus est, missam celebraverit, communione corporis et sanguinis Domini usque ad obitus sui diem privetur.

CAPITULA LIBRI NONI,

QUI EST DE SACRAMENTIS.

17. Quod dum tertio baptizatus mergitur, triduanae sepulturae sacramentum signatur.

18. Ut ad suscipiendum de baptismo infantem unus tantum accedat.

19. Quod in catechumeno et in baptismo et in confirmatione unus pater potest esse.

20. Quod siquis ex coniugio filium alterius ad aliquod sacramentum tenuerit, utique compatres habentur.

21. Siquis in perfidia manens baptizatur, aut nullam accepit remissionem aut ad temporis punctum.

22. Nisi regeneratus confirmetur ab episcopo, perfectus christianus esse non potest.

23. Ut omnes fideles post baptismum per manus impositionem episcoporum accipiant Spiritum sanctum.

24. Quod mox morituros baptisma salvat, victuris autem necessaria est chrismatis confirmatio.

25. Quod solis debetur episcopis confirmatio chrismatis.

26. Quod magis veneranda est manus impositio episcoporum quam baptismus.

27. Quod sine baptismo nemo potest salvari, et sine ipso quis non debet participare corpore et sanguine Domini.

28. Quod corpore et sanguine Domini parvulus participat, cum membrum Christi in baptismo efficitur.

29. Quod manus impositio repeti potest (1).

30. De renovando chrismate singulis annis.

31. Ut baptizati ab haereticis sola manus impositione confirmentur.

32. De eadem re.

(1) Puta ad reconciliandum haereticum, vel quid simile, non autem ad sacramentum repetendum.

33. Quod donum Dei, quod est karitas, extra ecclesiam nec haberi potest nec dari.

34. Quod haeretici et schismatici, quicquid habeant, karitatem non habent.

35. Quod tam per malos quam per bonos sacramenta administrentur.

36. Quod sacramentum baptisma apud haereticos et haberi et dari potest.

37. Quod eadem sacramenta ubique sunt integra.

38. Quod remissio per columbae gemitum datur, quicumque baptizet.

39. Quod haeretici sacramenta et scripturas habent ad speciem non ad salutem.

40. Quod si per vim sacramenti remissio fit peccatorum, sicut avarus ita et haereticus; si per meritum, nec avarus, nec haereticus.

41. Quod mali sacramentum Christi maculare non possunt.

42. Quod sacramenta Dei ubique recta sunt.

43. Quod sacramentum apud haereticos haberi et dari potest, effectus vero sacramenti minime.

44. De eadem re.

45. Quod parricidalibus manibus se sacra mysteria subtrahunt.

46. Quod non ita nocet perfidia parvulis, quemadmodum fides profuit cum baptizarentur.

47. Quod perceptam in baptismate Christi gratiam parvuli non amittunt nisi propria impietate.

48. Quod ita parvuli per alios credunt, sicut ab aliis peccata, quae in baptismo dimittuntur, traxerunt.

49. Quod mater ecclesia etiam invitos sanat.

50. Quod haeretici errorem acceptum debent amittere non sacramentum, quod similiter ut nos acceperunt.

CAPITULA LIBRI DECIMI,

QUI EST DE CONIUGIIS.

1. Quod pactio coniugalis coniugium facit.

2. Quod legitimum couiugium est ubi uxor petitur, et a parentibus proximis legaliter datur et desponsatur, et a sacerdote benedicitur.

3. Quae sit legitima uxor, et quod vivente uxore adultera, viro non licet ducere aliam.

4. Quod tertia uxor superflua est.

5. De numero maritorum.

6. Quod desponsata monasterium monacharum potest eligere.

7. Quod desponsatam alteri, alter non potest accipere.

8. De eadem re.

9. De raptu puellae.

10. Quod peior est qui nec malo fidem servat (1).

11. Quod etiam ex male coniunctis possint fieri nuptiae.

12. Quod coniugium remanet inseparatum, sicut ordinatio in dampnatis.

13. Quod peiores sint adulteris, qui a proposito castitatis ruerunt.

14. Quod vivente uxore adultera, non licet aliam ducere.

15. Ut dimissus vel dimissa sic maneant, vel sibi reconcilientur.

16. Si dimissus vel dimissa alteri matrimonio se copulaverint, adulteri sunt.

(1) Veluti si latro latrocinii socio fidem non servet in partienda praeda; vel mulier vagam potius libidinem exerceat, quam unico coniugio quamvis illegitimo contenta sit. Sic in textu S. Augustini.

36. De commatre.

37. De sorore.

38. De nepte.

39. De noverca vel nuru.

40. De cognata, vel quam cognatus habuit.

41. De virgine non desponsata rapta vel furata.

42. De ariolis.

43. De his qui res ecclesiae invaserunt.

44. De clericis qui comam relaxaverunt.

45. De affinibus in coniugio non copulandis.

46. De quodam ut ducat uxorem quam corrupit.

47. De his qui rapiunt puellas sub simul habitandi nomine.

48. De eo qui propriam uxorem interfecit.

49. Quod magis custodienda est castitas fidei quam corporis, et quod violentiâ non violatur pudicitia.

50. Iterum quod violentia non corrumpit pudicitiam.

51. Quod possit uxor post adulterium reconciliari viro suo.

52. Quod non licet mulierem adulteram occidere.

53. Ut post adulterium aut uxor recipiatur aut continentia servetur.

54. Quod virgo non sit adultera, si nesciens viro nupserit alieno.

55. De raptoribus mulierum si ad ecclesiam confugerint.

56. De raptoribus viduarum vel virginum.

57. Quod vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi, si maritum acceperit, in fine tantum communicet.

58. A quibus inter coniugatos consanguinitas requiratur.

59. De relictis consanguineorum.

CAPITULA LIBRI UNDECIMI,

QUI EST DE PAENITENTIA.

10. Quod presbyteri non debent paenitentes reconciliare nisi ex iussione episcopi.

11. De eadem re.

12. De eadem re.

13. De potestate sacerdotum donandi remedium paenitentiae.

14. Quod non debemus mortuis communicare, quibus vivi non communicavimus.

15. Ut plena communio detur eis, qui linguae officium perdiderint, et habent bonum testimonium quod paenitentiam ante petiissent.

16. De ungendis infirmis.

17. De paenitente infirmo si convaluerit.

18. De his qui paenitentiam petunt, et officio linguae privantur.

19. De his qui sine communione moriuntur.

20. De eadem re.

21. Ut episcopus decernat tempora paenitentibus.

22. Ut manifesta peccata manifeste purgentur.

23. Ut omni fideli in exitu posito, communionis gratia detur.

24. Quod confessio paenitentis manifestari non debet.

25. Ut sacerdos si confessionem paenitentis manifestaverit, deponatur.

26. Ut secreto corripiantur, quae secreto committuntur.

27. Quod omnibus paenitentibus, quinta feria ante pascha remittendum est.

28. Ut presbyteris et diaconis in crimen lapsis privatus detur paenitendi locus.

29. Quod episcopus aut presbyter vel diaconus fornicatione aut periurio aut furto captus deponatur.

30. De fornicatione clericorum.

Incipit de omni genere homicidiorum et de paenitentia eorum.

51. De paenitentia cuiusdam matricidae.

52. De his qui patrem vel matrem vel fratrem aut sororem interfecerint.

53. Quod divinae ultionis minister est, qui non ex positione sed praeter voluntatem homicidinm fecerit.

54. De eo qui pro vindicta fratris fecerit homicidium.

55. De eo qui iubente domino servum eius occiderit.

56. De eo qui proprium servum sine iudicio iudicis occiderit.

57. De his qui in utero matris vel iam editos infantes necant.

58. De his qui sibimet proprium membrum sponte absciderint.

59. Quod sacerdotes non debent membrorum truncationes facere, nec aliquid morte plectendum iudicare.

60. De eadem re.

61. De eadem re.

62. De eo qui compulsus a domino sciens periurium fecerit.

63. De his qui periurant in manu episcopi vel in cruce.

64. De his qui coacti periurant.

65. De his qui se periurant, et alios in periurium ducunt.

66. De eo qui se sciente periurat.

67. De eadem re.

68. Quod ieiuni debent homines iurare.

69. Quod periurium emendandum est sicut homicidium sponte commissum.

70. De his qui per capillum vel aliud membrum Dei iurant.

71. Quod non est observandum illud sacramentum quod vertit in peius.

72. De sacramento quod regibus fit, si sponte violatur.

73. Utrum observandum sit siquis per daemonia iurat.

74. Quod Deus sacramentum sic accipit sicut ille cui iuratur intellegit.

75. Quod sacramentum a malo est eorum quibus iuratur.

76. De his qui per cupiditatem se periurant.

77. Quod duo sunt tantum genera mendaciorum in quibus non magna culpa est.

Incipiunt capitula de falsis testimoniis.

78. De eo qui consentit ad falsum testimonium.

79. De his qui falso fratres accusant.

80. De his qui crimen obiciunt et probare non possunt.

81. Quod falsum testimonium capitale crimen est.

82. Quod falsi testes a communione submovendi sunt

83. De falso testimonio et mendacio.

Incipiunt capitula de adulteriis et de incestis coniunctionibus et de fornicatione.

84. Ut de adulterio publica agatur paenitentia.

85. De eadem re.

86. De paenitentia adulteri.

87. De incestis coniunctionibus.

88. Ut incestuosi inter catechumenos habeantur, et cum christianis non communicent.

89. Ut coniunctiones consanguineorum prohibeantur.

90. De eadem re.

91. De eadem re.

92. De paenitentia cuiusdam qui uxorem violavit alterius.

93. De his qui violaverint puellas Deo sacratas.

94. De eadem re.

95. De eadem re.

96. De femina quae adulterum maritum dereliquit et alterum ducit.

97. De eo qui sponsam alterius rapuerit.

98. De feminis quae habitum religiosum acceperunt.

99. De eadem re.

100. De ea quae duobus fratribus nupserit.

101. De his qui cum pecoribus et masculis se coinquinaverunt.

102. De his qui fornicati sunt ut sodomitae.

103. De paenitentia eius qui virginem rapuerit.

104. De his qui incestis nuptiis se coinquinaverunt.

105. Quod adolescentibus coniugium conceditur post paenitentiam propter aetatis incontinentiam.

Incipiunt capitula de furtis, et de fornicatione, et de aliis quibusdam diversis.

106. Quod Israhelitae furtum non fecerunt qui iubenti Domino obedierunt.

107. Quod in furto non tam quod ablatum est, quam mens furantis attendenda est.

108. Qualiter satisfaciendum sit de furtis.

109. Quid inter furtum sit et rapinam.

110. Quod qui aliena rapiunt, paenitentiam agere non possunt, nisi redditis his quae rapuerunt, siquo modo poterunt.

111. Quod tolerandi sunt mali, sicut Dominus Iudam toleravit.

112. De his qui ecclesias depraedantur.

113. De furto quod fit ecclesiae.

114. De paenitentia eorum qui usuras exigunt.

115. De clericis furtum facientibus.

116. De violatoribus sepulcrorum.

117. Quod stulta vota virginitatis frangenda sunt(1).

118. Quod indicandus est ut sacrilegus qui patrem vel matrem expulerit.

119. De his qui ducatum praebent barbaris.

120. De eo qui habens uxorem lapsus fuerit.

121. De his qui cum semet ipsis fornicantur.

122. De his qui cum matre vel sorore fornicantur.

123. Quamdiu mulier se debeat abstinere a viro cum concipit.

124. De diversis fornicationibus.

125. De eo qui fornicari vult et non potest.

126. De his qui maleficio suo aliquos perdiderunt.

127. De immissoribus tempestatum.

128. De auguribus et sortilegis.

129. Quod episcopus, presbyter, diaconus, vel quilibet clericus magos, haruspices, hariolos, augures vel sortilegos consulentes deponantur.

130. Quod daemonium habentibus licet herbas vel petras habere sine incantatione (2).

131. De cultoribus idolorum, et haruspicibus, et sortilegis.

132. De his qui arbores colunt et cetera.

133. De his qui absque necessitate praevaricati sunt.

134. De his qui communicant haereticis.

(1) Agitur in textu de coniugatis qui sine alterutrius consensu virginitatem voverint.

(2) Sic ad verbum apud Gratianum C. XXVI. q. 7. c. 18.

135. De catholicis ad haeresim transeuntibus, si revertantur.

136. Quod securus non exit qui in ultimo tandem paenitentiam petit.

137. Quae sit utilis paenitentia.

138. Quod paenitenti non est utile negotiari.

139. Quod negotium, quod sine peccato est, per conversionem repeti potest.

140. Ut paenitens, si dignam habet causam, ecclesiasticum petat iudicium.

141. Quod nullum peccatum remanet impunitum.

142. Quod inaniter plangunt qui commissa non deserunt.

143. Quod Deus non tam mensuram inspicit temporis quam doloris.

144. Quod canones arbitrio maxime sacerdotum committunt decernenda tempora paenitentibus.

145. Quod numquam carebunt supplicio, qui carere noluerint peccato.

146. Ut post paenitentiam nemo revertatur ad militiam.

Incipiunt capitula de secundo loco paenitentiae, et quibusdam aliis.

147. Quod hi qui ad priora vitia revertuntur, severissime dampnantur.

148. De paenitentia eorum qui denuo lapsi sunt.

149. De eadem re.

150. De eadem re.

151. Quod dimissa per paenitentiam requiruntur, si debitoribus non dimittitur.

152. Quod iniqui qui semper peccare vellent, semper puniri debent.

153. De his qui ad saecularem habitum revertuntur, postquam se Deo voverint.

154. Quod non sint peccata nescientium nisi nolentium.

155. Quod post lapsum etiam docere aliquid possunt.

156. Quod omne peccatum aut Deus aut homo ipse punit in se.

157. De eadem re.

158. Quod in purgatorio igne ante iudicium quaedam relaxantur parvissima peccata.

159. Quod colentes Deum excipiuntur ab angelis suis dum hinc exeunt.

160. De animabus iustorum dum de saeculo exeunt.

161. De illusionibus nocturnis.

162. De eadem re.

163. Quod purgatorius ignis saevior est omni huius vitae poena.

164. De his qui per ignem salvandi sunt.

165. De eadem re.

166. Quod nemo ab errore ad veritatem potest sine paenitentia transire.

167. De eo quod scriptum est, qui irascitur fratri suo reus erit gehennae ignis.

168. De sacerdote deposito qui oculum eruit levitae, et ut levita non promoveatur.

169. De paenitentia eorum qui contra sanctissimum patriarcham Ignatium iuraverunt.

170. Contra eos qui negant communionem his reddi, qui lapsi sunt praevaricatione.

171. De paenitentia stragis et effusionis humani sanguinis.

172. Quod paenitens nisi peracta paenitentia non communicet.

173. Ut quicumque religiosum habitum spontanee susceptum dimittit, in monasterio esse cogatur.

174. De eadem re.

CAPITULA LIBRI DUODECIMI,

QUI EST DE EXCOMMUNICATIONE.

1. Quod excommunicati sunt omnes qui contra sanctam romanam ecclesiam superbiendo se erigunt.

2. Quod omnes violatores decretorum romanorum Pontificum sint anathema.

3. Ut anathema sit quicumque praecepta sedis apostolicae contempserit.

4. Quod raptores et alienatores rei ecclesiasticae excommunicati sint, et qui illis consentiunt.

5. Quod qui consentit peccanti aut defendit, maledictus erit.

6. Quod his quibus ecclesia ab episcopis interdicitur, ianua caelestis clauditur.

7. Quod qui ab ecclesia excommunicatur, in caelo ligatur; et qui ab ecclesia reconciliatur, in caelo solvitur.

8. Quod Silverius papa eos qui ipsum insontem dampnaverant et in exilium miserant, anathematizavit.

9. De nodo excommunicationis Silverii in Vigilium.

10. De excommunicatione Felicis papae in Acacium praesumptorem.

11. Quod non debet quis ei communicare quem sedes apostolica repellit, nisi ab illatis se emendaverit.

12. De eadem re.

13. Quod nullus religiosus excommunicatis iungatur.

14. Excommunicatis nemo communicet in oratione, cibo, potu, osculo, nec ave eis dicat.

15. Quod hi separati a nobis debent esse, cum quibus nec cibum sumere licet.

16. Quod cum excommunicato orare non licet, nec vesci, nec loqui nisi de eius conversione.

17. Quod is qui cum excommunicato oraverit, communione privetur.

18. De eadem re.

19. Quod cum excommunicatis non sit communicandum; et qui fecerint, excommunicentur.

20. Ut simili excommunicationi subiaceat qui excommunicato communicat.

21. Quod excommunicatus et communicator eius aeque refutari et puniri debent.

22. Quod par culpa est communicare haeretico, vel ei qui coniunctus est illi.

23. Ut propter propriam iniuriam nullus excommunicare quemquam praesumat.

24. Quod pastores dum pro suis voluntatibus iniuste solvunt vel ligant, ipsi se potestate privant.

25. De eadem re.

26. Quod si excommunicatus sacrum ministerium contigerit, spem restitutionis ultra non habeat.

27. De eadem re.

28. Quod schismaticorum nomina inter divina mysteria non sunt recitanda.

29. De eadem re. Et de excommunicatis sine communione defunctis; et de his qui excommunicatis scienter communicant.

30. Quod absolutionem, quam superstes non quaesivit, mortuus impetrare non possit.

31. Quod schismaticorum nomina inter divina mysteria non sunt recitanda.

32. Ut nomina excommunicatorum publicentur.

33. Siquis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit.

34. Quod ecclesiasticae leges praeponendae sunt legibus imperatorum.

35. Quod manifesta opera accusatione non indigent.

36. Quod Lotharius rex a pelice abstineat, si excommunicari nolit.

37. De excommunicatione Innocentii papae in imperatorem cum imperatrice.

38. Siquis quod sancti patres et universales synodi statuerunt, transmutare audet, condempnatus est.

39. Ut hi qui ab haereticis ad ecclesiam revertuntur, non sine professione legitimae satisfactionis habeantur.

40. De dampnatione Novati.

41. Quod haeretici in ecclesia nihil habeant potestatis vel iuris.

42. Quod non est consecratio sed exsecratio quae extra ecclesiam fit.

43. De custodia aquileiensis et mediolanensis episcopi. Et quotiens de universali synodo dubitatur, ab apostolica sede veritas requiratur.

44. Quod schismaticus non conficiat corpus Christi (1), cui catholici non debent sociari.

45. Quod ecclesia non persequitur sed diligit cum punit vel prohibet malum. Et quod divisi a romana

(1) In textu nihil aliud est quam Pelagii I. PP. fragmentum epistolae adversus schismaticos, quod ex hoc ipso Anselmo sumpsit Holstenius, et deinde in Conciliorum quoque collectiones transiit cum ceteris Pelagii epistolis. Iam ut de corpore morali Christi, id est de ecclesia, verba haec intelligamus, docent nos quae ibidem sequuntur: *unam, ut saepe dictum est, quae Christi corpus est, constat esse ecclesiam.*

sede schismatici sunt, et quod comprimendi sunt a saecularibus iniusti episcopi (1).

46. Quod nullum sacrificium Deo a potestatibus gratius est, quam ut schismatici episcopi ad obediendum coherceantur.

47. Item de schismaticis a saecularibus cohercendis.

48. Quod non est vera fides quae cum romana ecclesia non convenit.

49. Quod haeresis perversum dogma, schisma vero discessionem habeat.

50. Quod haeresis graece ab electione dicitur.

51. Qualiter fiat quisque haereticus.

52. Quod haereticus amittat Spiritum sanctum.

53. Quid sit haereticus.

54. Ut haeretici cohibeantur a saecularibus.

55. De malis cogendis ad bonum.

56. Quod schismatici nec divino iure nec humano res ecclesiarum debent possidere.

57. Quod qui extra ecclesiam sunt, nullo iure possunt bona ecclesiae possidere.

58. Quod separatus ab ecclesia quantumcumque laudabiliter vivat, non tamen habebit vitam aeternam.

59. De schismaticis ad correctionem cogendis.

60. Quinam non sint inter haereticos habendi.

61. Quando mali tolerandi sint, et quando separandi a nobis.

62. Quomodo recedere debeamus a malis.

63. Quod excommunicatio iniusta ei potius oberit qui faciat, quam qui patiatur.

64. Quod innocens pro peccato alterius recte excommunicari non potest.

(1) Agitur de schismaticis episcopis per orthodoxos principes coërcendis. Extat apud Grat. C. XXIII. q. 5. c. 42.

CAPITULA LIBRI DECIMI TERTII,

QUI EST DE VINDICTA ET PERSECUTIONE IUSTA.

(1) Anselmi hac de re textus, qui est ex epistola S. Gregorii I. PP., extat apud Gratianum C. XXIII. q. 8. c. 17.

(2) Nihil aliud est in textu nisi S. Augustini nonnulli loci, et quidem apud Gratianum quoque recitati

15. De eadem re.

16. De eadem re.

17. Ut non nobis imputetur siquid mali acciderit.

18. Quod qui potest perturbare perversos et non facit, eorum impietati consentit.

19. Quando mali sint tolerandi vel quando deserendi.

20. Quod homini misericordia, peccatis persecutio debeatur.

21. Quod non imputetur fallax, qui quod promisit, superna dispositione praeventus adimplere praetermisit.

22. Quod saeculi potestates a pravis actibus malos revocare studeant.

23. De eo quod scriptum est: si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.

24. Quod ecclesiae inimicis omni vivacitate mentis et corporis sit obviandum.

25. De victoria orationibus praevenienda, et bello non appetendo desiderio fundendi sanguinis.

26. Quod secundum divinam et humanam legem sine personarum acceptione rectorum sententia proferatur.

27. Quod magis obediendum est spiritus quam corporis domino.

28. Quod bene velle non sufficit, nec iterum bene facere, nisi ex bono fonte preces sint; et de libertate probabili *.

FINIS.

* Postremo monemus, capitulorum huius operis numerum in codicibus variare, sive ob quaedam additamenta, quae alibi desiderantur, sive ob alias quaslibet causas.

AUCTORES ET LIBRI,

QUI IN ANSELMI DECRETO EIUSQUE INTERDUM ADDITAMENTIS LAUDANTUR, HI FERE SUNT.

DE SEQUENTE COLLECTIONE CANONICA
MONITUM.

Ex capitulis seu rerum indiculis superius scriptis satis constat quanti momenti sit anselmianus codex, quantique intersit, ut post eruditorum hominum promissiones tot, fides denique edendo integro Anselmi opere liberetur. Verumtamen ut haec et aliae huiusmodi recte ac pro dignitate editiones curentur, Contios, Augustinios, Barbosas, Pithoeos, Ballerinios, Berardos, parcsve alios, ut de viventibus sileamus, valde requirimus. Etsi vero nos alia plerumque studia sectati sumus, attamen canonum quoque scientiae pro nostra tenuitate favimus; namque edidimus 1. Photii responsa canonica. 2. Attonis Card. capitulare. 3. Epistolam canonicam, et de clericorum disciplina atque officiis. 4. Dissertationes de capitularibus, et de paenitentiali romano. 5. Canones selectos, sed valde numerosos ecclesiae Armeniorum. 6. Ebedicsu sobensis collectionem ingentem canonum ecclesiae Chaldaeorum. 7. Bar-Hebraei nomocanonem item peramplum ecclesiae antiochenae Syrorum, quae duo postrema opera multo forent iucundiora, si meliorem atque clariorem interpretationem, pro illa rudi ac saepe obscura Aloysii Assemani, nacta fuissent.

Nunc si bibliothecae pontificalis in canonica re divitias patefacere velim, longi nimis sermonis initium faciam. Certe de nobilissimis aliquot graecis codicibus alio loco et tempore dicam; etenim canonici Graecorum iuris insigni aliquo opere augendi, cupiditate non vana iamdiu incensus sum. Unus nunc latinus prae ceteris me movit codex vat. 1349., quem nemo, ut puto, praeter Ballerinios dissert. de collect. can. part. IV. cap. XVIII. 6. commemoravit, qui temporis augustiis ut aiunt pressi et difficultate scripturae territi, vetustam hanc prae ceteris collectionem expendendam aliis reliquerunt. Ego igitur hoc diligenter excusso codice, rem utiliorem me facturum putavi, si eius singillatim capitula seu titulos, ut de Anselmo feci, recitarem, quam si multos nomine tenus praedictae bibliothecae

eodices recenserem, quorum nuda notitia bibliographicam classem augeret, scientiam iuris eanonici non iuvaret. Est is eodex membraneus foliorum maiorum 225, litteris langobardicis valde implexis exaratus, titulis rubricatis, saeculi ·X· ineipientis aetatem referens, ideoque lucensi Anselmo vetustior.

CANONUM
PRISCA COLLECTIO. (1)

Incipit gratissima canonum collectio, quae scripturarum testimoniis et sanctorum dictis roborata legentes laetificat; ubi si quippiam discordare videtur, illud eligendum est quod maioris auctoritatis esse decernitur.

Praefatio in eandem collectionem.

Synodicorum exemplarium numerositatem * conspiciens, ac plurimorum ex ipsis obscuritatem rudibus inutilem providens, nec non ceterorum diversitatem inconsonam destruentemque magis quam aedificantem perspiciens, brevem ac consonam ex ingenti silva scriptorum in unius voluminis textum expositionem digessi, plura addens ut plura describerentur, singulorum nomina singulis testimoniis praescripta composui, nequis velut incertum quid pro quo dicat, ut cum generales titulos quos necessario proposuimus recurrat, numeros diligenter observet; quibus observatis, quaestionem quam voluerit sine ulla cunctatione repperiet.

* *cod.* innumerositatem.

Explicit praefatio.

(1) Hic operis titulus et prologus scribitur in codice initio libri sexti; mihi tamen ad universum opus pertinere visi sunt.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI

DE ORDINATIONE CLERICORUM.

1. De nomine episcopi.
2. De his qui nomen episcopi indigne usurpant.
3. De initio sacerdotum in utraque lege.
4. De nomine principis. (1)
5. De ordinando principe cum sorte.
6. De quatuor generibus ordinationis.
7. De bonis principibus ordinandis pastorali cura.
8. De malis principibus potius increpandis quam ordinandis.
9. Quod non debet appetere principatum nisi qui prius subiectus fuerit.
10. De aliis desiderantibus principatum indigne.
11. Quod homicidae non debeant accipere pastorale ministerium.
12. Quod indigni sint principatu ecclesiae qui non bene regunt domos suas.
13. De principatu non recusando.
14. De principatu non cito tenendo.
15. De malis principatum mercantibus.
16. Quod non genus nec locus sed mores aedificant principem.
17. De praecavendo principe. (2)
18. De impositione manuum episcopis, seu de ordinatione.
19. Quod non unus unum ordinet.
20. De baculo et anulo episcopi.
21. Qui ordinandus sit episcopus.

(1) Intelligitur episcopus.
(2) Nempe de cautela in eligendo principe seu episcopo.

(1) Nempe ordinantium atque scrutinii iudicum.

61. De his qui de potestate saeculari ad episcopatum promoventur.

62. Quod debeat princeps facere heredem in vita sua.

63. De moribus electi heredis ordinandi.

64. Quod post mortem prioris debet princeps ordinari.

65. De consensu populi cum principe in ordinando successore.

66. Quod princeps solus ordinat successorem.

67. Aegroto episcopo ordinari successor potest.

68. De aegrotante episcopo qui voluit successorem ordinari.

69. Ut eligat episcopus successorem se vivente (1).

70. Quod debeat electio bonorum observari in eligendo successore.

71. Ut supra.

72. Ut nullus ad episcopatum pro se constituat successorem.

73. De ordinatione episcopi qui impetraverit pecunia, vel qui successorem faciunt ex parentibus.

74. Quod alienigena episcopus aliquando eligitur.

75. Quod episcopus consecrari non debeat, nisi cleri et populi fuerit postulatu.

76. Qualis debeat esse qui episcopus est ordinandus, expositio Hieronymi in epistolam Pauli apostoli.

77. Qualis debeat esse qui episcopus eligitur.

78. De episcopis qui post ordinationem sacerdotis munera libenter accipiunt.

79. Ut non accipiant aliquid muneris propter manus impositionem.

(1) Hoc interdum evenisse dicitur in textu, sed extraordinario modo.

80. De eo qui recipit pecuniam de sacro ordine sub obtentu eleemosynae.

81. Quod sacra ordinatio nullatenus vendi debeat.

82. De ordinatione patriarcharum.

83. De his qui ad regimen ecclesiae sunt promovendi.

84. De nomine presbyteri.

85. De exordio presbyteri.

86. De moribus presbyteri.

87. De nomine diaconi.

88. De exordio diaconi in utraque lege.

89. De diligentia diaconi.

90. De nomine subdiaconi.

91. De ministerio subdiaconi.

92. De exordio subdiaconi in utraque lege.

93. De exordio lectorum.

94. De eo qui eligendus est in lectorem.

95. De voce lectoris.

96. De exordio exorcistae.

97. De ostiario.

98. De ministerio ostiarii.

99. De acolytho.

100. De nomine clerici.

101. Quod omnes qui habent gradus ecclesiasticos, clerici nominantur.

102. Quod presbyter idem sit qui episcopus (1).

103. De ordinatione presbyteri, diaconi, et ceterorum.

104. Item de eorum consecratione qui ab infantia Deo se voverunt.

105. Item de grandaevis.

(1) Heic quoque in textu uniee profertur Hieronymi epistola, de qua diximus ad Anselmum p. 362.

106. Quae in singulis clerici gradibus tempora sint praescripta.

107. De ordinatione clericorum regulariter facienda quando ulla rerum vel temporum urget angustia.

108. De laicis, si aggregandi fuerint ecclesiasticis officiis.

109. Ut ne illicitas ordinationes ullus usurpet.

110. Ne nuper baptizati ad sacrum ordinem promoveantur.

111. Alienum clericum nullus praesumat ordinare, nisi cum scientia sui episcopi.

112. Quod supra.

113. Item quod supra.

114. Ut digami non admittantur ad clerum.

115. Quod supra.

116. Item quod supra.

117. Qui duas duxit uxores quamvis laicus ante baptismum, ad clerum non promoveatur.

118. Similiter qui secundam duxit uxorem.

119. Quod siquis viduam, vel eiectam, aut meretricem acceperit, non admittatur ad clerum.

120. Designandum est, qui laicus ad sacrum ordinem pervenire debeat.

121. De praesumptis clericis qui non solum ad clericatum sed etiam ad infulas summi sacerdotii promoti sunt.

122. Quod hi qui non sponte eunuchizati sunt suscipiantur ad clerum.

123. De eadem re.

124. Ut is qui se eunuchizavit, clericus non fiat.

125. Quod siquis sibi partem corporis volens amputaverit, clericus esse non potest, nolens autem potest.

126. Qui clerici debeant coniugibus sociari.

127. De his qui ad presbyteratum vel diaconatum promoventur, et ante ordinationem sibi conscii peccatorum sunt.

128. Quod clericis non liceat paenitentiam agere, et quod post paenitentiam nullus possit ad clericatum admitti.

129. Ut si per arrogantiam paenitens, digamus, vel viduae maritus, clericus factus fuerit, non promoveatur.

130. Quod secunda coniugia saecularibus non negentur, quibus tamen post hoc factum ad clericatum minime convenit aspirare.

131. De conversatione clericorum, ut in uno conclavi sint.

132. De ordinatione ministrorum sacerdotum, quando fiat.

133. Presbyterorum et diaconorum ordinationes certis celebrentur temporibus.

134. Ut nemo litterarum nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus promoveatur ad clerum.

135. Quod clerici criminosi nequeant promoveri; et in clero positi, si in aliquibus fuerint inventi criminibus, a suis officiis arceantur.

136. De his qui viduas aut dimissas ducunt, vel in malis consiliis mixti sunt.

137. Item de eadem re.

138. Ut ex curialibus clericus non fiat, propter voluptates quas a diabolo inventas exhibere compellitur.

139. Quod digami ad clerum admitti non possunt.

140. Qui de laicis possint clerici fieri.

141. De his qui in parva aetate coram parentibus religionis habitum tenuerunt.

142. Quinam clerici debeant promoveri.

(1) Recole p. 362. n. 2.

182. Quod bigami ad sacrum ordinem non sunt applicandi.

183. Cur praeceperit apostolus unius uxoris virum sacrae applicari militiae.

184. Ut ordinationes presbyterorum certis fiant temporibus.

185. Qualiter debeat esse qui clericus fit.

186. Rursus quales homines clerici fieri debeant.

187. Cuius aetatis clerici fieri debeant.

188. Neque curialis neque taxeota ad clericatum admittendi.

189. Statuta sancti Silvestri de ordine clericorum.

190. Quod semel ordinatus, iterum ordinari non debeat.

191. Quod deponi debeat qui denuo manus impositionem recipiat.

192. De servo ordinato in clero.

Explicit de ordinatione clericorum.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

DE CELEBRATIONE CONCILII etc.

1. Ut bis in anno concilia celebrentur.

2. Quibus temporibus synodi ab episcopis debeant in provincia celebrari.

3. Ut episcopi ad synodum inpraetermisse occurrant.

4. De episcopis qui ad concilium non occurrunt.

5. Ut episcopus dioecesanos presbyteros et quosdam ex laicis conveniant litteris (1).

6. Ut metropolitani arbitrio synodus congregetur.

7. Siquis episcopus a metropolitano admonitus ad synodum vel ordinationem episcopalem venire distulerit.

(1) Hoc sumitur ex concilio terracinensi.

8. Dissidentes episcopos si non timor Dei, synodus reconciliet.

9. De coniuratione vel conspiratione.

10. De delatoribus.

11. De accusatis et accusatoribus.

12. Quod excommunicati ad accusationem admitti non debeant.

13. Quod servi et liberti omnesque infames personae non debeant accusare.

14. Ut qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.

15. Qui ad testimonium admittendi non sint.

16. De his qui in accusationem maioris natu veniunt.

17. Si episcopus absque tempore synodi in crimine detentus fuerit, a duodecim episcopis audiatur.

18. De presbyteris vel clericis accusatis.

19. De accusato vel accusatore.

20. Ut causatores de levibus causis non audiantur.

21. De accusatoribus fratrum.

22. Ne sine accusatore legitimo quispiam condempnetur.

23. Accusatores fratrum ad communionem recipiantur non ad clerum.

24. De episcoporum aut clericorum accusatoribus.

25. De falsis testibus.

26. Quod duo sunt falsorum testium genera.

27. De vituperatoribus vel accusatoribus clericorum.

28. De excommunicatis apud vicinos episcopos audiendis.

29. Quod non oporteat clericos habentes adversum invicem negotium, proprium episcopum relinquere et ad saecularia iudicia convolare.

30. Quod officium pristinum dampnati pro criminibus usurpare non debeant.

31. De praevaricatione excommunicationis.

32. Siquis excommunicatus ante audientiam communicare praesumpserit, ipse in se dampnationem protulit.

33. De clericis dampnatis.

34. De dampnatis et ministrare temptantibus.

35. Quod cum excommunicatis non sit orandum.

36. De clericis qui intra annum causam agere non procurant.

37. Ut clerici sine pontificis sui misso nullum ad saeculare iudicium praesumant attrahere.

38. De clericis excommunicatis et laicis.

39. De episcopis ab eiusdem provinciae sacerdotibus consonanter exclusis.

40. De provinciali synodo retractanda.

41. De episcopis et clericis adeuntibus imperatorem.

42. De his qui ad comitatum ire voluerint.

43. Quando et in quibus causis episcopi ad comitatum ire debeant.

44. De diaconis ad comitatum dirigendis.

45. Quod ad comitatum a pupillis et viduis ac necessitatem patientibus sit eundum.

46. De ultione nequiter iudicantium.

47. Quod non poterit episcopus, clericus, et monachus praedia aliena conducere.

48. De his qui ignorant quid sit in synodo constitutum.

49. Quod episcopus vel presbyter in iudicio advocatum habere debet.

50. De eo qui advocatum habere minime valet.

51. Ut nullus episcopus vel infra positus die dominico causam audire praesumat.

52. Ut nullus episcopus pro iudiciis munera accipiat.

53. Ut episcopus nullius causam audiat absque praesentia clericorum suorum.

54. Ut nullus accusati sedem usurpet episcopi.

55. Ne interventor episcopus cathedram, ubi interventor est, insideat.

56. De vacantibus episcopis.

57. De episcopo qui excommunicat eum qui sibi soli crimen confitetur.

58. Ut non temere quemquam communione privet episcopus.

59. De his qui sine causa excommunicant.

60. De ordine quo depositus iterum ordinetur.

61. De communione privatis et ita defunctis.

62. De defensoribus ecclesiarum ab imperatore poscendis.

63. Ut ab imperatoribus postuletur advocatorum defensio pro causis ecclesiae.

64. De his qui ecclesiastica ministeria praeter ecclesiam faciunt.

65. De fructuum oblationibus, quae ministris ecclesiae feruntur.

66. De his qui agapam, id est pastiones pauperum, risui deputant.

67. Siquis potentium, quemlibet expoliaverit, et admonente episcopo non reddiderit.

68. De his qui plebes ad se pertinentes neglegunt.

69. Ut episcopus neglegens suam dioecesim communione privetur eiusdem.

70. Ut basilicae in cuius territorio sunt, in eius episcopi maneant potestate.

107. De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiae aliquid contulerint.

108. De libertis ex familia factis.

109. De discretione manumissorum ex familia ecclesiae, qualiter manumittantur.

110. De libertis patrocinio ecclesiae commendatis.

111. Quod manere debeat firmum, si servi fisci ecclesiam construxerint.

112. Quod non debet minus princeps ministrare quam minister.

113. Quod non decet principem servare proprium thesaurum.

114. Quod non debet princeps ecclesiam propriam habere.

115. De eadem re.

116. Cur carnali principi in locis sanctorum fieri tumuli permittantur.

117. Quod non degradandi sunt principes a Deo uncti, etiam maligni, et non privandi opibus.

118. De pessimis principibus eiciendis (1).

119. De mansuetudine principis erga populum.

120. Quod non debet princeps despicere monachos.

121. Quod principes non culpentur parvo crimine.

122. De subiectione populi erga principem.

123. Quod princeps habere ministrum debet.

124. Ut minister obediat principi.

125. De excommunicatione contradicentis.

126. De iure principis apud populum.

127. De paenitentia murmurantis contra principem bonum.

128. De iure doctoris.

(1) In textu agitur de episcopis (qui vocantur principes) si haeretici evaserint, e cathedris suis consensu synodi eiciendis.

129. De honore doctoris.

130. Quod doctores debent implere quod docent.

131. Quod debent doctores accipere cousilia a subiectis.

132. Quod sequenda sit doctrina doctoris mali, non opera.

133. De malo doctore contempnendo.

134. Quod melior est docta iustitia quam sancta rusticitas (1).

135. Quod sancta rusticitas discretionem non habet.

136. Quod sancta rusticitas debet subici non praeesse (2).

137. De rusticitate certante contra iustitiam.

138. De comparatione sanctae rusticitatis et scicutiae peccatricis.

139. Quod melior est sancta rusticitas quam sapientia non implens quod docet.

140. Difficilius errantem converti sapientem quam rusticum.

141. De doctore bono non contristando.

142. Quod non minoris mercedis sit pabulo verbi quam terreno pane satiari.

143. Quod considerandum est doctori quid, cui, quando, qualiter loquatur.

144. Quod non liceat episcopo in aliena provincia clerum ordinare.

145. De his qui cum ad episcopatum vocantur evitant.

(1) *Contra sanctam rusticitatem litteras impugnantem* scripsit duos libros ad Nicolaum ·V· P. M. Timotheus veronensis, quorum prologum edidit Scipio Maffeius Verona illustr. lib. III; opus autem ipsum servatur adhuc in vaticanis codicibus.

(2) Hoc in primis aequum videtur.

146. Ut ab episcopis aliena parochia non pervadatur.

147. Ut ecclesia saeculari potentia minime pervadatur.

148. Episcopus die dominico ecclesiae deesse non debet.

149. Episcopus sedens stare presbyterum non patiatur.

150. Episcopus colleganum (1) se presbyterorum agnoscat.

151. Episcopi si per ambitionem sedem mutaverint, nec in exitu communionem saltem laicorum consequantur.

152. Quamdiu episcopus in aliena civitate remorari debeat.

153. Qui persecutionis tempore in aliena remorari voluerint, non prohibeantur.

154. Non liceat episcopo a sua ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse.

155. De his qui in ecclesiis, in quibus provecti sunt, minime perdurarunt.

156. De tempore quo licet sacerdotibus ab ecclesia abesse.

157. Non transmigrandum de civitate in civitatem.

158. De eo quod si necessaria est transmigratio episcoporum, non temere iudicentur.

159. Quod fugiendum sit de civitate ad civitatem. Et de mutatione sedium, si necesse sit.

160. De mutatione sedium episcoporum, si utilitatis causa est.

161. Quod nullus debet iudicare episcopum.

162. Ut clericus qui se eunuchizavit, abiciatur de clero.

(1) Ita ter in cod. pro *collegam*.

163. Ut laicus qui se eunuchizavit, tribus annis communione privetur.

164. Quod episcopus, presbyter, et diaconus fideles peccantes verberare non debeant.

165. De presbyteris qui contemptis episcopis seorsum conventum congregare temptant.

166. De his qui merito facinorum suorum ab ecclesiae congregatione pelluntur.

167. Quod clerici dampnati non debeant ab aliis recipi.

168. De ordinatis episcopis nec receptis.

169. Quod episcopus, presbyter, diaconus aut quilibet ex clero, etiam laicus, alcator et ebriosus non debeat esse.

170. Quod episcopus, presbyter, et diaconus non debeat cum haereticis orare.

171. Quod non admittantur ad clerum ab haereticis ordinati.

172. Quod omnis cuiuslibet ordinis clericus, qui catholicam fidem deserens, haereticae se communioni miscuerit, si ad ecclesiam conversus fuerit, in eo gradu quo fuerat sine promotione permaneat.

173. De schismaticis.

174. De presbyteris qui immolaverunt tempore persecutionis.

175. De his qui ex fuga comprehensi sunt, et per vim immolaverunt.

176. Ut presbyteri modum sibi debitum servent.

177. Quod presbyteri plebium in ecclesia civitatis nec sacrificium offerre nec ministrare debeant quae oblata sunt.

178. Qui in agris et possessionibus debeant ordinari.

179. Quod nequaquam in duos metropolitanos provincia dividatur.

180. Quod non liceat clero post mortem sui episcopi rem ad eum pertinentem diripere.

181. Ut episcopi vel clerici filios suos non facile emancipent.

182. Ut princeps sacerdotum non appelletur episcopus.

183. De plebibus quae numquam episcopos habuerunt.

184. De precibus ad altare dicendis.

185. Nullus episcopus, presbyter, diaconus, conductor existat.

186. De clericis scurrilibus.

187. Ut clerici nullam negotiationem inhonestam et turpia lucra sectentur.

188. De eadem re.

189. Quod episcopus, presbyter, et diaconus non debeant usuras accipere.

190. Ut clericus nec suo nec alieno nomine foenus exerceat.

191. Siquis clericus furtum ecclesiae fecerit.

192. Ut cuiuslibet ordinis clericus, si tardius ad ecclesiam venerit, clericus non habeatur.

193. Quod nullus ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.

194. Clerici tabernas non ingrediantur absque peregrinationis necessitate.

195. De clericis qui in mutuam caedem prorumpunt.

196. De clericis qui ad saecularium defensionem confugiunt propter districtionem episcopi.

197. De clericis negotia et nundinas sectantibus.

198. Si voluntarie clericus dampnum ecclesiae fecerit.

199. Ut clericis vetetur ebrietas, quae omnium vitiorum fomes et nutrix est.

200. Cuiuscumque ordinis clerici nuptialia convivia viteut.

201. De clericis qui magos aut sortilegos consuluerint.

202. Clericus magus et incantator non sit, neque phylacteria faciat.

203. De clericis qui in seditione arma sumpserint.

204. De clericis per plateas et andronas ambulantibus.

205. De clericis in nundinis et foro deambulantibus.

206. Clerici qui vigiliis desunt, stipendiis privandi.

207. Clerici maledici degradentur.

208. De clericis sepulcra demolientibus.

209. Clerici adulatores et proditores degradentur.

210. Clerici in vestimentis aut calciamentis non quaerant decorem.

211. De clericis per creaturam iurantibus.

212. De distantia ministerii sacerdotis et diaconi.

213. De honore quem presbyteris diaconi, et diaconis subdiaconi qui sub ipsis sunt debent exhibere.

214. Ut diaconi mensuram propriam iuxta patrum statuta custodiant.

215. De obedientia diaconorum erga presbyteros.

216. Ne diaconus praesente presbytero eucharistiam det.

217. Ut diaconi tempore tantum oblationis alba utantur.

218. Quod non debeant benedicere subdiaconi.

219. Ut sacerdotes et levitae canes ad venandum et accipitres non habeant.

220. Quod sacerdos foenore aut venatione occupari non debeat.

221. De clericis qui sunt in parochiis.

222. Si clericus inconsulto episcopo agendam celebraverit.

223. De his qui ex vasis ministerii aliquid vendiderint.

224. Ne presbyter benedictionem vel paenitentiam in ecclesia dare praesumat.

225. Quod episcopus nisi ab alio postulatus dimissoria facere non debeat.

226. De praesidibus vel ceteris rempublicam agere volentibus, ne sine litteris episcopi sui communicent.

227. Ut clerici vel laici in aliena ecclesia non communicent sine litteris episcopi sui.

228. Quod non oporteat egenis epistolia attribui.

229. De clericis qui sine epistolis sui pontificis proficiscuntur.

230. De pacificis peregrinorum.

231. Ut sine epistola episcopi sui non liceat clericum proficisci.

232. Ut nullus fidelium praeter commendaticias suscipiatur epistolas.

233. Ut nullus episcopus presbyter aut diaconus sine commendaticiis suscipiatur epistolis.

234. Epistola formata Attici constantinopolitani.

235. De indoctis sacerdotibus.

236. Interrogatus sacerdos debet respondere. Quod si nesciat legem, ipse arguitur quod sacerdos non sit.

237. Ut aegrotus episcopus non vetetur sacrificia celebrare.

238. Quod daemoniis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat.

239. De hypocritis quod dupliciter condempnentur.

240. Quod qui vitio est subiectus, alterius non possit arguere vitium.

241. Quod praepositorum culpa a subditis non sit denudanda.

242. Quod non omnes uno modo sint instituendi.

243. De his qui peccantem non recipiunt.

244. De honore clerici ac laici.

245. Quod cum dampno animae suae ab ecclesia, quae pauperes pascit, accipiunt illi qui de suo sibi sufficiunt.

246. Qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edant.

247. De his qui in congregatione sibi commissa solummodo ex familia ecclesiastica clericos aggregare student.

248. De episcopis aliisque religiosis viris tabulizantibus, vel ludentium sociis.

249. Nullus episcopus cogatur subiectum sibi clericum de suo clero dimittere.

250. Ut episcopi sua manu non caedant.

251. Quod nihil prosit sacerdoti, etiamsi bene vivat, si male viventibus non contradicat.

252. Si presbyter post acceptum gradum uxorem duxerit.

253. De subintroductis mulieribus.

254. Episcopos vel sequentes ordines, qui sacrosancta mysteria contrectant, placuit ab uxoribus abstineri.

255. De presbyteris qui uxores acceperunt vel fornicati sunt.

256. Quod sacerdotes et levitae cum mulieribus sociari non debeant.

257. De his qui mulieribus adulteris iuncti sunt.

258. De diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis.

259. Quod clericis carnale coniugium denegetur.

260. De incontinentia sacerdotum seu levitarum.

261. Ut episcopus et presbyter uxorem suam, quam debet caste regere, non relinquat.

262. Epistola Hormisdae papae per universas provincias.

263. De suspecta sacerdotum infamatione.

264. Quale mereatur occultatio dolosa supplicium, et quantum remedii habeat confessio peccatorum.

265. De non contempnendo oblationes presbyteri coniugati.

266. Ut presbyteri et diaconi in graviori culpa convicti manus impositionem tamquam laici non suscipiant.

267. Quod presbyteri et diaconi si in aliquod crimen prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem paenitentiae remedium consequi.

268. Quod incertum sit utrum priorem gradum episcopus post lapsum accipiat.

269. De ministerio quod agit post paenitentiam qui sub gradu peccavit.

270. De lapsis gradibus.

271. Epistola Isidori episcopi ad Massonem episcopum de restauratione sacerdotum.

272. Quod sacerdotibus lapsis, in monasterio paenitentia agenda est.

273. De lapsis sacerdotibus post acceptum sacrum ordinem, ut post paenitentiam ad ministerii officium revocari non possint.

274. Gregorii PP. responsum ad Secundinum servum Dei inclausum de restauratione sacerdotali.

275. De reconciliatione episcoporum.

276. Qualem oporteat clericum esse.

277. De Polychronio hierosolymitano episcopo.

CAPITULA LIBRI TERTII

DE MINISTERIIS ECCLESIASTICIS etc.

1. De differentia presbyteri ad similitudinem ministerii episcopi.

2. De causis quibus immolabant sacerdotes in lege naturali, quorum primus Melchisedec immolans optulit.

3. De causis quibus immolabant sacerdotes legaliter, quorum primus Aaron.

4. De causis quibus immolant sacerdotes in novo foedere.

5. De modis quibus nunc immolat ecclesia.

6. De universo sacrificio propter quattuor leges.

7. De ordine sacerdotum erga principem et populum.

8. Quod non habeant sacerdotes hereditatem nisi Deum.

9. De superfluis sacerdotum ecclesiae dandis.

10. Ut sacerdos non quaerat pretium ministerii.

11. De iure sacerdotum.

12. De poena resistendi sacerdoti.

13. Quod danda sit pars substantiae mortui sacerdotibus.

14. Ut sacerdos non accipiat munera iniquorum.

15. Quod non nocet victus ac vestimentum necessarium, nisi superflua recipiat dona.

16. Quod dona iniquorum a sacerdote recipienda sint, ut pauperibus tamen erogentur et captivis.

17. Quod non debet sacerdos aestimare sibi dona oblata sua esse sed ecclesiae.

18. Quod superiores gradus non debent curas saeculares habere.

19. Quod non nocet ministerio ministrantis contagium vitae.

20. De increpatione malorum sacerdotum.

21. Quod paschae temporibus presbyteri et diaconi remissionem peccatorum per parochias dent.

22. Quo tempore pascha celebretur.

23. Ad aliam parochiam eulogias, quae oblatae sunt, minime destinandas.

24. De lectionibus quae debeant recenseri in sabbatis.

25. Quod interstitium psalmorum debeat in conventu fidelium fieri.

26. Quod pro episcopo infirmo sacerdos non ministret.

27. De precibus post sermonem habitum ad plebem faciendis, et de his quos intra sacrarium communicare conveniat.

28. Non licere presbytero introire ad altare prius quam ingrediatur episcopus.

29. Quod missa non ab alio sed ab eo qui coepit compleri debeat.

30. Quod non debeant sacerdotes aut clerici amicti palliis et praecincti lumbos in ecclesia ministrare.

31. Quod episcopi, presbyteri, diaconi saecularibus indumentis non debeant uti.

32. Nullus clericus causam dicat cinctus nisi in ecclesia.

33. Quod episcoporum cubicularii, non laici, sed clerici vel monachi esse debeant.

34. De his qui debeant in ambone id est in pulpito psallere.

35. Quod cantantibus et psallentibus Domino, angelorum adsint praesidia, et maledictus homo qui opus Dei facit neglegenter.

36. Quod pueros eunichizari nefarium sit, et de cantoribus ecclesiae.

37. De cantoribus et psallentibus.

38. Quod cum disciplina debet cani.

39. De modulatione cantandi in ecclesia.

40. Ut sacris altaribus dediti, cantores non eligantur.

41. Quod laudanda est ambrosiana melodia, et quod per ipsam ad credulitatem multi pervenerunt; et quod propter ipsam melodiam, castrationem ab hominibus fieri abominandum est.

42. De precibus nona et vespera celebrandis.

43. Si frater nominandus inter missarum sollempnia, an non.

44. Cuiusnam specialiter in ecclesia nomen taceatur.

45. Epistola beati Damasi papae ad Hieronymum de ordine missarum.

46. Ut nullus sacerdos sacrificium altaris in panno tincto celebret.

47. Ut nihil aliud in sacrificio praeter id quod statuit offeratur.

48. Ut in altari ubi episcopus missam facit, non liceat ipso die sacerdoti missam celebrare.

49. Quod ministri altaris oblatione celebrata debeant communicare.

50. De altari moto.

51. Quod dominica eucharistia vere sit caro et sanguis Christi.

52. Utrum cotidiana accipienda eucharistia.

53. De saecularibus quoties accipere eucharistiam debeant.

54. Quod fideles laici ingredientes ecclesiam communicare debeant.

55. Nullus praesumat ad celebrandam missam cum baculo introire, nec cum velato capite altari assistere.

56. De affligendo corde inter missarum sollempnia.

57. De his qui intrantes ecclesiam propter nimiam luxuriam sacramento se abstinent.

58. Quod sollempnitates sanctorum non tam cibis quam animi exultatione celebrandae sint.

59. Ut populus ante completam missam et benedictionem acceptam egredi non praesumat.

60. Nec laicus nec femina ingrediatur ad altare.

61. Ut sacrarium mulieres non introeant.

62. Ne feminae in coemeteriis pervigilent.

63. Ut nullus civium festivitates maiores in villa celebret.

64. De his qui tardius ad ecclesiam accedunt.

65. Quod usuras non clerici solum exigere non debeant, sed nec laici christiani.

66. Oblatas in quadragesima non oportere offerri.

67. Oblatas offerri in domibus non oportere.

68. Quae species non ad altaris sacrificium sed ad simplicem benedictionem debeant offerri.

69. Ut ea quae in ecclesia offerri non possunt, ad domos sacerdotum a fidelibus deferantur.

70. Quod Domini erunt quae offeruntur.

71. De omnibus Deo immolatis.

72. De his qui retrahunt sanctificata.

73. De eo qui nudaverit ecclesiam.

74. Quod humanius agat ecclesia cum his qui retrahunt oblationes.

75. Quod non expoliandae sunt ecclesiae, si mali sint principes earum.

76. De oblationibus non movendis, nisi necessitas suaserit.

77. De quattuor oblationibus ecclesiae Dei.

78. De decimis.

79. De oblatione degentis sub censu non percipienda.

80. De oblatione puerorum (1) mutanda, si mundo; non mutanda, si Deo.

81. De votis puerorum vel mulierum retrahendis vel non retrahendis.

82. De obligationibus antiqui temporis retractis, in ius antiquum revocandis.

83. Quod non oporteat oblationes, quae deferuntur ecclesiae, voluptatibus admisceri.

84. De oblationibus liberi hominis non retrahendis.

85. De iure sepulturae. De viris et uxoribus in uno sepulcro sepeliendis.

86. Quod mulier post mortem prioris viri libera sit cum secundo viro coniungi et sepeliri.

87. De mortuo non retinendo.

88. De viris et mulieribus non uno sepulcro sepeliendis; sed unusquisque sepeliatur in sepulcro paterno.

89. Quod pro plaga gravissima reputatur ei qui non sepelietur in patrum sepulcro.

90. De exemplo consepeliendi viros feminasque, si pares marito sunt (2).

(1) Nempe de rebus oblatis a pueris, ut est in textu.

(2) In textu proferuntur exempla S. Scholasticae sepultae in tumulo S. Benedicti fratris, et S. Philippi apostoli cum quatuor filiabus sepulti.

91. Quod debeat homo in ecclesia sua sepeliri, etiam monachus.

92. Quod mittenda sors inter ecclesiam et sepulcrum patris.

93. Quod sepulcrum vendi non debeat.

94. Quod non prodest malis sepeliri in locis sanctis.

95. De retinendis corporibus (1).

96. De transmigratione corporis martyrum.

97. De cura pro mortuis. De quattuor modis quibus adiuvantur mortui.

98. De his quae offerri debent.

99. De sacrificio pro mortuis.

100. De orando pro mortuis.

101. De ieiunio pro mortuis.

102. De remissione non quaerenda post mortem, cum in vita sit quaesita.

103. De testimonio vivi super mortuo.

104. Quod non facile firmatur testimonium super mortuo.

105. De testamento mortui super vivo.

106. De his qui submutant oblationes mortuorum.

107. De his qui suas vel propinquorum oblationes ecclesiae fraudant.

CAPITULA LIBRI QUARTI

DE MONACHIS.

1. De nomine monachorum.

2. De exordio et auctoritate monachorum.

3. De tribus malis monachi, querela, ultione, iracundia.

4. De variis generibus monachorum.

(1) Nempe in obitus loco.

26. Ut de alieno monasterio susceptos, nec praepositos monasteriis nec clericos liceat ordinare.

27. Quod de familia ecclesiastica nemo conversationis gratia in monasterium festinare debeat, nisi prius in laico habitu probetur.

28. De electione monachi ad ordinem.

29. De pueris vel puellis monachis.

30. Sicut nullus abbas fieri, ita nullus conversus sine biennali tempore tonsurari permittatur.

31. De monachis et virginibus qui suam professionem non custodiunt.

32. De non manentibus in suo proposito.

33. De virginibus et monachis.

34. De monachis et virginibus propositum non servantibus.

35. De proposito monachi epistola papae Leonis.

36. De his qui sine crimine per vim in monasterium missi sunt.

37. Quod monachi per vim fieri non debeant.

38. Quod ex clero monachus factus, nec ad suam nec ad aliam ecclesiam propria voluntate remeare possit.

39. De ordinatione monachi.

40. De monachis qui solo habitu existunt.

41. Si vir vel mulier ad solitariam vitam transierit.

42. Si laicus coniugatus monachus fieri voluerit.

43. De coniugum conversatione non uno sine altero.

44. Siquis inter celebrandum mysteria ministris Dei iniuriam fecerit.

45. Si sponsus vel sponsa ad monasterium confugiat.

46. Quid si ad monasterium quis secesserit.

47. De eo qui monasterium suum reliquit.

48. Ut monachi vel monachae in civitatibus non deambulent.

72. De vita adulescentularum.
73. Si devota maritum acceperit.
74. De separatione viduarum et clericorum.
75. De virginitatis laude in utroque sexu.
76. De dissimulatis virginibus et eorum moribus.
77. De veris viduis.
78. De statu viduae.
79. Quod debeat ecclesia viduas debiles alere.
80. De palliatarum nomine.
81. Quod non debet virgo velari ante duodecimum aetatis suae annum.
82. De duobus generibus palliatarum.
83. De honore palliatarum religiosarum.
84. Quomodo duo genera palliatarum vivere debeant.
85. De malis paenitentibus mulieribus.
86. Ut mulieres viros non doceant.
87. Ut feminae non accipiant ullum virile aut sacerdotale officium.
88. De nomine presbyterae.
89. De relicta a clerico.
90. Quod mulier tonderi debeat.

CAPITULA LIBRI QUINTI

DE GRATIA BAPTIZANDORUM etc.

1. Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testatur instituta purgatio, cum exorcismis et subflationibus spiritus ab eis abigatur.
2. Ut post pascha et pentecosten baptisma non celebretur.
3. Quod paschate et pentecoste sit baptizandum.
4. De trina mersione.

5. Quod omni tempore hi qui in necessitate mortis aut aegritudinis vel obsidionis sive persecutionis aut naufragii urgentur, debeant baptizari.

6. De fide in aegritudine baptizati.

7. Qualiter baptizari liceat eos qui subita infirmitate commutescunt.

8. De catechumena praegnante.

9. An praegnans mulier debeat baptizari.

10. De infantibus baptizandis quoties dubitatur utrum fuerint baptizati.

11. Quod hi, quibus dubium est utrum baptismum perceperint, necesse est ut renascantur.

12. Quod hi qui se baptizatos cognoscunt, sed in qua fide nesciunt, per manus impositionem suscipiendi sunt.

13. Quod ecclesiae baptismate baptizatus, denuo baptizari non debeat.

14. De his qui rebaptizati sunt, quantum paeniteant.

15. De arrianis non rebaptizandis.

16. De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.

17. Statuta sancti Silvestri, quod baptizatum linire chrismate presbyter debeat.

18. Quod non debent baptizati nisi ab episcopo consignari.

19. Quod iudaeus, si voluerit, ante pascha baptizari possit.

20. Quod in nomine Trinitatis debeat baptizari.

21. Quod non debeat una mersio in baptismate quasi in morte Domini provenire.

22. De his qui non sponte sed inviti ad iterationem baptismi compulsi sunt.

23. Quod non debeat haereticorum baptisma comprobari.

24. Ut hi qui ab haereticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus invocatione firmentur.

25. De energumenis baptizatis.

26. Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Quod siqui perpetrare fuerint deprehensi, honoris sui periculum subituri sunt.

27. De his qui circa mediam septimanam ad baptismum veniunt.

28. De perceptione fidei, et redditione eorum qui baptizantur.

29. Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur, ubi et presbyter minister ostenditur.

30. Ut ab alterius episcopo chrisma nullus accipiat.

31. Ut archipresbyteri in caena Domini chrisma petant.

32. De chrismate infantibus impertiendo.

33. De signatione baptizandorum.

34. Quod hi qui baptismum petunt, non solum baptizentur, sed doceantur etiam qualiter vivere debeant.

35. Quod baptismus si fuerit traditus ab adultero vel latrone, permaneat inlibatus.

36. Si ob necessitatem in vino baptizetur aegrotus.

37. Si cum vase aut cum manibus aeger infans baptizetur.

38. Siquis rustice baptizat.

39. De iterato baptismo.

40. Quod pro infirmis debeat sacerdos orare, et iuxta praeceptum sancti Iacobi oleo perungere.

41. De moribus christiani.

42. Ut non faciamus homines malos.

43. De his qui se putant iustos esse, et non sunt.

44. De moderantia in vestibus christianorum.

45. Quod debet christianus septem (virtutes) cum suo vocabulo a Christo sumere.

46. De his quibus pertinet nomen christiani.

47. De malis personis tempore novissimo.

48. De administrationibus saecularium iudiciorum.

49. Quod qui preces vel criminales dictant habeantur inmunes.

50. De observatione dominici diei.

51. Item de die sancto dominico.

52. De operatione die dominico.

53. De his qui die dominico pentecostes genu flectunt.

54. De his qui die dominico ieiunant tamquam nihil prae ceteris differat.

55. De spectaculis, ut die dominico vel ceteris sanctorum sollempnitatibus minime celebrentur.

56. De histrionibus christianis factis.

57. Quod in festivitatibus sanctorum ballationes et ludibria fieri, magnum peccatum sit.

58. Contra illos qui dicunt dominicis diebus nullum debere lavari.

59. Quod de conviviis, quae ex agape fiunt, escarum partes clerici accipere non debeant.

60. Non licere clericis ludiosis spectaculis interesse.

61. In ecclesiis prandia fieri non debere.

62. De his qui esum carnium in clero constituti defugiunt.

63. De imaginibus vel cruce adorandis.

64. Quod honorare debemus reliquias martyrum vel elementa Dei, sed Deum adorare debemus.

65. Excepto creatore creaturam adorare non debemus.

66. De imaginibus ab haereticis confractis et ab ecclesiis proiectis.

67. Item de imaginibus propter Deum venerandis.

68. De distantia inter adorare imagines Dei et idolorum culturam.

69. Ut supra de imaginibus.

70. De haereticis capitula quinque.

71. De causa qua sunt haeretici.

72. De haeresiarchis.

73. De haereticis vitandis post correptionem.

74. De haeretico expugnando.

75. De christianis qui sabbatizare, vel iuxta quendam modum iudaizare noscuntur.

76. Quod in sabbato vacatio fieri non debeat.

77. De martyribus haereticorum.

78. De his qui ab haereticis vel iudaeis festivitatis eorum dona suscipiunt.

79. De christianis qui iudaeorum azyma comedunt.

80. De christianis celebrantibus festa gentilium.

81. De haereticis intrantibus in ecclesias vel basilicas martyrum.

82. De catechumenis lapsis.

83. De catechumenis peccantibus.

84. Ut sacramentum catechumenis non praebeatur.

85. Quod non admittantur ad clerum ab haereticis ordinati.

86. De haereticis si ad catholicam fidem convertantur.

87. Quod omnis cuiuslibet ordinis clericus qui catholicam deserens fidem haereticae se communioni miscuerit, si ad ecclesiam conversus fuerit, in eo gradu quo fuerat, sine promotione permaneat.

88. Quod iudaei christiana mancipia non habeant.

89. Item de hebraeis qui christiana mancipia comparantes circumcidere praesumpserunt.

90. De his qui in servitio iudaeorum ex christianis fieri volunt.

91. Non invitus convertatur ad fidem Christi.

92. Qui diversis causis gentilitatis ritûs aliquid peregerunt.

93. De his qui timore ritus gentilium peregerunt.

94. De his qui in locis idolorum manducaverunt.

95. De his qui frequenter idolis immolaverunt.

96. De his qui convivio gentilium et escis immolaticiis usi sunt.

97. De his qui et aliis sacrificandi causam attulerunt.

98. De his qui cum essent catechumeni idolis immolaverunt.

99. De his qui propter necessitatem lapsi sunt, quando paeniteant.

100. De catholicis ad haeresim transeuntibus.

101. De episcopis qui haereticos vel paganos heredes instituunt.

102. De haereticis si in mortis discrimine convertantur.

103. De his qui terrore compulsi sunt ut haereticis communicarent, si se ab haereticis separare voluerint, ut ab ecclesia catholica suscipiantur.

104. De christianis qui ad apostasiam transierunt, et idolorum sacrificiis contaminati sunt.

105. Ab haereticis eulogias accipi non debere.

106. De hariolis et haruspicibus.

107. De his qui divinationes expetunt.

108. De his qui angelos colunt.

109. De divinis et sortilegis.

110. Quod non liceat christianis observationes diversas adtendere.

111. Quod non liceat in collectione herbarum aliquas incantationes adtendere.

112. Quod non liceat christianis mulieribus vanitates in suis lanificiis observare.

113. Ut auguria vel incantationes non observentur.

114. De christianis non debentibus quaerere divinationes.

115. De inanitate bonorum operum quamdiu sit homo in hac observantia.

116. De poena divinationis huius.

117. De paenitentia christianorum divinationes observantium.

118. De auguriis non observandis etiamsi vera sint.

119. De causa qua daemones plus sciunt quam homines.

120. De licentia christiana (nempe libertate a superstitione.)

CAPITULA LIBRI SEXTI

DE DIVERSIS.

1. De nomine ecclesiae.
2. De vera ecclesia non habente nisi tria.
3. De tribus quibus debet ecclesia non uti.
4. Quod quaerendi sunt defensores ad defendendam ecclesiam.
5. De ecclesia res non repetente.
6. De hereditate iusti non auferenda.
7. Quod liceat ecclesiae sumere de spoliis.
8. De blasphemantibus ecclesiam mundialibus.
9. Ut ecclesia mundiales increpet.
10. Non oportere de religione lucra terrena sectari.
11. De discordantibus reiciendis ab ecclesia.

12. De his qui post odium ad pacem non revertuntur.

13. Ut oblationes fratrum discordantium non recipiantur.

14. De unitate non scindenda, et de concordia ecclesiae.

15. Quod non dividenda sit ecclesia.

16. De divisione parochiae inter duos episcopos.

17. Quod melior sit divisio quam discordia.

18. De duobus super uno agro contendentibus.

19. Qui ecclesiae facultates usurpant sub obtentu misericordiae.

20. De collecta pecunia non vituperanda, necessitate cogente.

21. Ut servos, qui ad ecclesiam confugerint, post iuramentum exire nolentes liceat occupare.

22. Quod ecclesia non debeat fugientia retinere mancipia.

23. Incipit de locis sanctis, in primis de aedificantibus ecclesiam in territorio alicuius episcopi.

24. De locis sine martyribus.

25. De conversatione advenae accipientis locum.

26. De quaerentibus mutare locum.

27. Quod non de loco ad locum quaerendus est Deus.

28. Quod locus consecratus custodiendus est ab immundis.

29. De termino locorum sanctorum.

30. De loco sancto a malis non tangendo.

31. De eo qui detrahit locis sanctorum martyrum.

32. De locis sanctis colendis.

33. Quod carior sangnis sanctus quam locus.

34. Probatio cur carior sanctus sanguis quam locus.

35. De ecclesiis ab infidelibus non fundandis.

36. De advena proprio arbitrio construere locum non potente.

37. De advena si non potuerit, et voluerit locum obtinere.

38. Quod non sanctis locorum conditoribus sacrificandum sed Deo.

39. De termino loci sancti signati terminatoque a tribus personis.

40. De numero terminorum sancti loci.

41. De his qui loca pro tempore retinent, qualiter recedentes separari debeant.

42. Explicit de locis sanctis. Incipit de tonsura, in primis de exordio tonsurae ecclesiae.

43. De primo clerico tonso.

44. De quinque causis quibus tonsuratus est Petrus.

45. De sacramento radendi in anima habendo.

46. De excommunicandis clericis qui non tonsurantur tonsura romana.

47. Ut nullus clericus aut monachus comam laxare praesumat.

48. Incipit de ordine excommunicationis. Cum excommunicato non communicetur, et de modis excommunicationis.

49. De excommunicandis malis.

50. De excommunicanda mensa malorum.

51. Quod non oportet a malis hominibus munera accipere.

52. De non dicendo ave peccatoribus et non recipiendo.

53. Quod non cito excommunicandus sit, qui innocenter vel necessitate conviva peccatorum est.

54. Quod non excommunicandi sunt qui in macellum veniunt.

55. Quod melius est secedere a malis, ne immature quis cum illis pereat carnaliter.

56. Quod non nocet bonis deprehendi cum malis.

57. Quod non nocet meritis bonorum mori cum malis.

58. Quod non debet excommunicatus offerre vel baptizare, nisi solum orare.

59. Quod non suscipienda sit eleemosyna excommunicati. Incipit de testimonio.

60. De quinque modis testimonii.

61. Quod tribus rebus probatur verus testis.

62. Quod non recipienda sit repentina testificatio.

63. De tribus personis quibus obnoxius est falsus testis.

64. De his qui ad testimonium non admittendi sunt.

65. Quod respiciendae sint personae testantium.

66. Quod idem est dicere falsum testimonium, et credere dicenti.

67. De mendacio non suscipiendo.

68. De mendacio dampnando.

69. De catholicis temere testantibus.

70. De testimonio prohibito.

71. De testimonio timendo ac pluribus.

72. De vindictis falsi testis.

73. Incipit de iudicio, in primis de nomine iudicii.

74. De personis eligendis ad iudicium.

75. De pluribus iudicibus in una gente.

76. De iudicio incerto minorum iudicum a maioribus inquirendo.

77. De loco iudicum.

78. De tribus quibus indiget iudex.

79. Quod non oporteat sensum scripturae depravare.

80. Admonitio iudicum ut pacem sequantur.

104. Quod non debet servus inire iudicium cum principe.

105. Incipit de commendationibus mortuorum, in primis de commendatione patris aut principis non mutanda.

106. De principe vel episcopo sua propria commendante.

107. Quod non debet princeps commendare de rebus ecclesiae.

108. Quod potest princeps aliquid commendare de rebus ecclesiae consentientibus clericis.

109. Degens sub censu nihil commendet.

110. Si degens sub censu commendaverit voluntate sua.

111. De commendatione parvulorum retrahenda aut non retrahenda.

112. De commendatione degentis sub coniugio.

113. Incipit de iussoribus, et ratis, et stipulationibus, id est de eo quod solvit fideiussor dirigens manum pro extraneo.

114. Quod non debet clericus esse fideiussor pro laico.

115. De personis indignis ad fideiussionem.

116. De tempore quo debent ratas solvere.

117. De modo quo reddent debitum.

118. Quod non debet aliquis emere aut vendere sine ratis et stipulatione.

119. Incipit de debitis et pignoribus, in primis de debitis reddendis.

120. Quod debitum debet reddi, licet post mortem, ei cui debetur.

121. De debitis dimittendis illis qui debiles aut inopes sunt.

147. Incipit de regno, in primis de nomine regni.
148. De ordinatione regis cum sorte.
149. De ordinatione regis cum oleo.
150. De duabus virtutibus regis.
151. Quod omnis potestas a Deo sit.
152. Quod maiorum regum opera destruantur.
153. Quod principes si delinquant, difficile corrigantur, et viam ostendant erroris.
154. Quod populi peccato sint principes mali, et quod principum culpa sint iudices iniqui.
155. De increpatione regum.
156. Quod bonorum regum opera aedificent.
157. De censu regi dando.
158. De censu non reddendo per ecclesiam liberam a mundialibus rebus.
159. De gravitate imperii.
160. De moderato imperio.
161. De dominis rapere non debentibus aut fraudare.
162. Quod breve regnum iustum melius est longo iniquo.
163. Sermo regis gladius est, quanto magis sermo Domini nostri!
164. De sermone regis protegente inimicum aut vinctum, sed tantum misericordiae causa.
165. Quod non oportet iuvenem regnare.
166. Ne rex habeat plures uxores.
167. De non adulando regi vel peccatoribus.
168. De non custodientibus regem.
169. Incipit de sorte, in primis de sorte mittenda in dubiis et incertis.
170. Quod non est electio humana in sorte.
171. Quod non semper sortibus credendum sed Deo.
172. De quatuor causis in quibus sors legitur missa.

173. De his inter quos mitti sors debet.

174. Incipit de patribus et filiis, in primis de nomine patris et filii.

175. De modis filiorum.

176. De anima mortificanda in peccato proprio.

177. De peccato patris veniente in filios suos, tamen a Deo.

178. De iniquitate patrum tradenda in multos posteros.

179. De iniquitate filiorum in parentes suos tradenda, si consenserint filiis.

180. Quod non solum sermone quisque corripere debet, sed potestate.

181. De iniquitate filiorum patres non criminante, si correxerint.

182. De veritate patrum in filios trahenda.

183. De iustitia patris filium non adiuvante.

184. Quod iustitia patris honorificat heredem bonum.

185. Quod iustitia filii non honorificat parentem iniustum.

186. De correctione filiorum a patre secundum doctrinam Domini.

187. De iniquitate filiorum in patres suos.

188. De pietate in parentes.

189. De parentibus suis honorandis.

190. Quod parentes non sunt vitae auctores sed Deus.

191. De his qui christianitatis obtentu despiciunt filios.

192. Quod praeponendus sit Deus filiis et propinquis irreligiosis.

193. Incipit de parentibus et eorum heredibus, in

primis de pietate parentum erga heredes, et de hereditate in perpetuum conservanda.

194. De ratione primogeniti.

195. Quod pater potest dare partem uni filiorum extra alios.

196. Quod pater potest ordinare nepotes suos in loco filiorum.

197. Quod pater potest minorem praecellere maiori.

198. Quod privantur alii filii hereditate pro debito suo.

199. De hereditate servanda filiis legitimis.

200. De hereditate filii morientis ante patrem Deo danda, et aliis filiis non reservanda.

201. De divisione hereditatis in tres partes.

202. De divisione regionis inter reges et ecclesiam.

203. De hereditate proximi non tenenda per vim.

204. Quod filiae principalem hereditatem cum fratribus non habent.

205. Quod filiae dividunt hereditatem non principalem.

206. De ministris aegrotantium haereditatem consequentibus.

207. Incipit de placendo proximis, in primis de unoquoque placente proximis, sive sit plebilis, sive ecclesiasticus, sive paenitens.

208. Quod unusquisque debet dimittere proximis suis.

209. De non dimittendo una vice nec septies, sed septuagies septies.

210. De differentia familiae Christi et diaboli.

211. De homine non habente quod reddat proximo nisi pacem.

212. De tribus fraudationibus saeculi.

237. Quid significet quod carne cum sanguine vesci vetabatur.

238. Contra eos qui dicunt, omne quod in os intrat non coinquinat homines.

239. Incipit de conviviis, in primis de praedicando in conviviis.

240. De scurrilitatibus et turpiloquio in convivio vitandis.

241. Quod non oportet convivium fieri in festis gentium, sed ieiunium.

242. De tribus quibus constat dignitas epulae.

243. Incipit de hospitalitate, in primis de observatione hospitalitatis.

244. De profectu hospitalitatis.

245. De cavendis hospitibus.

246. De mercede suscipiendis.

247. Incipit de silentio et elevatione vocis, in primis de eo quod silendum est.

248. De his qui continentur in silentio.

249. De moderatione et custodia oris.

250. De sermone otioso.

251. Quod melius est praemonere quam silere.

252. De quattuor quae sunt in elevatione vocis.

253. Incipit de maledictionibus et benedictionibus, in primis de eo quomodo maledicendi sint inimici.

254. De maledictione timenda.

255. De duobus modis orandi pro inimicis.

256. De inimico proprio non maledicendo, sed inimico Dei et ecclesiae.

257. De morte inimici non roganda.

258. De maledictionibus in dialogo.

259. Incipit de contrariis causis, in primis de exemplo non operandi in sublimi gradu, et e contra operandi etiam episcopo.

260. De exemplo peregrinandi, et e contra remanendi in loco proprio, et faciendi voluntatem Dei in eo.

261. De licentia christianorum in cibis, et e contra eadem cohercenda.

262. De licentia maledicendi inimicis, et e contra non maledicendi.

263. De immobilitate doctrinae, et e contra mobilitate.

264. De non obliviscendo in prosperis, et e contra non negando in adversis. Explicit.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEPTIMI

DE HOMICIDIO, MATRIMONIO, IUREIURANDO, IEIUNIO, ELEEMOSYNA, ET ORATIONE.

1. De paenitentia diversa homicidarum sponte occidentium.

2. De his qui non sponte homicidium commiserunt.

3. De homicidio vel falsis testibus.

4. Siquis quemcumque per maleficium hominem interfecerit.

5. De his qui sibi quacumque neglegentia mortem inferunt, vel pro suis sceleribus puniuntur.

6. De his qui servos suos extra iudicem necant.

7. Si domina per zelum ancillam occiderit.

8. De eo qui nolens homicidium fecerit, quod civitas eum defendat.

9. Quod ecclesia debeat defendere.

10. Quod occidendus est homicida, qui non sponte occiderit, si extra urbem deprehendatur (1).

11. De homicidis quos civitas refugii defendit.

(1) Sermo est in textu de iure vetere mosaico.

(1) Agitur in textu de publica legum vindicta.

59. De raptoribus viduarum vel virginum.

60. De raptoribus si ad ecclesiam confugerint.

61. De consanguinitate in una tribu.

62. De his quae duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores acceperint.

63. De incestis qui se pollutione commaculant.

64. Ut hi qui proximis se copulant, a communione Christi separentur.

65. De incestis coniugiis ex consanguinitate.

66. De his qui cum haereticis nuptiarum copulam iungunt.

67. De bigamis.

68. De vidua professa castitatem.

69. De virginibus oppressis aut seductis.

70. Quod non inficit virginitatem coactio.

71. Quod alteri desponsatam nemo accipere praesumat.

72. De desponsata.

73. De differentia agnatorum et cognatorum in tribu.

74. Quod possint duo germani fratres duas sorores accipere.

75. An fideles possint cum propinquis sibi coniugio copulari; et novercis et cognatis an liceat copulari.

76. De cognatione coniunctionis specialiter in Anglorum gente.

77. Ut consobrinam, neptem, fratris uxorem nullus accipere praesumat.

78. Ut presbytera, diacona, monacha, veluti spirituali commatre nullus utatur.

79. Ut virginem aut viduam, nisi desponsatam habuerit, nullus audeat furari in uxorem.

80. De generationis copula.

81. De vindicta copulae inlicitae.

82. Quod nihil obsit de incestis nasci.

83. De eo quod scriptum est, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.

84. De luxuria carnis, et superbia, quae origo est omnium criminum.

85. Quod duobus vitiis, id est luxuria et superbia, diabolus principaliter humano generi dominatur.

86. Non manet in Christo qui non est membrum eius, nec Christus manet in eo qui se facit membra meretricis.

87. Quod bene illi sit, qui sine uxore manet. Qui diligit meretricem, unum corpus efficitur.

88. De cavendo adulterio etiam in legitimis coniugiis.

89. De his qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri comprobentur.

90. Sicuius uxor adulterium fecerit.

91. Quod excepta causa fornicationis uxor relinquenda non sit.

92. Quod hi qui intercedente repudio, divortium pertulerint, aliisque se iunxerint nuptiis, adulteri demonstrentur.

93. De muliere repudiata.

94. Quod non est Dei praeceptum repudii, sed consilium Moysi.

95. De causis quas narrat libellus repudii.

96. Quod non repudianda est in novo testamento uxor ob has causas.

97. Quod adultera non revertatur ad virum priorem.

98. De viris et feminis in coniugium non recipiendis.

118. De eo qui propriam uxorem dereliquerit vel sine culpa interfecerit.

119. Quod cum fornicatore non sit communicandum.

120. Quid si sanus vir leprosam duxerit uxorem.

121. De his qui in pecudes vel masculos aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt.

122. De tempore separationis.

123. Si vir ad mulierem enixam aut menstruatam accedat.

124. Si vir cum propria muliere dormiens non lotus aqua ecclesiam intraverit.

125. Si legitimae copulae pro sobolis procreatione carnalis concupiscentia successerit.

126. De his qui adulterant opus Dei, id est deformant creaturam creatori, maxime mulieres quae desiderant colore placere hominibus.

127. Sicut uxor abducta in captivitatem fuerit, et alteram maritus eius acceperit, revertente prima, secunda excludatur. Quam dispositionem in muliere quoque, si alium virum primo desistente acceperit, convenit observari.

128. Quod debeant feminae quae, captivis viris, nupserant aliis, regressis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod suum est unusquisque recipiat.

129. Quod non probetur esse culpabilis, qui uxorem captivi in matrimonio videtur esse sortitus.

130. Ut si viri de captivitate regressi, intemperantia uxorum offensi non fuerint, eas in coniugium recipere liberam habeant facultatem.

131. Quod si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiae ecclesiastica communione privandae sunt.

132. De feminis, quae derelictis viris suis, aliis nubunt.

133. De feminis quae adulteros relinquunt, et aliis nubunt.

134. De mulieribus quae lenocinium fecerint.

135. De mulieribus conceptus suos necantibus.

136. De his qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.

137. Post quod tempus debeat mulier enixa in ecclesiam intrare.

138. An mulier menstruata, sive inconsentiens sive consentiens, debeat in ecclesiam intrare aut corpus Domini percipere.

139. An debeat homo irasci contra vitia sua an non?

140. An post illusionem quae per somnium accidere solet, vel corpus Domini accipere quislibet audeat, vel si sacerdos sit sacra mysteria celebrare.

141. Qui sine desiderio in somnis pollutus est, licet non peccavit, attamen purgandus est.

142. De effeminatis in scriptura exosis.

143. Quod non oporteat mulierem tonderi.

144. De silentibus mulieribus in ecclesia.

145. Quod si unus ex coniugibus filium aut filiam de sacro fonte susceperit, uterque compatres efficiuntur.

146. Incipit de furto, et in primis de nomine furti.

147. De furto prohibendo.

148. Quod idem sit apud Deum utrum parvum sit an magnum quod furatur (1).

(1) Incaute hoc dicitur; nisi forte scribas *dominum* pro *Deum*. Profecto in textu nihil aliud profertur quam S. Hieronymi locus comm. in ep. ad Titum II. 10. ubi de servorum furtis concludit : *in furto, quantumcumque servus abstulerit, furti crimen incurrit.*

172. De coniuratis contra episcopum.

173. De iuramento sancti Gregorii.

174. De iuramento sed apud Deum timentes.

175. Quod magnum peccatum sit falsum iurare.

176. Quod peior est qui innocens provocat ad iuramentum, quam qui iurat.

177. Quod vincit homicidam qui falsum consentit iurare.

178. Quod similis est iniquitas periurantis, quam celantis periurium.

179. Quod multi falluntur per iuramentum.

180. De iuramento fallaci.

181. De vitio auditorum compellentium ad iuramentum.

182. De paenitendo periurio propter oblivionem, et eleemosyna pro eo danda.

183. De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.

184. Quid sit iuramentum cum pluribus.

185. De eo qui iurat, quomodo relinquendus.

186. Quid sit sacramentum Dei, et paenitentia Dei.

187. Periuri post septem annos accipiant communionem.

188. Incipit de ieiunio, in primis de nomine ieiunii.

189. De tribus generibus gastrimargiae.

190. Quod gulae vitium quinque modis temptet.

191. Contra eos qui non volunt esse abstinentes.

192. Quod ieiunii duo sint genera.

193. De ieiunio proficiente etiam mundialibus.

194. Quod una in anno quadragesima sit celebranda, et cetera ieiunia anni voluntaria sint.

195. Non debere in diebus ieiuniorum commemorationem martyrum fieri.

196. Non debere ieiunium solvi in quarta feria septimanae maioris.

197. De his qui ecclesiastica ieiunia absque necessitate dissolvunt.

198. Ut ieiunium non sit in propria voluntate.

199. Quod ieiunium multum valet.

200. Quod non urit temperatio abstinentes.

201. De laude ieiunii.

202. Quod inutile ieiunium sit, si aliena quaerantur.

203. De ieiunio inutili sine caritate vel eleemosyna.

204. Quod debet esse ieiunium moderatum.

205. De solvendo ieiunio inutilitatis causa.

206. De ieiunio quod nec loco nec persona nec tempore potest solvi, si vota patrum sint.

207. Quod non ieiunandum est in die dominico.

208. Quod ieiunandum est in quarta et sexta feria.

209. De sabbato et quinta feria.

210. Ut a ieiunis sacerdotibus Deo sacrificia celebrentur.

211. Quod sit ieiunandum in festis gentilium.

212. De ieiunio pro vivis faciendo.

213. De ieiunio pro mortuis.

214. Incipit de eleemosyna, in primis de nomine eleemosynae.

215. De laude eleemosynae.

216. Quod sola eleemosyna non liberat sine aliqua virtute.

217. Quod eleemosyna de propriis danda est.

218. De eleemosyna de furto aut rapina et reliquis.

219. Quod eleemosynam ab illis accipere non debemus, qui per rapinam et miserorum lacrymas divitias congregant.

CAPITULA LIBRI OCTAVI

DE PAENITENTIA, ET GRATIA COMMUNIONIS ETIAM IN ULTIMIS etc.

(1) In textu profertur locus ex dogmatibus ecclesiasticis, ex quo cognoscimus negari heic necessitatem tantummodo paenitentiae publicae. En verba: *sed et secreta satisfactione solvi crimina moralia non negamus, sed mutato prius habitu saeculari.*

12. Quod pensandum est cui graviter vel cui leviter.

13. De sacerdotibus qui alios onerant paenitentia quam digito suo nolunt movere.

14. De paenitentia cum lacrymis agenda.

15. De paenitentia impossibili ante dolorem.

16. De incerta indulgentia ultimae paenitentiae.

17. De paenitentia agenda etiam in ultimo spiritu.

18. Quid sit ultimus spiritus.

19. De sacrificio non negando, licet in ultimo spiritu paenitentibus.

20. De phreneticis.

21. De his qui necessitate mortis urgente paenitentiam simul et viaticum petunt, et de his qui obmutescunt ante quam ad eos sacerdos daturus paenitentiam accedat.

22. Quod nulli sit ultima paenitentia deneganda.

23. De eadem re.

24. De his qui communionem tempore mortis exposcunt aut desperantur, et consecuti communionem, iterum convalescunt.

25. De sedacio (1) communionis.

26. De communione.

27. De paenitentia unius diei proficiente.

28. Quod non potest militari Deo et mundo.

29. De paenitentibus transgressoribus.

30. De his qui abrenuntiaverant, et iterum ad saeculum reversi sunt.

31. De his qui post paenitentiam habitum saecularem resumunt.

32. Quod adulescens si urgente quocumque periculo paenitentiam gessit, et non se continet, uxoris

(1) Sedacium in textu explicatur *ovis aut pretium eius apud Hibernenses*. Notum est hoc Cangio vocabulum.

48. Quod modum paenitentiae debemus agnoscere.

49. Item de fructuosa paenitentia.

50. Secundum modum culpae agenda est paenitentia.

51. Ut dum vivit homo vindictam de peccatis faciat, nec servet in finem.

52. Quod prius mala sunt abicienda, et postmodum bona facienda.

53. Quod gemina sit peccatorum conversio.

54. De excusatione peccantium.

55. De iniusta excusatione peccantium.

56. Quod ignorantia multos destruat.

57. De his qui intellegere neglegunt.

58. Omnis iniquitas apud secreta Dei suas voces habet, et Deus audit.

59. Quod delicta cogitationis vix intellegantur.

60. Ut a detrahente cavere debeamus.

61. Qualiter parentum peccata filiis noceant.

62. De persecutione divina aut purgatione in hoc saeculo, ut initium poenae sequentis.

63. Quod minora bona utilitate maiorum praetermittenda sunt.

64. Quod iustis non obsit sed magis prosit si dure moriantur. Et iustus quacumque morte praeventus fuerit, iustitia eius non auferetur ab eo.

65. De adversis iustorum, et prosperis impiorum.

66. Quod plerumque reprobi sine flagello sunt, et quod electi castigentur.

67. De sublevatione carnalium et ruina spiritalium.

68. Quod ex peccato non solum peccatum gignitur, sed etiam poena peccati.

69. Quod omne peccatum tribus arguitur modis.

70. Quod plerumque minimis peccatis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus.

71. Parvulis, si male nutriantur, clauditur aditus regni caelestis.

72. Quod quaedam similia peccatis, non sunt peccata.

73. De dilectione peccandi.

74. De dissensione irae.

75. De discretione mendacii.

76. De discretione locutionis.

77. De peccato linguae minore peccato manuum.

78. Quod nihil prosit si admixto malo agatur bonum.

79. Quod sicut ex vitio vitium, ita ex virtute virtus nascatur.

80. Quod melius sit ab homine quam a vitio vinci.

81. Quod homo spiritalis sic propinquitati prodesse debet, ut a suo proposito non declinet.

82. Quod plus obsint facientibus mala quam patientibus.

83. De dilectoribus mundi.

84. Quod magnum peccatum sit vinum largiter bibere, quamvis non inebrientur.

85. Quod iniquo pereunte plurimi corrigantur.

86. De regula dilectionis.

87. De iustitia.

88. Quae sit blasphemia in Spiritum sanctum.

89. Quod qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio praesentetur, et quod levibus culpis sit purgatorius ignis.

90. Qualiter intellegatur, nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.

91. Quod valde debet esse providus qui iudicat de certo et de incerto.

92. Quod qui bene offert, et non recte dividit, peccat.

93. Quod magnum peccatum est habere tristitiam de alterius bonitate.

94. De praesumptiosa fide sine opera.

95. De eo qui moderationem non servat.

96. De his qui dicunt malum bonum, et bonum malum.

97. Quod noxium sit vivere cum peccatoribus.

98. Quod non polluitur iustus ab iniquo.

99. Si seniores deliquerint, districte feriantur.

100. Quod perseveranti culpae debetur vindicta, et quod resipiscentibus debetur venia.

101. De his qui eleemosynam sine emendatione faciunt.

CAPITULA LIBRI NONI

DE IUDICIO PAENITENTIUM etc.

1. De his qui voluntarie homicidium fecerint aut nolentes.

2. De homicidio clericorum.

3. De his qui se ipsos occidunt.

4. Iudicium paenitentiae de homicidio.

5. Iudicium Theodori, unde supra.

6. Iudicium Commeani, unde supra.

7. Iudicium canonicum de sanguinis effusione.

8. Iudicium rursus Commeani, unde supra.

9. De oppressis infantibus et aborsis.

10. De mulieribus fornicariis et aborsum facientibus.

11. De eadem re iudicium Theodori et Gregorii.

12. De infantibus qui mortui inveniuntur ad latus mulieris.

13. De infantibus qui sine baptismo moriuntur.

14. De his qui membra sua absciduut.

15. De his qui ducatum praebent barbaris, Commeani iudicium.

16. De adulterio.

17. De fornicatione.

18. De sodomitis.

19. De his qui semet animalibus commiscuerunt.

20. De his qui cum quadrupedibus peccaverunt.

21. De luxuria, et adulterio, et fornicatione.

22. De concupiscentia consummata.

23. De coniunctione cum propinquis, et de adulteris.

24. De incestis coniunctionibus.

25. De raptibus, et de incestis nuptiis.

26. De violentia in mulierem.

27. De viris coniugatis postea in adulterium lapsis.

28. Quomodo debeat viro servare fidem mulier.

29. De viro cui mortua fuerit uxor.

30. De viro cui hostis abstulerit uxorem.

31. De bigamo et trigamo iudicium synodale.

32. De uxoribus dimissis, et inlicitis temporibus nubendi, iudicium canonicum.

33. Item de uxoribus dimissis.

34. De viro qui reliquerit uxorem suam, et duxerit aliam.

35. De his qui uxores, aut quae viros dimittunt, ut sic maneant.

36. De viro et muliere turpitudinem facientibus.

37. De eo qui in publica quadragesima peccaverit cum sua uxore, iudicium synodale.

38. Ut vir non dimittat uxorem suam, nec mulier virum suum.

62. De furto et incendio et sepulcro violato.

63. De eo qui cibum furatur.

64. De violatis sepulcris.

65. De re aliena non tollenda.

66. De eo qui hominem expoliaverit.

67. De eo qui patrem expulerit, vel hominem captivaverit.

68. De praeda ex hoste capta, et de eo qui monasteria expoliaverit.

69. De periurio.

70. De iuramento voluntario.

71. De periurio et falso testimonio et mendacio.

72. De falso testimonio iudicium canonicum.

73. De mendacio.

74. De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.

75. De sacramento vel voto solvendo.

76. De falsis testibus.

77. Theodori de falso testimonio.

78. De his qui accusant nec probant.

79. De maleficiis.

80. De maleficiis, beneficiis, sortilegis, hariolis, et divinis.

81. De sortilegis.

82. De discretione erga paenitentes.

83. De his qui daemonibus immolant.

84. De auguriis vel divinationibus.

85. De idololatria.

86. De his qui vota sua alibi quam ad ecclesiam dissolvunt.

87. Siquis kal. ian. consuetudine paganorum cum cervulo aut qualibet vecula (1) ambulaverit.

(1) Confer Cangium in vocabulo *vetula*.

88. De mathematicis et immissoribus tempestatum.
89. De clericis usurariis.
90. De usuris vel cupiditate seu avaritia.
91. De his qui hospitem non recipiunt, et mandata evangelica non implent.
92. De dilectoribus mundi.
93. De acceptione personarum.
94. De ebrietate.
95. De abstinentia a vino propter luxuriam.
96. De gula et ebrietate.
97. De suffocato et sanguine non edendo.
98. De morticino non edendo.
99. De his qui sanguinem comedunt.
100. De his qui in quadragesima carnem comedunt.
101. Quod infirmo licet omni hora comedere.
102. De discretione ciborum, et de his qui inmunda comedunt.
103. De sordidato non edendo.
104. De venatione clericis prohibenda.
105. De superbia, blasphemia, et iactantia.
106. De haeresibus et contentionibus.
107. De eo qui neglegit audire praecepta Dei.
108. De inobedientia et excusatione vel correptione.
109. De delatis et delatoribus, et de non indulgendo malis cogitationibus.
110. De delatoribus.
111. De his qui patri et matri iniuriam faciunt.
112. De his qui in patrem aut matrem per iracundiam manus erexerint.
113. De his qui compatrem vel commatrem non conservant.
114. De discordantibus.

159. De origine biduanae seu triduanae.

160. De indicto ieiunio.

161. De octo vitiis principalibus.

162. Proles de supradictis vitiis.

163. De octo principalibus vitiis, superbia, gula, fornicatione, avaritia, ira, acedia, tristitia, cenodoxia.

164. De horis canonicis celebrandis.

165. De his qui officium suum neglegunt.

166. Quod non liceat servis Dei pugnare, nisi pro magna necessitate.

167. De clericis qui uxores habent, et sacerdotio volunt fungi.

168. Ut clericorum prohibeatur carnale consortium.

169. Ut gradum regiminis nullus recipiat ante quam subesse didicerit.

170. Ut ad sacrum altaris ministerium indoctus et temerarius nemo accedat.

AUCTORES ET LIBRI

IN HAC COLLECTIONE CANONICA HI FERE LAUDANTUR.

Acumianus Longius. (Sic in cod. f. 193. sed videtur idem qui infra dicitur Commeanus.)
Alcuinus.
Ambrosius.
Athanasius.
Annales Hebraeorum.
Antherus PP.
Augustinus.

Basilius
Beda.
Biblia sacra.
Bonifacii episcopi editio de discretione paenitentiae.

Caelestinus PP.
Callistus PP.
Canones Apostolorum.
Canones Romanorum.
Carolus rex.
Cassianus.
Chronica graeca.
Clemens rom. PP.
Collationes patrum.

(1) Est illa unica Deusdedit papae epistola ad Gordianum episcopum, quae in Conciliorum collectionibus extat. Dicitur autem in cod. Gordianus non *hispalensis* (quod fieri nequit) sed *hispaniensis episcopus*, consonanter cum pistoriensi codice ubi dicitur Hispaniarum episcopus.

(2) Faustini episcopi sermones duos in quinto Spicilegii volumine dedimus. Fragmentum autem apud canonicam collectionem f. 91. ita se habet. FAUSTINUS. *Non te fallo, quia quod tibi post mortem non proficit, non est a Deo. Dico namque ut vitam emendes et meritum redimas aut orationibus aut eleemosynis. Quid enim mortuis vox viva proficit quam non audiunt, et quae non tribuit eleemosynam?*

(3) Gordiani huius profertur in textu fragmentum epistolae ad Deusdedit PP. cuius non meminerunt Labbeus et Mansius editores actuum Deusdedit in collectionibus conciliorum.

Epistola Gordiani episcopi ad sanctum Deusdedit episcopum urbis Romae.

Scitis quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita septem sunt dona baptismi. A primo pabulo sacrati salis, et ingressu sanctae ecclesiae, usque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma. Ab hoc primo Spiritus sancti dono, usque ad septimum, nullus christianus suam commatrem in coniugio recipere debet; et qui praesumpserit, anathematis vinculis religetur in perpetuum, nisi paenitentiam egerit dignam. Similiter qui suam filiam, quae intra haec septem dona quae supra diximus, vel ad se vel suo filio in coniugio dederit.

Quum ergo videamus Gordianum ad Deusdedit scribentem, sequitur ut Labbei ac Mansii dubitationes contra pontificiae epistolae ad Gordianum sinceritatem prope iam eventilentur.

DE INEDITIS ALIQUOT INNOCENTII ·III· SCRIPTIS

EDITORIS MONITUM.

Postquam illud notabile edidi p. 301-312. *Innocentii ·III· gestorum additamentum, mens mea me impulit auspicato ut in vaticana bibliotheca vestigarem numquid praeterea esset, quod in aere tanti Pontificis reponeretur. Ac primo statim deprehendi egregium codicem vat.* 6091, *Avenione scriptum, qui gesta illa Innocentii continet ab episcopo Montis Pessulani primum divulgnta, deinde a Balutio et Muratorio recusn, fine tamen, ut dixi p.* 300, *in laudatis editionibus decurtata; vaticanus autem codex plenissimus est, editumque a me eomplementum, continuata cum praecedentibus oratione, exhibet. Mihi igitur mirum ac paene incredibile videbatur, non illum tantummodo Montis Pessulani episcopi codicem, verum etiam tres nlios quos Balutius in praef. p. ult. adhibuisse se dicit, pari prorsus ratione fuisse mutilatos. Porro codex vaticanus bonas quoque sparsim lectiones exhibet, quibus editio gestorum corrigi potest. Sic enim sub initio, ut unum exemplum proferam, ubi recensentur Innocentii scripta, deest in editione* postilla super septem psalmos, *quae verba in nostro codice non praetermittuntur. Dixi codicem vaticanum descriptum Avenione fuisse; sic enim ndfirmant testes in eius calce his verbis.* « *Ego Erastus Andreutius, de terra Collis veteris in Snbinis, praesens volumen proxime repertum in nrchivio inferiori palatii apostolici avenionensis, existens inter libros sacrne theologiae n. XIII. antiqua littera et antiquo tempore descriptum, ex suo proprio originali manu propria de verbo ad verbum transcripsi. Actum Avenione in palatio npostolico hac die trigesima mensis septembris millesimo sexcentesimo tertio, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divina providentia papae ·VIII· anno duodecimo. Erastus Andreutius.* » *Sequuntur ibi paria testimonia notariorum et grnphiariorum apostolicorum Roberti Siffredi, Antonii Fabri; postremoque iudicis*

ordinarii avenionensis Bartholomaei Pertusii, qui praedictorum testium auctoritatem sigillo officii confirmat.

Sed iam paulo maiora canamus. Codex vat. 700. *membraneus, littera minuta sed pulcra, paulo post obitum Innocentii scriptus, continet eius sermones, praeter prologum, ·LXXIX·, quorum LXVIII· tantummodo et pars alterius in editionibus tam coloniensi anni* 1575, *quam veneta anni* 1578. *apparent, reliqui adhuc latebant inediti; neque hi sunt separatim scripti, vel in calce additi, ne quis eos forte alienos existimet, sed editis intermixti. Sunt enim inediti in codicis serie ·IV· V. VII. XXVIII. XXXVI. (·XLIV· partim) ·XLVII· LIV. LX. LXIV. LXVII. Ex his duos in lucensi etiam gemino codice se vidisse ait Mansius in additamentis ad Fabricii latinam bibliothecam. Constat igitur coloniensem editorem nonnisi imperfectam habuisse sermonum Innocentii collectionem, venetum autem a coloniensi eos mutuatum. Sic enim epistolarum quoque Innocentii paulatim crevit numerus in impressis libris iam inde ab editione Sirleti usque ad illam duumvirorum Brequignii atque Dutheilii. Quae cum ita se haberent, nolui prorsus inventam rem omittere, tum ipsius Innocentii causa, tum quia volumini huic, pontificiis monumentis abundante, sermones hi congruebant. Neque tamen eos verbis meis commendabo, quia tanti viri scripta nequaquam laudibus indigent; atque id monebo tantummodo scriptos esse post aditum pontificatum, ut in prologo et in gestis Innocentii cap.* 2. *diserte adfirmatur. Denique in ottoboniano vat. codice* 132. *saeculi item ·XIII· eiusdem Innocentii sermones ·XXXI· legebam, quorum postremus tantummodo (qui nobis fit ·XII·) ad claustrales recitatus typorum lucem adhuc expectabat.*

Tertium Innocentii in bibliotheca vaticana monumentum reperi, palatino codici 363. *insertum, inscriptumque* dialogus Innocentii tertii inter Deum et peccatorem, *quem dialogum utrum ante an post pontificatum scripserit ignoro; neque enim ipse de se Innocentius loquitur, sed cuiuslibet peccatoris personam cum Deo loquentem introducit. Nec vero quisquam miretur, dialogum hunc in gestis loc. cit. non recenseri, multa enim alia sive edita sive inedita In-*

nocentii scripta auctori gestorum ignota fuerunt. Accipiat igitur christiana ecclesia hanc quoque a nobis magni Pontificis lucubrationem, quae dum religiosissimum auctoris animum comprobat, legentium pariter pietatem excitat morumque emendationem impense suadet.

INNOCENTII ·III· PAPAE

SERMONES.

I. (4) SERMO IN DOMINICA PRIMA DE ADVENTU.

" Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus caeli
„ quasi filius hominis veniebat. „

Daniel propheta, dilectissimi fratres, qui interpretatur vir desiderii, vel vir desideratus, in captivitate Babylonis positus, haec et alia de incarnatione Christi, per Spiritum sanctum revelavit, sompnia regis aperuit, et ad illius memoriam quae oblivioni tradiderat revocavit, in quibus vidit et agnovit lapidem parvum abscisum de monte sine manibus, qui mons tantum crevit, ut mons magnus efficeretur, et universum orbem terrarum adimpleret; qui significavit dominum nostrum Iesum Christum, qui hodie per Isaiam prophetam parvulus annuntiatur, sicut scriptum est, parvulus enim natus est nobis; et parvulus factus est per incarnationem, nativitatem, mortem, ac passionem; magnus et omnipotens apparuit per gloriam resurrectionis et ascensionis; qui per veritatem miraculorum mons magnus in hominibus apparuit, et

Cod. f. 5.

ascendit ad aequalitatem patris ut haberet mansionem. De cuius nativitate in sua prophetia ista praevidit Daniel propheta dicens: aspiciebam in visu noctis etc. Omnes prophetae, dilectissimi, quasi in extasi positi, in incarnationem filii Dei prospiciebant; et quoniam Christi incarnatio post multos annos ventura erat, ideo prophetae illam intuentes non in propatulo, sed quasi in absconso aspiciebant. Quod mater ecclesia considerabat in desiderio filii Dei, quando dicebat aspiciens a longe: et ecce video potentiam Dei, et nebulam totam terram tegentem. Per potentiam Dei venientem, filium Dei in carne venientem intelligimus; per nebulam, gratiam sancti Spiritus totam terram tegentem significamus. Unde et subditur: exite obviam illi, et dicite ei: nuntia nobis si tu es ipse qui venturus es in populo Israël. Et secundum hanc significationem Daniel propheta dicit, aspiciebam in visu noctis etc. Quod autem in visu noctis aspicitur, non ita aperte cognoscitur sicut in claritate diei.

Sed sciendum est nobis, quoniam nox in scriptura divina septem modis intelligitur. Est autem nox tempus, quod est contrarium diei; quia omne tempus quod Deus constituit et ordinavit, aut est dies aut est nox; quae duo dicuntur contraria a dialecticis et immediata, quia ad praedicationem unius sequitur remotio alterius; dies enim nobis data est ad laborem, nox autem ad requiem. Unde et in genesi legitur: sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescunt, quia hominibus subserviunt. In hac eadem significatione accipitur Isaias, ubi legitur, custos qui de nocte, custos qui de nocte? Et dixit custos, venit mane et nox. Si me quaeritis, quaerite; convertimini et venite. Quod sic est intelligendum:

Deus qui custos es, qui de nocte in carne nasci voluisti, et iterum de nocte ad passionem deduci permisisti. Et dixit custos: venit mane fidelibus meis, nox autem infidelibus. Si me quaeritis, quaerite fide et operibus; convertimini ad me et venite.

Secundo modo nox accipitur pro peccato, ut in canticis canticorum: in lectulo meo per noctem quaesivi quem diligit anima mea; quaesivi illum et non inveni; quia homo dum in peccatis est, Deum non praevalet invenire. Tertio modo nox accipitur pro Iuda et pro misera plebe Iudaeorum. Unde psalmista: nox nocti indicat scientiam. Quod sic est intelligendum, nox nocti indicat scientiam, scilicet Iudas, qui nox fuit, obscurus et tenebrosus scientiam Dei, hoc est filium Dei, tradidit nocti Iudaeorum. Quarto mȏdo nox accipitur pro tempore illo quod fuit sub lege, in quo fuit velatum et absconsum mysterium incarnationis domini nostri Iesu Christi. De qua nocte Paulus dicit: nox praecessit, dies autem appropinquavit, abiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Nox praecessit, id est tempus quod fuit sub lege, quod erat quasi, nox abiit; dies autem appropinquavit, id est claritas incarnationis domini nostri Iesu Christi accessit.

Quinto modo nox accipitur pro diabolo, sicut scriptum est: dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine a regalibus sedibus veniens, factus est nobis adiutor in tribulationibus. Tria fuere silentia, et noctis similiter tria fuere silentia, et noctis similiter tria fuere curricula. Nullum etenim potest dici medium, quod non habet duo collateralia; et hoc modo rationabiliter tria probantur fuisse silentia. Pri-

mum silentium fuit, primo parente proiecto ex paradiso, usque ad tempus illud quo Deus legem dedit Moysi. Tunc corruptum fuit primum silentium postquam humana natura legem accepit divinam. Sed quoniam non diu illam procurare studuit creatoris dimisso praecepto, sicut per psalmistam dicitur: omnes declinaverunt, simul inutiles facti; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; tunc medium silentium subiit, in quo nox id est diabolus iter arripuit; et ita in secundo medium iter accepit. Quod silentium tantum habuit spatii, usque dum angeli de caelo descenderent, et pastoribus Deum natum annuntiarent. Tunc medium silentium corruptum fuit, quando chorus angelicus, gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, cantaverunt. Tertium silentium fuit quando tribus diebus caro Christi in sepulcro iacuit; sed non diu duravit, quia facta resurrectione, fidelium congregatio cum psalmista novum canticum decantavit.

Sexto modo nox accipitur pro vita praesentis temporis, quia ad comparationem aeternae vitae, vita istius saeculi nox et obscuritas deputatur. Unde in psalmo: mane adstabo tibi et videbo. Et in cantico canticorum: duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies et inclinentur umbrae. Septimo modo nox accipitur pro secreta prophetarum revelatione, ut in psalmo: et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius. Per latibulum filii Dei, incarnationem illius intelligimus; quam posuit tenebras, hoc est quasi absconse sanctam, quia non fuit notum ulli daemoniorum, viscera Mariae tibi Christe fuisse cubile. Nam si cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixis-

sent. Et secundum hanc significationem Daniel propheta dicit: aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat.

Nubes in scriptura divina diversas significationes habet. Primo modo nubes ponitur pro virgine Maria, sicut scriptum est: ascendet Dominus super levem nubem, et ingredietur Aegyptum, et idola Aegypti commovebuntur. Secundo modo nubes ponitur pro divinae gratiae infusione, sicut per psalmistam dicitur: prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando et carbones ignis. Tertio modo nubes ponitur pro divina manifestatione: ecce nubes lucida obumbravit eos. Et mox de nube dicitur: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quarto modo nubes accipitur pro summi patris benedictione, ut est illud: et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Quinto modo nubes dicitur pro prophetis, unde: rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum, et terra germinet Salvatorem. Et psalmista: tenebrosa aqua in nubibus aëris, hoc est obscura scientia in prophetis. Et secundum hoc Daniel per prophetiam dicit: et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat; filius hominis, id est filius virginis Mariae, de quo dicitur: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit filius hominis. Qui est in caelis filius hominis, idem est qui et filius Dei dictus est secundum naturam divinam, qua compar est patri; filius hominis secundum humanam, qua non est ei aequalis: cuius humana nativitas longo tempore fuit praenotata, ut est illud in libro geneseos: septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Hic est Cain qui Abel fratrem suum interfecit, impius fratricida qui aeternae maledictionis meruit anathema. Cain interpretatur possessor, et si-

gnificat, Adam primum parentem nostrum, qui a Dei possessione proiectus, sui creatoris misericordia indigebat. Sed pro eo septuplum ultio danda promittitur, quia ad eius reparationem filius Dei per septiformem gratiam Spiritus sancti voluit incarnari. De Lamech vero septuagies septies. Hic est Lamech qui Cain interfecit, et puerum suum manibus oppressit, sicut ipse dicit: occidi virum in vulnus meum, et adulescentulum in livore meo. Lamech interpretatur adiutorium, et significat, Adam primum parentem nostrum, quia adiutorio Dei destitutus, sui creatoris suffragium cupiebat. Sed ut peccatum Lamech, id est peccatum primi parentis nostri purgaretur, septuagies septies ultio manifesta describitur, quod ab Adam usque ad Christum septuaginta et septem generationes inveniuntur; ex quibus generationibus filii Dei per humanam naturam defluens peccatum Lamech, hoc est totius mundi, hodierna die sua nativitate delevit; qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per universa saecula saeculorum. Amen.

II. (5) IN SECUNDA DOMINICA DE ADVENTU.

" Cum audisset Iohannes in vinculis opera Christi,
„ mittens duos de discipulis suis ait illi: tu es
„ qui venturus es, an alium expectamus? „

Cod. f. 6. Mirum fortasse videtur quod Iohannes Baptista, qui Christum praedixit venturum, et ostendit praesentem, ecce inquit agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; hic est de quo dixi vobis, veniet fortior me post me, cuius non sum dignus corrigiam calciamenti solvere; nunc quasi dubitans per discipulos suos quaerit, tu es

qui venturus es, an alium expectamus? Propter quam dubitationem quidam erraverunt, dicentes Iohannem esse dampnatum, quia qui primo credidit, postea dubitavit. Verum cum ipse Christus errorem istum dampnaverit dicens: quid existis in desertum videre? prophetam? etiam dico vobis et plus quam prophetam, inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista; quaerendum est nobis, quomodo locum istum intelligere debeamus. Sane locus iste duobus modis a sanctis patribus invenitur expositus, videlicet de adventu in mundum qui tunc erat praeteritus, et de adventu ad infernum qui tunc erat futurus. Iuxta primam expositionem non dubitavit Iohannes, sed dubitaverunt discipuli. Unde discipuli non pro Iohanne sed pro se interrogaverunt dicentes, an alium expectamus? Non dixerunt, an alium Iohannes expectat? sed an alium expectamus? quia non dubitat Iohannes, sed nos dubitamus. Alius tamen evangelista testatur, quod cum venissent ad eum viri dicentes: Iohannes Baptista misit nos ad te dicens, tu es qui venturus es, an alium expectamus? ut videlicet plenius responderet interrogationi quae fuit ex parte magistri.

Est ergo sensus. Cum Iohannes in vinculis positus audisset per discipulos referentes opera, id est miracula Christi, dubitantibus adhuc illis, misit eos Iohannes ad Christum ut ab ipso quaererent et audirent. Iuxta factam autem expositionem non solum dubitaverunt discipuli, sed etiam dubitavit Iohannes, utrum videlicet Christus per se an per alium esset ad inferos descensurus. Et ideo mittens duos de discipulis suis ait illi: tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quasi diceret: sicut nascendo praecurrens praenuntiavi vivus te in mundo, an ita moriendo prae-

currens mortuus praenuntiabo te mortuis in inferno? Porro contra primam expositionem videtur facere quod hic dicitur, tu es qui venturus es an alium expectamus? et non dicitur, tu es qui venturus fuisti? Cum nec Iohannes nec discipuli dubitarent, quia Iesus venisset in mundum quem viderent et audirent tot miracula facientem. Sciebant igitur quia iam venerat; quomodo ergo dubitabant an esset venturus? Contra secundam autem expositionem videtur facere, quod Christus hic primi tantum adventus signa commemorans inquit: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur etc.

Possumus ergo, fratres karissimi, locum istum aliter intelligere, novo quidem modo sed sano, ut verba consonent et sacramenta concordent; quatinus basis sit sub columpna, et rota contineatur in rota. Dicamus igitur quod locus iste de adventu ad iudicium intelligitur, de quo sive dubitaverit ipse Iohannes, sive quod est tutius opinari, discipuli dubitaverint, mittens duos de discipulis suis ait illi: tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quasi diceret, indica nobis si quemadmodnm per te ipsum venisti in mundum ad redemptionem, ita sis per te ipsum venturns ad iudicium ad retributionem? an alium potius expectamns venturum? Respondens autem Iesus dixit illis: euntes renuntiate Iohanni quae audistis et vidistis. Quasi dicat: quae audistis in lege praedicta, ecce vidistis in evangelio adimpleta. In lege quippe audistis per prophetam praedicentem: ecce Deus noster ultionem adducet retributionis. Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Hoc ipsum in evangelio per me videtis impletum, quia caeci vident, claudi

ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, muti loquuntur. Ego ergo venturus sum ad iudicium retributor, qui veni in mundum salvator; de quo propheta praedixerat: ecce Deus noster ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit nos. Et quidem hoc credere debetis, quia signa quae audistis a propheta praedicta, ecce per me vidistis impleta. Plura tamen sunt hic facta quam ibi dicta, quoniam et leprosi mundati sunt, et mortui resuscitati. Quod etiam et alius evangelista testatur: in illa hora curavit multos a languoribus et plagis et spiritibus malis; qui numquam expressius de adventu Christi potuit prophetari.

Erubescat ergo iudaeus qui mentitur Messiam nondum in mundum venisse, ut nec esse Deum; cum hic expresse dicatur: Deus ipse veniet, et salvabit nos; et constet illum venisse, cuius adventus signa iam cernuntur impleta; nam caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Cotidie Christus haec miracula spiritualiter facit, quae tunc corporaliter faciebat; nam illuminat caecos, cum ignorantes edocet veram fidem; erigit claudos, cum negligentes ad bonam operationem exercet; mundat leprosos, cum errantes ad sanam doctrinam convertit; restituit mutos, cum tacentes ad laudem divinam inducit; evangelizat pauperibus, cum humilibus evangelicam veritatem revelat; suscitat mortuos, cum peccatores ad paenitentiam fructuosam perducit. Caeci sunt, qui carent lumine veritatis, de quibus legitur: sinite, caeci sunt et duces caecorum; si caecus duxerit caecum, ambo in foveam cadunt. Surdi sunt, qui praeceptis dominicis obedire contempnunt;

de quibus dicitur, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas, quae non exaudiet vocem incantantium, et venefici qui incantatur a sapiente *. Muti sunt, qui tacent a laude divina; iuxta quod legitur: obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est. Claudi sunt, qui non gradiuntur per semitas mandatorum, iuxta quod legitur: quousque claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus, sequimini eum. Leprosi sunt, qui haeretica pravitate sacram scripturam corrumpunt. Caro quippe leprosi alicubi est plana et alicubi inflata, alicubi rubicunda alicubi est nigra, et alicubi corrosa. Sic et haereticorum doctrina alicubi est vera, alicubi est falsa, alicubi sana et alicubi prava, alicubi est aperta et alicubi est obscura; quia nisi falsis vera miscerent, nisi agno lupum velarent, nisi angelus Sathanae transfiguraret se in angelum lucis, procul dubio non seducerent animas innocentes. Veniunt ergo in vestimentis ovium, cum sint lupi rapaces; et in aureo calice sub nectaris specie venenum letale propinant.

* ita cod.

Mortui vero sunt qui iacent in mortalibus culpis spirituali vita privati; sive cum puella quae mortua iacebat in domo, quando peccatum cogitationis adhuc latet in corde; sive cum adulescente qui efferebatur mortuus extra portam, quando peccatum locutionis iam procedit ex ore; sive cum Lazaro qui foetebat quatriduanus in monumento, quando peccatum operationis in consuetudine frequentatur. Sed hos omnes languores ille curat et sanat, de quo evangelista testatur: omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant ad Iesum, et curabantur omnes. Maiora sunt ista miracula quae nunc fiunt spiritualiter, quam illa quae corporaliter tunc fiebant. Nam plus est animam curari

quam corpus, cum et anima sanari non possit nisi consentiat corpus, corpus autem possit sine consensu sanari animae. Quod et pharisaei cognovisse videntur: quis est hic, qui etiam peccata dimittit? quasi, non solum corpora sanat sed etiam animas.

Illud autem non est similiter transeundum quod pauperes evangelizari dicuntur. Ut is autem venisse demonstretur qui de se dixerat per prophetam: Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me. In quo non solum magistri benignitas commendatur, qui non contempnebat inopes et abiectos. Unde discipulorum notatur nobilitas qui tales erant, id est humiles corde, ut doctrinam mererentur accipere salutarem; iuxta quod veritas ait: confiteor tibi pater domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et revelasti ea parvulis. Pauperes ergo non solum casu sed sensu evangelizantur in Christo; ut illos evangelistas constituat, non quidem potentes et sapientes in saeculo, sed humiles et abiectos, quoniam infirma mundi elegit Deus ut fortia quaeque confundat; ne forte crederent homines quod evangelica doctrina per sapientiam huius mundi fuisset inventa, vel per potentiam huius saeculi propagata. Et beatus, inquit, qui non fuerit scandalizatus in me. Apostolus ait: praedicamus Iesum Christum, et hunc crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Stultum enim reputabant gentiles philosophi, quod unus et idem credebatur esse Deus et homo, mortalis et immortalis, simplex et compositus, aeternus et temporalis. Sed stultam fecit Deus sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobavit; quoniam argumentum a contrariis, quia divinum praevalet sacramentum. Et ideo verior videtur illa sententia, postquam

asseritur quod ex affirmativa non sequitur negativa. Iudaei vero usque hodie scandalizantur, cum audiunt quod Deus sit flagellatus, crucifixus et mortuus, dedignantes audire quod Deus indigna pertulerit, cum ex eo debeat a nobis dignius venerari, quod ipse indigniora pro nobis dignatus est sustinere. Hic est ergo lapis offensionis et petra scandali, positus in ruinam et in resurrectionem multorum, super quem omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Qui vero ceciderit super lapidem istum, confringetur; et super quem ceciderit lapis iste, conteret eum, Iesus Christus dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III. (7) IN TERTIA DOMINICA DE ADVENTU.

" Ego baptizo vos aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis; ipse baptizabit vos Spiritu sancto et igne. Hic est qui post me venturus est, et ante me factus est, quia prior me erat, cuius non sum dignus corrigiam calciamentorum solvere. "

Cod. f. 8. Apostolica sedes quae, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est et magistra, consuevit in hac mediana dominica de adventu, sicut et in mediana dominica quadragesimae, cuiusdam novae laetitiae nova quaedam insignia demonstrare, non solum in officio verum etiam in ornatu. Ibi namque concinit ad introitum, laetare Hierusalem, et conventus facite omnes qui diligitis eam; hic concinit ad introitum, gaudete in Deo semper, iterum dico gaudete. Tunc gestat romanus Pontifex aureum florem ad similitudinem ro-

sae, nunc autem gerit infulam et casulam ex auro et gemmis ornatam. Illius facti rationem frequenter edidimus, huius vero facti intentionem modo dicemus. Sane diximus vobis si bene recolitis, quod quatuor sunt Redemptoris adventus, quos ecclesia celebrat in quatuor dominicis de adventu, quorum duo valde deterrent, et duo valde demulcent. Deterret adventus ad iudicium et adventus ad mortem; demulcet adventus in carnem et adventus in mentem, quia prius deterreri debet et postea demulceri, prius conturbari et postea consolari; iuxta quod inquit psalmista: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam. Idcirco prius ecclesia celebrat duos adventus qui terrent, ut de tristitia nos transferat ad laetitiam, et de timore ad amorem.

In prima ergo dominica ultimus celebratur adventus, et in ultima primus; secundus in tertia, et tertius in secunda; quod per evangelia quae leguntur in collectis colligitur evidenter. Prima namque dominica legitur illud evangelium in quo dicitur, erunt signa in sole et luna et stellis etc. per quod adventus ad iudicium declaratur. Secunda vero dominica legitur illud evangelium in quo dicitur, tu es qui venturus es an alium expectamus? per quod designatur adventus ad mortem. In dominica vero tertia legitur evangelium in quo dicitur, qui post me venturus est ante me factus est, per quod exprimitur adventus in carnem. Quarta vero dominica legitur illud evangelium in quo dictum est, factum est verbum Domini super Iohannem Zachariae filium in deserto, per quod innuitur adventus in mentem. In hac ergo mediana dominica celebratur adventus in carnem, de quo prae-

cipue gaudere debemus, propter reconciliationem humani generis. Huc pertinet illud quod Iohannes Baptista praemittit: ego baptizo vos aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis; ipse baptizabit vos Spiritu sancto et igne. Ad sublimationem humanae naturae pertinet illud quod Iohannes Baptista subiungit: hic est qui post me venturus est, et ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calciamentorum eius solvere. Ideoque nos mouet apostolus dicens: gaudete in Domino semper propter reconciliationem humani generis, iterum dico gaudete propter sublimitatem humanae naturae.

Ait ergo Iohannes: ego baptizo vos aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igni. Duplex igitur baptismus, in aqua videlicet et in igne, sed in aqua materiali et in igne spirituali. Aqua et igne mundatur corpus, uterque baptismus sanctificatur in spiritu. De illo namque Dominus ait, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum caelorum. De isto autem Iohannes Baptista testatur, baptizabit vos in Spiritu sancto et igni. Sicut enim homo nascitur secundum naturam ex femina, sed de viro, quia vir fecundat feminam ut concipiat; ita secundum gratiam homo ex aqua nascitur, sed de Spiritu, quia Spiritus aquam sanctificat ut purificet. Nam quod natum est ex carne caro est, et quod nascitur ex spiritu spiritus est. Hic ignis est caritas, de qua Dominus ait: ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Per hunc ignem peccata purgantur, iuxta quod ait Dominus, dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum. Caritas enim operit multitudinem peccatorum. Iohannes ergo baptizabat carnem exterius, Christus

autem baptizabat in igne spirituali, quia purgabat mentem interius. Ille baptizabat exterius tamquam homo, iste baptizabat interius tamquam Deus.

Est autem triplex baptismus, in aqua et in sanguine et in lacrymis; in aqua regenerationis, in lacrymis compunctionis, et in sanguine passionis. De primo Dominus ait: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum. De secundo ait psalmista: lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. De tertio testatur Iohannes: isti sunt qui venerunt ex tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine agni. Nullus autem istorum emundat, nisi per Spiritum sanctum igne caritatis fuerit calefactus. Nam sine caritate baptismus in aqua reputatur figmentum, baptismus in lacrymis debet reputari lamentum, baptismus in sanguine debet reputari tormentum. Cur baptizabat Iohannes, si non baptizabat in Spiritu sed in aqua? Duabus ex causis; prima, ut praecursoris ordinem adimpleret, quia sicut praeivit Christum nascendo et moriendo, ita praecurreret baptizando et praedicando; secunda, ut per suum baptismum adsuefaceret ad baptismum suscipiendum, quia de simili ad simile facile pertransitur. Natura ignis haec est, ut non solum sensibilia, sed etiam insensibilia calefaciat. Et propter hanc causam Iohannes baptismum Christi comparat igni, quia baptismus Christi non solum iam credentes emundat.

Per quod illorum confunditur error, qui dicunt quod parvulis baptismus non prodest. Volentes autem hoc per auctoritatem evangelii comprobare, ait, dicunt, Christus apostolis: euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae; qui cre-

diderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condempnabitur. Parvulus enim baptizatus, qui non credit, dampnatur. Praeterea cum peccatum non possit dimitti nisi per caritatem, parvulus igitur qui non diligit, non potest a peccato per baptismum mundari. Porro caeci sunt tales duces caecorum; non attendentes quod aliud est originale peccatum quod semper siue consensu contrahitur, et aliud actuale peccatum quod sine consensu numquam committitur. Illud ergo quod sine consensu contrahitur, sine consensu remittitur. Illud autem quod non potest sine consensu contrahi, non potest sine consensu remitti. Cum ergo parvuli non teneantur nisi ex originali peccato, sine omni consensu possunt per vim baptismi ab illo peccato mundari. Absit enim ut hodie minoris sit efficaciae baptismus quam olim fuit circumcisio. Nam sicut olim de illa lex divina clamabat: anima cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; ita modo de isto sacramento intonat evangelium: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei. Sicut ergo per circumcisionis mysterium olim tam parvuli quam adulti dampnationis periculum evitabant, ita modo per sacramentum baptismi tam parvuli quam adulti regni caelorum introitum adsequuutur. Auctoritates ergo praedictae quibus haeretici abutuntur, non loquuntur de parvulis, sed solummodo de adultis; quod patet ex eo quod parvuli non habent multitudinem peccatorum, nec parvulis evangelium praedicatur.

Hactenus audistis quod pertinet ad salvationem humani generis, audite modo quod pertinet ad sublimationem humanae naturae. Qui post me, inquit, venturus est, ante me factus est. Ac si diceret, qui mihi

succedit tempore, praecedit me dignitate, quoniam qui de caelo venit super omnes est. Ex hoc loco quidam sumpserunt quidem occasionem errandi, dicentes sed mentientes quod Christus est angelus incarnatus, unus videlicet de magnis seraphin, qui secundum humanam naturam *et* angelicam passus est propter angelos; ut secundum apostolum repararet ea quae in caelis et quae in terra sunt, id est lapsum angelicum et casum humanum. Aiunt enim quod tres tantum sunt rationabiles naturae, divina videlicet, angelica, et humana. Si Christus autem non fuit factus ante Iohannem secundum naturam divinam, neque secundum humanam naturam, restat igitur quod Christus fuerit factus ante Iohannem secundum naturam angelicam, quoniam in principio temporis fuit cum mundo creatus; nam coaeva sunt ista tria, videlicet angelus, mundus, et tempus. Errant omnino non intelligentes scripturam neque virtutem Dei. Cum enim angelus non sit inmensus, profecto non existit ubique; non igitur in caelo simul et in terra. Unde is de quo narratur dixit: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit. Filius qui est in caelo, non est angelus sed est Deus, qui de se dicit: caelum et terras ego impleo. Et qui de se dicit ad patrem: clarifica me, pater, apud temet ipsum claritate quam habui ante quam mundus fieret. Nam in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Sicut ergo verbum est factum caro, nec tamen simpliciter est factum, ita Christus est factus ante Iohannem, nec tamen est simpliciter factus; Iohanni praelatus, quoniam adverbium istud ante non designat praecellentiam temporis sed praecellentiam dignitatis, sicut ipsemet Iohannes exponit: ante me, inquit, factus est,

quia prior me erat. Alterum enim expositio est alterius, quod apertius ostendit cum subdidit: cuius non sum dignus corrigiam calciamenti solvere.

Quanta sit praecursoris humilitas, quantaque sublimitas creatoris, ex hoc loco perpenditur manifeste. Nam licet Iohannes existimaretur tam magnus, ut putaretur a pluribus esse Christus, ipse tamen reputat se tam parvulum ut ad solvendam corrigiam calciamentorum eius existimet se esse indiguum. Sed certe qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nam omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Excelsus Dominus et humilia respicit, et alta de longe cognoscit. Sane sicut tres personae sunt in una substantia, videlicet Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, ita tres substantiae sunt in una persona, videlicet deitas, corpus, et anima, quae mystice designantur per pedem, calciamentum, et caligam. Nam sicut calciamentum velat pedem et caligam, ita caro velat deitatem et animam. Et sicut pes calciamento coniungitur caliga mediante, sic deitas anima mediante coniungitur carni. Mediat autem anima inter divinitatem et carnem non solum per unionem, verum etiam per naturam. Nam deitas est penitus simplex, quoniam et caret compositione partium, et caret concretione proprietatum. Anima vero partim est simplex quia caret compositione partium ut divinitas, et partim composita quoniam concretionem proprietatum habet ut corpus. De hoc calciamento dicit Dominus per psalmistam: in Idumaeam extendam calciamentum meum, id est in gentibus ostendam incarnationem meam.

Verum cum in hoc calciamento diversae sint corrigiae, quoniam in Christo diversae sunt uniones, vi-

delicet unio deitatis ad animam, unio deitatis ad carnem, et unio carnis ad animam, quid est quod Iohannes tantum unam corrigiam commemorat et non plures? Salva vero fidei maiestate potest hoc modo probabiliter responderi, quod cum huius calciamentum sit corpus assumptum, et duae sint corporis uniones, una videlicet qua corpus coniungitur animae, et altera qua corpus coniungitur deitati, ea tantum est inscrutabilis quae corpus deitati coniungit in unitate personae. Ideoque Iohannes ad solvendam unam tantum corrigiam calciamenti asserit se indignum. Sed desinamus scrutari scrutinium, in quo plurimi defecerunt; quoniam accedit homo ad cor altum, et exaltabitur Deus; et investigator maiestatis opprimetur a gloria; suppliciter exorantes unigenitum Dei filium Iesum Christum, quatinus de merito fidei nos transferat ad praemium spei, qui cum Patre etc.

IIII. (28) DE RESURRECTIONE DOMINI.

" Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. "

Cum omnes dies faciat Dominus, quaenam dies est tam celebris et sollempnis de qua specialiter dicitur, haec dies quam fecit Dominus etc.? Haec est dies resurrectionis dominicae, in qua Christus resurgens a mortuis, spem de securitate ac certitudine nobis tribuit ad immortalitatis gloriam resurgendi, *ut* in quo praecessit sublimitas capitis, illuc et corpus humilitatis subsequatur. Licet enim multi ante Christum surrexerint, ipse tamen prior surrexit immortalis et impassibilis; unde dicitur primitiae dormientium et pri-

mogenitus mortuorum. Nam Christus surrexit a mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Huius ergo dies sine nocte, vita sine morte, in qua Christus surrexit ex mortuis, et descendens ad inferos mortem absorbuit, et infernum momordit, iuxta quod legitur in propheta: o mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Dies autem dicitur sol rutilans super terram, id est claritas aëris quae provenit ex sole super terram lucente. Iste sol Christus est, de quo legitur: timentibus Deum oritur sol iustitiae, id est sol qui iustificat, lux videlicet quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui de se dicit in evangelio: ego sum lux mundi, qui ambulat in die non offendit. Sol iste in ara crucis occubuit quando Iesus inclinato capite emisit spiritum. De cuius occasu dicitur per psalmistam, sol cognovit occasum suum; quem etiam sol materialis agnoscens, suum submersit splendorem. Nam ab hora ·vi· in qua crucifixus est Dominus, usque ad oram ·viiii· in qua spiritum emisit, tenebrae factae sunt super universam terram, et sol obscuratus. Cum autem die tertia resurrexit, dies nova mundo reluxit, quia Deus dominus illuxit nobis.

Duodecim enim sunt horae diei; et haec dies, id est claritas resurrectionis dominicae, ·xii· habet horas, id est ·xii· apparitiones ipsius Domini resurgentis, quibus eius resurrectio clarissime comprobatur. Prima siquidem hora fuit quando apparuit Mariae Magdaleuae aestimanti eum esse hortulanum, et dixit ei: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Secunda hora fuit quando apparuit mulieribus et dixit illis, avete; illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum. Tertia hora fuit quando

apparuit Petro. Quarta hora fuit quando apparuit duobus discipulis euntibus in Emmaus in specie peregrini, et agnoverunt eum in fractione panis. Quinta hora fuit quando apparuit ·xi· discipulis absente Thoma, stans in medio eorum, et dixit: pax vobis, nolite timere. Sexta fuit quando apparuit iterum discipulis suis, et Thomas erat cum eis, et ostendit eis manus et latus. Septima fuit quando manifestavit se discipulis ad mare Tiberiadis stans in littore maris, dixitque illis mittite in dextrum navigii rete, et invenietis. Octava fuit quando apparuit ·xi· discipulis in Galilaea in monte ubi constituerat illis Iesus, et dixit illis: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Nona fuit quando recumbentibus ·xi· discipulis apparuit illis Iesus, et exprobravit incredulitatem illorum et durum cor, quia iis qui viderant eum resurrexisse a mortuis non credebant. Decima hora fuit, quando eduxit eos foras in montem Oliveti versus Bethaniam, et videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cod. f. 37.

Fuerunt et aliae duae horae in quibus apparuit, ut duodenarius horarum numerus compleretur, de quibus dicit apostolus: visus est plus quam quingentis fratribus simul, deinde Iacobo. Sed hae duae horae in evangelio non leguntur, nisi quod legitur in evangelio, quod appellatur secundum Hebraeos, quod cum Dominus dedisset sindonem servo sacerdotis, venit ad Iacobum, et apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus se non comesurum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret Dominum a dormientibus resurgentem. Novissime autem tamquam abortivo visus est et Paulo; sed haec apparitio facta fuit postquam adscendit in caelum, et duae ideo non pertinent ad horas dici. Verisimile tamen est ut ante om-

nes apparuerit gloriosissimae suae matri, licet in evangelio non legatur, ut quam prae ceteris mors filii contristaverat, ante ceteros ipsam ipsius resurrectio iocundaret. Ad quod forsitan designandum hodierna statio in hac eius basilica celebratur.

Possunt horae aliter designari secundum distinctionem quinque horarum, quas Dominus assignavit in evangelio, quando dominus misit operarios in vineam suam, videlicet mane, hora ·III· VI· IX· XI·, sub quibus comprehenduntur aliae ·VII· horae, ut ·XII· sint horae diei. Hora itaque prima fuit manifestatio dominicae resurrectionis facta per testimonium angelorum; et haec sub se continet horas duas, unam quando angelus Domini descendit de caelo, et accedens revolvit lapidem, et resedit super eum; et respondens angelus mulieribus ait: nolite expavescere, Iesum nazarenum quaeritis crucifixum, surrexit, non est hic. Altera quando Maria Magdalene inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Et ecce duo viri astiterunt iuxta illas in veste fulgenti, et dixerunt ad illas: quem quaeritis? viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Cum igitur in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, constat quod in hoc testimoniis angelorum est credendum.

Tertia hora fuit manifestatio resurrectionis dominicae facta per comestionem ciborum; nam phantastica putaretur quasi facta per artem magicam et non per virtutem divinam. Nam corpus phantastice suscitatum non potest comedere cibum; unde cibi comestio verissimae resurrectionis est certissimum argumentum. Ad quod utique designandum Iohannes evangelista de-

scribit, quod in caena quam ante sex dies paschae fecerunt Iesu in Bethania, ubi fuerat Lazarus mortuus, ipse Lazarus mortuus erat unus ex discumbentibus. Et cum Dominus resuscitasset puellam, praecepit ut darent illi manducare. Verum haec manifestatio comprehendit sub se tres horas; unam quando dixit apostolis, habetis aliquid quod manducetur? at illi attulerunt partem piscis assi et favum mellis, et cum manducasset coram eis, assumens reliquias dedit eis. Alteram quando ·vii· discipuli descenderunt de navi in terram, et viderunt prunas positas et piscem superimpositum et panem, dixitque illis: venite prandete, et nemo discumbentium audebat eum interrogare, tu quis es, scientes quia Dominus est. Tertiam quando recumbentibus ·xi· apparuit illis Iesus, et convescens praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Sexta hora fuit manifestatio resurrectionis dominicae facta per ostensionem miraculorum. Et haec similiter continet sub se tres horas; primam quod resurgente eo multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt, et venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Alteram quando terrae motus factus est magnus, angelus enim Domini descendit de caelo, et accedens revolvit lapidem, et sedit super eum; prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Aliam quando ad verbum Domini discipuli miserunt in dextrum navigii rete. Quod cum ad discipulos ianuis clausis intravit, et baiulis nubibus in caelum ascendit, profecto ingressus, *et* ascensus huius non tam mirabilis quam naturalis in corpore glorificato videtur fuisse propter subtilitatem et agilitatem, quas corpus glorificatum naturaliter habet.

Nona hora fuit manifestatio resurrectionis dominicae facta per demonstrationem plagarum, quas Christus reservavit in corpore impassibili, et eas ostendit discipulis ut crederent ipsum eumdem resuscitatum a morte, quem noverant plagatum in cruce. Ipsa vero sub se continet duas horas; unam quando dixit apostolis: videte manus et pedes meos, quia ipse sum; palpate et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere. Et cum dixisset, ostendit eis manus et latus et pedes. Alteram quando dixit Thomae: infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis.

Undecima hora huius diei fuit manifestatio resurrectionis dominicae facta per expositionem scripturarum. Haec similiter sub se continet horas duas; unam quando discipulis dixit in via: o stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae! nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis exposuit illis scripturas quae de ipso erant. Alteram quando dixit apostolis: haec sunt verba quae locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quia necesse est impleri omnia quae sunt in lege Moysi et prophetis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, et dixit eis: quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia.

Ecce dupliciter exposuimus ·xii· horas huius votivae ac festivae diei, ut ex istis horis dies naturalis consistat, ·xxiiii· habens horas, quam fecit Dominus ut exultemus et laetemur in ea. Exultemus in corde, ac laetemur in corpore, secundum quod legitur, cor

meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Exultat cor quando cognoscit se a pravis cogitationibus liberatum; laetatur corpus quando sentit se ab immundis operibus expiatum. Non enim est impiis gaudere, dicit Dominus, nec est pax ossibus a facie peccatorum. Et ideo si diem dominicae resurrectionis digne cupimus celebrare, corda et corpora nostra mundemus, ut salubriter exultemus et laetemur in ea; ipso praestante qui cum Patre etc.

V. (36) SERMO DOMINICALIS.

" Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, „ unus pharisaeus et alter publicanus. „

Licet pharisaeus in templum ascenderet ut oraret, sed commendavit se ipsum, et proximum accusavit. Cod. f. 46. b. Se vero commendavit de tribus, de iustitia singulari, unde non sum sicut ceteri hominum; de abstinentia corporali, unde ieiuno bis in sabbato; de cultura legali, unde decimas do omnium quae possideo. Proximum autem accusavit de tribus, de adulterio, iniustitia, et rapina; unde cum de sua commendatione dixisset: non sum sicut ceteri hominum raptores, adulteri, et iniusti, statim de proximi accusatione subiunxit: sicut et hic publicanus raptor, adulter, iniustus. Sed more superbi volens se singulariter et arroganter praeferre universis, praemisit: non sum sicut ceteri hominum; ac si diceret, ego solus sum iustus, ceteri sunt iniusti. Non reprehenditur pharisaeus quod gratias egit Domino, quod non est raptor, adulter, et iniustus, vel quod bis ieiunat in sabbato, et decimas dat de universis quae possidet, sed quia superbe se

iactat quod non sit sicut ceteri hominum, causa qua ipse sit singulariter iustus. Per sabbatum enim intelligitur hebdomada iuxta consuetudinem Hebraeorum, quia sabbatum denominant ceteros dies, ut prima sabbati, et sic reliquos; ut intelligatur bis in sabbato, id est in hebdomada.

Non sic non sic sentiebat apostolus qui dicebat: nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Nam et psalmista testatur: delicta quis intelligit? Propterea deprecatur: ab occultis meis munda me Domine. Salomon quoque ait: quis potest dicere, mundum est cor meum, et purus sum a peccato? Nam si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsi seducimus, et veritas in nobis non est, quoniam in multis offendimus omnes. Audi, arrogans pharisaee, qui te de iustitia iactas temere, beatum Iob de se ipso humiliter protestantem: si simplex, inquit, fuero. Hoc ipsum ut iactat affirmes, quod non sis sicut ceteri hominum raptor adulter et iniustus. Prudentius quidem egisses si te humiliter accusasses iuxta sententiam sapientis: iustus, inquit, in principio accusator est sui. Nam qui se accusat, Deus illum excusabit; et qui se excusat, Deus illum accusabit. In humano quippe iudicio qui peccatum suum confitetur, iuxta illud: dic tu iniquitates tuas ut iustificeris. Unde in psalmo: confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.

Certe inter accusatorem et reum in hac parabola controversia coram iudice ventilatur; accusator est pharisaeus, publicanus est reus humilis et devotus, iudex iustus et verax. Ille tamquam superbus et arrogans ait: non sum sicut ceteri hominum raptores, iniusti. Addidit, sicut etiam hic publicanus. Iste sicut humilis

et devotus stans a longe nec oculos suos volebat ad caelum levare, sed percutiebat peccatus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Iudex autem tamquam iustus et verax auditis confessionibus partium, causae sententiam promulgavit: amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Sententiae causam expressit: quoniam omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Iste confitetur se peccatorem, et Deus dimittitit illi peccatum. Nam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. In tribus publicanus iste specialiter commendatur, quod a longe stabat, quod oculos levare nolebat, quod pectus suum percutiebat; per quae, tria illa notantur quae sunt necessaria paenitenti, videlicet pudor, timor, et dolor. Ex pudore namque a longe stabat, ex timore oculos non levabat, ex dolore pectus percutiebat. Ergo erubescit, expavescit, et ingemiscit, propter turpitudinem, multitudinem, et magnitudinem peccatorum. Et ideo dê sua diffidens iustitia, et de divina confidens misericordia breviter orat: Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori. Sed brevis oratio longam indulgentiam promeretur, quia descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

In percussione pectoris tria sunt quae debent notari, ictus, sonus, et tactus; per quae, tria illa significantur quae sunt in vera paenitentia necessaria, videlicet cordis contritio, quam significat ictus; oris confessio, quam significat sonus; operis satisfactio, quam significat tactus. Et ideo paenitentes solent et debent percutere pectus. Tu ergo, quicumque es, christiane, disce cum in templum ascenderis non iactanter et superbe iactare te ipsum, vel proximum accusare, sed laudare devote ac humiliter supplicare, tuam malitiam

accusando cum pudore vel timore pariter ac dolore, propter tuorum multitudinem ac magnitudinem peccatorum, ut et tu a Deo per humilem paenitentiam veram indulgentiam consequaris, huius exemplo qui descendit in domum suam iustificatus ab illo; non quod per illum iustificatus sit iste, quin potius accusatus, sed quia comparatione illius iste iustus apparuit, sive minus iniustus (1). Quemadmodum ad Hierusalem dicitur per prophetam: porta confusionem tuam, quia vicisti sorores suas peccatis tuis sceleratius agens ab eis; iustificatae sunt enim a te. Vel ab illo remanente in excelso superbiae, iste separatus descendit in domum suam, ut intra humilitatis domicilium habitaret iustificatus a Deo.

Verum cave prudenter ne forte cum audis condempnatum a Domino pharisaeum, intelligas eum peccasse quia decimas dabat omnium quae possidebat, vel quia bis in sabbato ieiunabat. Non quidem peccatum in his, cum bonum sit de omnibus dare decimas, sicut etiam bonum est bis in sabbato id est in hebdomada ieiunare, sed ex eo maxime quod se superbe iactavit, quod non esset sicut ceteri hominum raptor adulter iniustus. Per quod manifeste comprobatur, quod maius est peccatum arrogantia vel superbia, quam adulterium vel rapina. De omnibus igitur quae possidentur, id est percipiuntur, dandae sunt decimae, non solum de maioribus sed etiam de minoribus; iuxta quod alibi veritas ait: vae vobis pharisaeis qui decimatis mentam et rutam et omne olus, et praetermittitis iudicium et caritatem Dei! Haec autem oportuit facere, et illa non omittere. Illud etiam diligenter attende, quod licet

(1) Recte; est enim hebraismus, ut linguae sanctae tironibus notum est.

pharisaeus esset arrogans et superbus, non tamen in tantam proruperat audaciam vel superbiam, ut a se fateretur existere bona sua; sicut ii qui dixisse leguntur: labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est? Sed ea potius recognoscebat ab illo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Unde et illi de bonis suis gratias referebat. Quare illorum est vesania penitus aspernenda, qui praesumunt asserere se homines esse factos a Deo, sed bonos a se, Deo attribuentes naturam, et sibi ascribentes virtutem.

Stans a longe publicanus nec oculos audebat ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Quoniam plerosque vestrum oportet sequi exemplum humilis publicani, instruamur cur publicanus iste a longe stabat, et in caelum aspicere non audebat. Aestimo quidem quod si fuisset interrogatus, protinus respondisset: ideo a longe sto quia confundor et erubesco, in caelum suspicere vereor, et expavesco ad altare accedere, propter quatuor maxime causas quas per ordinem explicabo. Prima siquidem causa est quod sum foedus et foetidus nefariis et nefandis maculis peccatorum, ita ut abominabilior et inmundior sit anima mea quam caro leprosa. Ego sum quippe sepulcrum deforis dealbatum, intus autem plenum omni spurcitia et ossibus mortuorum. Ego sum quatriduanus mortuus foetens in monumento, immo ut ita loquar quadriaetanus, quia per quatuor iam aetates ab infantia usque ad senectutem in sepulcro consuetudinis pravae foetorem turpissimum conversationis emisi, quasi iumentum in stercore computrescens, bene mortuus, quoniam a vera vita, id est a Deo, penitus separatus; et ideo a longe sto, quo-

niam erubesco et pavesco appropinquare, ne foeditatis foetore divinam magis maiestatem offendam. Quare tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.

Causa vero secunda est, quia ingratus et indevotus sum Deo pro omnibus omnino bonis et donis mihi concessis et collatis ab eo. Omnia enim dona sive corporalia sive spiritualia sive naturalia sunt gratuita, et quod sum, et quod vivo, et quod moveor, ab ipso recepi, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Et ego semper rependi eis offensas pro gratia, maleficia pro beneficiis, iniuriam pro honore, homo Deo, servus domino, factura factori, inmemor et ingratus illius inaestimabilis gratiae, quod ipse Deus pro me factus est servus, ipse creator pro me factus est creatura, ipse vita pro me sustinuit mortem ut a morte redimeret me ad vitam. Quoniam cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Exinanivit formam suam, ac in similitudinem hominis factus, et habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et ideo a longe sto, quoniam erubesco et pavesco appropinquare, ne propter indevotionem et ingratitudinem meam divinam magis maiestatem offendam. Unde tota die verecundia mea contra me est, et confusio vultus mei operuit me.

Tertia vero causa est quod patientia Dei semper sum abusus, divitias bonitatis et longanimitatis eius contempnens. Benignitas quippe Dei ad paenitentiam me adduxit; sed ego secundum duritiam cordis mei et impaenitens cor thesaurizavi mihi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique

secundum opera sua. Ipse hactenus invitavit et expectavit ut respicerem et redirem ad eum, et ego me semper ab eo alienavi et elongavi vadens post vanitates et concupiscentias cordis mei, abiens in regionem longinquam, ubi luxuriose vivendo substantiam dissipavi, mandata eius contempsi, consilia declinavi; non attendens quod ipse si vellet, posset me solo verbo destruere, solo nutu deicere. Certe cum nulla creatura tot et tantas iniurias et offensas tamdiu posset aequanimiter sustinere quin se vindicaret de illis, si vindicandi potestatem et opportunitatem haberet, profecto unus creator cognoscitur esse tam patiens; inde omnipotens comprobatur. Ipse mihi dedit tempus poenitendi, sed ego abusus sum eo; et ideo sto a longe, quoniam erubesco et pavesco apparere, ne propter grandem abusum et grandem contemptum divinam magis maiestatem offendam. Quare verecundia mea contra me est, et confusio vultus mei operuit me.

Quarta denique causa est, quod ipsi Deo meo sum infidelis et mendax et proditor et periurus, eo quod non servavi propositum, non promissum, non votum, non etiam iuramentum, sed semper ut canis ad vomitum suum revertens. In baptismo siquidem renuntiavi diabolo et omnibus pompis eius, sed post baptismum ad pompas diaboli me converti. In poenitentia saepenumero repromisi quod flenda iterum non committerem, sed post poenitentiam iterum sine numero flenda commisi; peccare non destiti, et satisfacere non curavi. Certe pro recuperanda salute corporis saepe sustinui tenues et graves diaetas, semper assumpsi durissimas et gravissimas potiones, quin etiam passus sum ferrum et ignes; et pro recuperanda animae salute vix quicquam volui difficile sustinere. Cur hoc?

nisi quod minus fideliter de animae salute speravi. An non infidelitatis est argumentum quod pro adipiscendo commodo temporali multos et magnos labores sustinui, et pro aeterno praemio consequendo vix levem volui subire laborem? Et ideo a longe sto, quoniam erubesco et expavesco apud me, ne divinam maiestatem offendam. Unde tota die verecundia mea contra me est, et confusio vultus mei operuit me.

Quid itaque faciam? Fugere nequeo, appropinquare pavesco. Sed necessitas superet verecundiam, et audacia vincat timorem. Surgam igitur, et nunc tandem ibo ad patrem meum, et dicam ei: pater, peccavi in caelum et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus, nec sum dignus videre altitudinem caeli prae multitudine ac magnitudine ac turpitudine iniquitatum mearum. Fac me saltem sicut unum de mercenariis tuis, neque sinas in peccatis me mori, tu qui mortuus es pro peccatis omnium. Domine Deus noster, ad te confugio, ad te clamo fontem pietatis et portum salutis. Anima mea sicut terra sine aqua tibi arida et sicca. Sed sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Et ideo percutio pectus meum; et in ipsa percussione tria prudenter attendo, scilicet ictum, sonum, et tactum; per quae spiritualiter intelligo illa tria quae sunt in vera poenitentia necessaria, scilicet cordis contritionem quam significat ictus, oris confessionem quam significat sonus, operis satisfactionem quam significat tactus. Nam sicut tribus modis peccavi, corde, ore, opere, ita tribus modis debeo poenitere, cordis compunctione in qua est dolor, ore per confessionem in qua est pudor, et opere per satisfactionem in qua est labor.

Caveat ergo paenitens ne fallaciter poeniteat, cum

aestimet se veraciter poenitere. Nam cum poenitere sit poenam tenere, profecto non poenitet qui poenam non tenet. Ideoque psalmista dicebat: laboravi in gemitu meo etc. De raro et de modico gemitu non dixisset laboravi in gemitu meo; sed de diuturno et continuo, quia non laborat in gemitu qui protinus ridet ut gemit. Profecto non poenitens qui poenam non tenens, sed magis deridens quia de gemitu ad risum procedens. Ille vero laborabat in gemitu qui dicebat: tota die contristatus ingrediebar; rugiebam a gemitu cordis mei, et dolor meus ante me est semper. Nec semel est flendum, sed saepe. Propter quod ait: lavabo per singulas noctes lectum meum. Nec modicum quidem sed multum. Propter quod addidit: lacrymis meis stratum meum rigabo. Ubi enim est irrigatio, ibi est habundantia humoris. Propterea non dicit in noctibus, sed per noctes; non dicit per aliquas, sed per singulas; ut ostendat se diutinum et continuum fletum habere; illorum duritiam reprehendens, qui vix raro possunt ad lacrymas emolliri. Saxeum enim pectus, lapideum cor et ferreum habet, qui pro se non tam in corpore morituro quam forsitan in corde iam mortuo gemitus non producit, suspiria non emittit, et lacrymas non effundit. Sciat ergo se culpabiliter durum et dure culpabilem, qui corporalem amici sui mortem deplorat, et spiritualem animae suae mortem non deflet.

Attende potius illius peccatricis lacrymas, quae stans retro secus pedes Domini, lacrymis rigabat pedes eius, et capillis capitis sui tergebat; et tu fac similiter, si vis audire cum illa, dimittuntur tibi peccata tua. Vel per noctem intelligitur culpa, quae mentem obtenebrat, et obscūrat caligine peccatorum; et

per lectum intelligitur conscientia in qua dormit spiritus quando quiescit ab inquietudine vitiorum. Dicit ergo, lavabo lectum meum, id est mundabo conscientiam meam; per singulas noctes, id est per singulas culpas, hoc est ab universis peccatis. Pro singulis enim culpis debet paenitens singulas hostias immolare, ut iuxta legem divinam dignum offerat sacrificium pro peccato. Illud utique, de quo alibi legitur: sacrificium Deo spiritus contribulatus, in qua incestiva singula hodie abluuntur. Caveat ergo poenitens ne forte in confusione si sonum proferat, sibilus prodeat. Nam qui peccata sua partim revelat et partim occultat, vel unam partem uni, et alteram partem alteri confitetur, vel exprimit factum et supprimit modum, seu crimen attenuat et excusat, is profecto non sonum profert, sed sibilum prodit. Qui vero veraciter confitetur, debet omnes peccati circumstantias confiteri, secundum quod magis peccavit, in loco, in tempore, in numero, in persona, secundum aetatem, secundum scientiam, secundum gradum, secundum ordinem, si facile, si frequenter, si manifeste, si perseveranter. Sane sicut sanies sub cute collecta tumorem multiplicat et dolorem, donec ea per apertionem educta tumor sedatur et dolor, ita putredo peccati sub cordis congesta latibulo inflat animum et perturbat, donec ipsa per confessionem eiecta inflationis et turbationis molestia protinus mitigetur. Ex qua non solum profecto spiritus hilarescit, sed corpus etiam iocundatur, ut iam alleviatum se sentiat ingenti prius infirmitate gravatum.

Ceterum non solet poenitens uno dumtaxat digito vel duobus percutere pectus, sed omnibus simul; quoniam sicut manus quinque digitos habet, ita satisfactio quinque partes, quae sunt virtus orationis, abstinen-

tia cibi, largitas eleemosynarum, labor operis, et asperitas vestis. De quibus, inquit, psalmus: induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur; exercitatus sum, et defecit paulisper spiritus meus; attenuati sunt oculi mei, turbatus sum et non sum locutus. Utinam percutiendo pectus fecerim quod dixi! ut securus dicere possim: Deus propitius esto mihi peccatori, Domine miserere. Confiteor et cognosco quod tam multa sunt et tam magna scelera mea, quod si secundum exigentiam meritorum meorum velles agere mecum, iustissime quidem me posses et in praesenti confundere et in perpetuum condempnare. Sed tu Deus propitius esto mihi peccatori, Domine miserere. Certe non esset sufficiens poena, neque condigna vindicta, si ignis de caelo descenderet, et me totum consumeret; si terra aperiret os suum, et deglutiret me vivum. Sed tu Deus propitius esto mihi peccatori, Domine miserere. Ergo non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Si enim iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Sed tu Deus propitius esto mihi peccatori, Domine miserere. Nisi scirem te misericordissimum et piissimum, clementissimum et benignissimum, patientissimum et mitissimum, ego quidem omnino diffiderem et penitus desperarem. Sed tu Domine propitius esto mihi. Licet autem de meritis et viribus meis diffidam penitus et desperem, de pietate tamen et tua misericordia, Deus, spero plurimum et confido. Quare impietatem meam pietas tua superet, et miseriam meam misericordia tua vincat. Quia tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas dum iudicaris; Iesu Christe mundi salvator,

qui es super omnia benedictus in saecula saeculorum. Amen.

VI. (44) IN FESTO SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE.

" A diebus Iohannis Baptistae regnum caelorum vim „ patitur, et violenti diripiunt illud. „

Cod. f. 55. b. Regnum caelorum sive regnum Dei, fratres karissimi, accipitur multis modis; nam aliud est inferius et aliud superius, aliud interius et aliud exterius; inferius est in via, superius est in patria; interius est in corde, exterius in codice; inferius est exercitus militans, superius chorus est triumphantium; interius est fides recta, exterius scriptura divina. Ut autem basis sit sub columpna, de his et illis supponamus exempla. De inferiori legitur: simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. De superiori dicitur: venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum. De interiori legitur: regnum Dei intra vos est. De exteriori dicitur: auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius · · · quod regnum inferius patitur vim ut diripiat regnum superius, quia per pugnam quae exercetur in via pertingitur ad coronam quae datur in patria; iuxta quod dicit apostolus: non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Similiter regnum interius patitur vim ut diripiat regnum superius, quia per fidem animae pervenitur ad intellectum scripturae, iuxta quod dicit propheta: nisi credideritis, non intelligetis. Certe *nisi* nostra anima *crederet*, quod tres personae sunt unus Deus, numquid intelligeret illud quod dicit scriptura: duo seraphim clamabant alter ad alterum san-

ctus sanctus sanctus Deus exercituum? Nec intelligeret quod Abraham tres vidisse describitur, et unum legitur adorasse. Item nisi anima crederet quod Deus pater ab aeterno genuit Deum filium, numquid intelligeret illud quod scriptura testatur: tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te? Nec intelligeret quod sapientia de se loquitur in proverbiis: Dominus possedit me in initio viarum suarum, ante quam quicquam faceret a principio; necdum erant abyssi, et ego parturiebar; et cum eo eram cuncta componens. Rursus nisi anima crederet quod Deus factus est homo, numquam intelligeret illud quod dicit scriptura: homo factus est in ea, et ipse fundavit eam altissimus. Nec intelligeret illud quod legitur: ex te Bethleem terra Iuda exiet dux qui sit dominator in Israël; et egressus eius ab initio dierum aeternitatis. Propterea nisi anima crederet quod Maria genuit Christum Iesum, numquam illud intelligeret quod alibi legitur: novum faciet Dominus super terram, femina circumdabit virum. Multa sunt talia, sed sufficiant pauca de multis, ut ad alia transeamus.

Magnam vim patitur anima ista credendo, quia paene incredibilia sunt quae credit, ut fides habeat meritum cui humana ratio non praebet experimentum. Audi prophetam de talibus admirantem: ante quam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit masculum. Quis, inquam, audivit umquam tale, et quis vidit huic simile? Propter quod alibi dicit: generationem eius quis enarrabit? Tales igitur violenti qui per fidem inferunt vim naturae, diripiunt regnum caelorum, id est intelligunt mysteria scripturarum. Et haec vis incipit a diebus Iohannis Bapti-

stae; quoniam lex et prophetae usque ad Iohannem, et ex eo regnum caelorum evangelizatum est. Usque ad Iohannem Baptistam litteralis sensus viguit in scripturis, sed a diebus Iohannes Baptistae spiritualis intellectus in scripturis emicuit; iuxta quod ipse Iohannes Baptista requisitus quis esset, aperiens unum de mysteriis scripturarum, respondit: ego vox clamantis in deserto, dirigite vias Domini sicut dicit Isaias propheta. Oportet igitur ut magnam sibi vim inferat qui vult intelligere mysteria scripturarum, quia sine multis studiis et vigiliis, sine multis sudoribus et laboribus, sine multa meditatione ac lectione non possunt intelligi. Propter quod Dominus ait: in sudore vultus tui vesceris pane tuo; quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Ergo a diebus Iohannis Baptistae regnum caelorum vim patitur, et violenti diripiunt illud.

Mirum fortasse aliquibus videtur, si regnum caelorum per violentiam rapitur etc. *A vocabulo* mirum *et deinceps, extat sermo in editione veneta anni* 1578. *operum Innocentii T. I. p.* 125. *Etsi autem codex noster plura emendaret in editione, attamen brevitatis causa, partem editam utpote longiorem omittimus.*

VII. (47) IN FESTO BEATI PETRI.

" Dixit Iesus Simoni Petro: Simon Iohannis diligis
„ me plus his? Dicit ei: Domine, tu scis quia
„ amo te. „

Cod. f. 59. b. Licet omnes apostoli apud Deum valde meruerint honorari, propterea quod de omnibus apostolis dicitur, nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis con-

fortatus est principatus eorum; praecipue beatissimus Petrus apostolus honorari promeruit, propter fidem et caritatem quae in eo principaliter claruerunt. Nam propter meritum constantissimae fidei Dominus sibi concessit claves, et propter meritum ferventissimae caritatis Dominus sibi commisit oves. Ante concessionem clavium Dominus interrogavit de fide; vos, inquit, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus filius Dei vivi. Respondens autem Iesus dixit ei: beatus es Simon Bariona etc. Tibi dabo claves regni caelorum. Ante commissionem ovium interrogavit de caritate: Simon Iohannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis quia amo te etc. usque pasce oves meas. De his autem virtutibus specialiter requisivit, quia inter virtutes fides est prima, et caritas est praecipua; fides est fundamentum, et caritas est tectum; illa inchoat, et ista consummat. Ideoque legitur: fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. De caritate legitur: caritas operit multitudinem peccatorum. De fide legitur: sine fide impossibile est placere Deo; de ista dicitur: si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam meam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Illa magna, sed ista maior, quia secundum apostolum, nunc manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas.

In concessione clavium interrogavit de fide, quia claves nonnisi fidelibus committuntur; de quibus qui male sentiunt in praesenti, malum utique sentient in futuro; quia qui non credit, iam iudicatus est. In commissione ovium interrogavit de caritate, quia mercenarius est et non pastor qui pascit oves cupiditate lucri, non autem amore Dei. Verum interrogando de

fide, interrogavit semel, quia unus est Deus, una fides, unum baptisma. Interrogando de caritate interrogavit ter, quia tres debet homo ex caritate diligere, Deum, se ipsum, et proximum. Diliges, inquit, dominum Deum tuum, ecce primum; sicut te ipsum, ecce secundum; diliges proximum, ecce tertium. Sed dices fortassis: etsi Petrus tertio interrogatur de caritate, non tamen de sua caritate vel proximi, sed solummodo Christi. Quaeramus ergo subtilius quare Dominus tertio quaesierit a Petro: Simon Iohannis, diligis me plus his? Quo tertio respondente: Domine tu scis quia amo te, tertio iniunxit illi, pasce oves meas. Cur etiam solummodo prima vice dixit, diligis me plus his? Et quare tantum tertia vice Petrus fuerit contristatus? Cur etiam bis dixerit, pasce agnos meos?

Oportuit quidem, ut quia ter negaverat Dominum ex timore, ter quoque confiteretur Dominum ex amore; quatinus trinae negationi trina confessio redderetur, ne minus amori quam timori lingua serviret; et sic fieret amoris officium pascere gregem Domini, sicut fuerat timoris indicium negare Dominum gregis. Dominus vero dicendo: Simon Iohannis, diligis me plus his, simul de duobus quaesisse videtur, utrum videlicet Petrus illum diligeret, et an plus ceteris ipsum amaret. Petrus autem memor illius vulgaris proverbii, quem mordet coluber formidat saepe lacertum, quia quondam vires proprias non metitus, nimis audacter responderat et praesumptiose, etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor; et si oportuerit me mori tecum, non te negabo; cum scandalizatus postmodum ad vocem unius ancillae negaverit, nunc prudenter et caute respondet dimittendo dubium et certum tenendo. Unde non respondet ad dubium utrum

videlicet plus ceteris, sed ad certum, videlicet quod ipsum amaret, dicens: Domine, tu scis quia amo te. Quare cum super hoc prima vice prudenter et caute responderit, Dominus super eo ulterius non inquisivit. Ter autem quaerit an diligat, et ter iniungit ut pascat, propter tres diligendi causas, et tres modos pascendi. Scriptum est enim: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex toto animo tuo; Deum videlicet creatorem, qui creando dedit naturam; dominum videlicet redemptorem, qui redimendo praestitit gratiam; dominum videlicet salvatorem, qui salvando confert gloriam. Tunc enim erit verissime tuus, cum erit omnia in omnibus, fructus, merces et praemium singulorum.

Ait ergo: Simon Iohannis, diligis me creatorem, redemptorem, et salvatorem? Et ille: diligo, inquit, ex toto corde, ex tota anima. Ex corde, id est intellectu; toto, id est sine errore. Ex mente, id est memoria; tota, sine impietate. Qui enim confitetur divinam naturam, et negat humanam ut Manichaeus; vel confitetur humanam, sed negat divinam ut Arrius, ille profecto non diligit eum ex toto corde, sicut diligit Petrus, qui confitetur divinam et humanam, iuxta quod dicitur: tu es Christus filius Dei vivi. Christus, id est unctus secundum humanitatem. Unde psalmus, unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. Filius Dei unctus secundum divinitatem; unde: filius meus es tu, ego hodie genui te. Qui vero Deum in prosperitate glorificant, et in adversitate blasphemant, illi profecto non diligunt eum ex tota mente, quia facile sunt beneficiorum eius inmemores et ingrati; sicut illi de quibus legitur: confitebuntur tibi dum bene eis; si vero non fuerint saturati etc.

Qui autem volunt Deo servire et mammonae, ipsi profecto non diligunt Deum ex tota anima, quia non est societas luci ad tenebras, neque convenientia Christi ad Belial. Vel quia Dominus de se dixerat: ego sum via, veritas et vita, tertio quaerit a Petro: Simon diligis me plus his? ac si diceret, diligis me viam, veritatem, et vitam? Ego sum quippe via recte operantibus in exemplo; ego veritas sane praedicantibus in documento; et ego sum vita digne sumentibus in sacramento divinae communionis. Si diligis me veritatem, pasce gratia et exemplo rectae operationis; quoniam hoc est de quo sapientia dixit: meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me. Pasce documento sanctae praedicationis, quoniam hoc est pabulum, de quo dixi: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Pasce sacramento divinae communionis, quoniam hoc est pabulum de quo dixi: nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Pasce igitur oves meas, ut per dilectionem proximi, Dei dilectio comprobetur. Nam qui proximum quem videt non diligit, Deum quem non videt, quomodo diliget?

Tres autem sunt ordines ovium quas pascere debes ex caritate, videlicet virgines, continentes, et coniugatos; et ideo hoc iniungit, pasce agnos meos; quasi pasce virgines et continentes, qui significantur per agnos. Per oves autem, quae generant, significantur illi qui carnali generationi deserviunt. Talis est unus ordo fidelium in ecclesia, videlicet coniugati. Et ideo semel iniungit, pasce oves meas, quasi pasce coniugatos qui significantur per oves. Contristatus ergo Petrus quia tertio dixit ei, diligis me? tamquam super

hoc dubitaret, et ideo illi respondet: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te; quasi diceret, dubitare non potes, cum scias omnia.

Quia vero in sacramento Christi agitur memoria mortis ipsius, iuxta quod dicit apostolus, quotienscumque panem hunc manducabitis, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat; mors autem inducit tristitiam, iuxta quod Dominus ait, tristis est anima mea usque ad mortem; ideo tertia vice quando commemoratur sacramentum illius mortis, quae fidelibus extitit causa vitae, Petrus dicitur contristatus, cum coniugati significentur tertia vice per oves, nec modica sit tristitia propter tribulationem carnis, quam secundum apostolum hi patiuntur. Unde bene Iob, qui significat coniugatos, dolens interpretatur. Si diligis me, ergo non te, pasce oves meas non tuas, ut in eis gloriam meam quaeras non tuam, mea lucra non tua. Ut ergo pastoris officium salubriter exequaris, esto Simon Iohannis, ut non tuis meritis virtutem obedientiae sed divinae gratiae tantum ascribas. Simon enim interpretatur obediens, et Iohannes exponitur Dei gratia. Pasce autem eas non otiose non perfunctorie non incaute, quoniam meae sunt id est mei sanguinis pretio comparatae. Nam bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis. Magno igitur pretio emptae sunt, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati. Et ideo debes eas pascere sollicite ac diligenter.

Attende quippe prudenter quid de malis pastoribus per prophetam dicatur: vae pastoribus, inquit, Israëlis qui pascebat semet ipsos et gregem meum non pascebant; lac comedebant, gregem autem meum non pascebant. Quod infirmum fuit non consolidastis, quod

aegrotum non sanastis, quod fractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis, quod perditum non requisistis. Propterea dispersae sunt oves meae, factae sunt in devorationem omnium bestiarum; sanguinem autem earum de manu vestra requiram.

Porro cum pascis exemplo, cave prudenter inanem gloriam ne facias iustitiam tuam coram hominibus ut videaris ab eis; alioqui mercedem non habebis apud patrem tuum qui in caelo est; sed sic luceat lux tua coram hominibus, ut videant opera tua bona, et glorificent patrem tuum qui in caelis est; ut cortina cortinam trahat, et qui audit dicat veni. Certe tot mortibus sunt digni pastores quot perditionis exempla transmittunt ad oves. Cum enim subditus videt peccare praelatum, facile exemplo corrumpitur, et in suam culpam excusationem praetendit: sufficit discipulo si sit sicut magister suus; non enim potest filius facere, nisi quod patrem vidit facientem. Et sic uno eodemque peccato praelatus et semet ipsum condempnat, et populum perdit. Nam si sacerdos qui unctus est peccaverit, faciet delinquere populum. Cum pascis documento cave prudenter a pravitate haeretica, ne forte aquam vino commisceas, ne fel draconis propines in aureo calice Babylonis. Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, quia defecerunt scrutantes scrutinio. Et perscrutator maiestatis opprimetur a gloria. Cave quoque ne sanctum des canibus, neque margaritas proicias ante porcos. Sed neque parvulis solidum cibum tribues, eius exemplo qui ait: non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tamquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis non escam. Sapientiam enim loquimur inter perfectos, inter vos autem non iudicavi

me aliquid scire, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.

Cum autem pascis sacramento eucharistiae, moneas populum dicens: qui manducat panem vel bibit calicem Domini indigne, reus est corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini. Sicut enim ille qui bene sustinet mortem, vitam acquirit; sic ille qui male accipit vitam, mortem incurrit. Recordare de illo qui intravit ad nuptias non habens vestem nuptialem, quia ex praecepto Domini ligatis manibus et pedibus missus est in tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium, ubi est vermis qui non moritur, et ignis qui non extinguitur. Tales esse debetis, fratres, qui estis pastores. Sed et vos, filii, satagite diligenter ut sitis veraciter oves mansuetae et innocentes, ne reddatis malum pro bono, neque maledictum pro maledicto, eius exemplo qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur; ut sitis utiles et fructuosi, reddentes pastoribus vestris lac et lanam, id est primitias et oblationes, quas ecce * Dominus nobis, sine vestro non potestis periculo retinere; dignus est enim operarius mercede sua. Propter quod dicebat apostolus: si seminavimus vobis spiritualia, non est magnum si carnalia vestra metamus. Ergo dum tempus habetis seminate in benedictionibus, ut metatis vitam aeternam. Amen.

* ita cod.

VIII. (54) IN NATIVITATE SANCTAE MARIAE.

" Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice
„ eius ascendet. „

Cod. f. 67. In verbis propositis tria praecipue considerare debemus, radicem, virgam, et florem. Radix, David; virga, virgo; et flos est Christus. Dicitur autem David radix Iesse, non a quo ille sed qui ab illo processit, quemadmodum ipse Christus radix Iesse nuncupatur: erit, inquit, radix Iesse qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Diverso quippe respectu et pater dicitur radix filii, et filius dicitur radix patris. Quemadmodum et Christus dicitur semen Abrahae; benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes. Sed dices, cum promissio de incarnatione Christi prius facta fuerit Abrahae quam David, cur potius de radice Iesse quam de radice Abrahae Christus dicitur nasciturus? Reddatur haec triplex ratio, nisi melior reddi possit. Respondeatur, hoc dictum propter excellentiam dignitatis, propter expressionem similitudinis, et propter firmitatem promissionis. Licet enim Abraham fuerit dignitatis, utpote praecipuus patriarcha, maioris tamen fuit dignitatis David veluti excellentissimus regum et eximius prophetarum. Ipse quidem fuit primus rex electus et confirmatus a Deo, nam Saul electus non fuerat sed extortus, qui confirmari non meruit sed potius reprobari. Unde quamvis in generationis serie ·xiiii· a David usque ad transmigrationem Babylonis reges extiterint, Matthaeus tamen antonomastice solum David regem appellat. Et quamvis Debbora prophetissa et Samuel propheta ipsum praecesse-

rint, et multi alii prophetae ipsum fuerit subsecuti, antonomastice tamen David appellatur propheta, sicut Paulus apostolus, quia ceteri quasi per figuras et visiones, per somnia in aenigmate prophetaverunt, huic autem aperte revelatus est spiritus prophetiae. Unde dicebat: super senes intellexi. Et: audiam quid loquatur in me dominus Deus.

Expressior quoque similitudo inter David et Christum, quam inter Christum et Abraham invenitur. Unde frequentissime in scripturis per David intelligitur Christus. De illo siquidem legitur: inveni David servum meum, oleo salutis meae unxi eum. Et adhuc dicitur: unxit te Deus, Deus tuus oleo salutis prae consortibus tuis. Hic ergo processit de illo, propheta videlicet de propheta, rex de rege, unctus de uncto, Iesus nazarenus quem unxit Deus Spiritu sancto; qui de se dicit: spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me; qui habet in vestimento et in femore suo scriptum rex regum et dominus dominantium; de quo alibi dicitur: suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra. Propheta magnus de quo locutus est Moyses: prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris, ipsum tamquam me audite. Et alius: ecce veniet propheta magnus, et ipse renovabit imperium. Revera magnus quia dominus prophetarum; de quo in evangelio dicitur: propheta magnus surrexit in nobis. Licet enim Abrahae fuerit repromissum: in semine tuo benedicentur omnes gentes; propter quod et apostolus ait, quia Deus non angelos non archangelos sed semen Abrahae apprehendit; evidentius tamen et affirmatius et expressius fuit hoc repromissum David non simplici verbo sed

interposito sacramento: iuravit, inquit, Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Multi siquidem iurant, sed non veritatem; et multi iurant veritatem, sed illam non servant. Deus autem et iuravit David, et veritatem iuravit, et illam veritatem servavit; quia non frustrabitur inquit eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam; non tuam dico sed meam. Unde cum caelum mihi sit sedes, illum profecto non tam super tuam terrestrem quam super meam caelestem sedem constituam, ut sedeat ipse homo a dextris meis.

Et propterea in genealogia Christi David praemittitur et praeponitur Abrahae. Liber, inquit, generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Isti sunt duae columpnae quas verus pacificus in vestibulo templi posuit ante ostium, quas ambit funiculus ·xii· cubitorum, de quorum medio Christus ostium aperitur; qui de se dicit: ego sum ostium; per me siquis introierit salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Unam columpnam, id est David, ambit funiculus ·xii· cubitorum, id est coetus ·xii· patriarcharum. Sicut enim ex Abraham ·xii· patriarchae nepotes ipsius carnaliter descenderunt, sic etiam a David ·xii· prophetae imitatores ipsius spiritualiter processerunt. David itaque radix est, de qua evangelicus propheta praedixit: egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Haec est virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, virga quae floruit et protulit fructum, quia virgo credidit et concepit et peperit Christum. De hac virga Balaam prophetavit dicens: orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israël, et de Iacob erit qui dominetur. Stella id est Maria, quae stella maris interpretatur, eademque vir-

ga quae protulit hunc florem, et ipse est qui dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae; nam dominus nomen est ei; virga humilitatis, virga virginitatis, et virga foecunditatis, quae tria in verbis propositis congrue designantur. Cum enim audis radicem, humilitatem intellige; cum audis virgam, virginitatem agnosce; cum audis florem, foecunditatem intende. In his sane tribus haec virga praecipue commendatur. Unde cum angelus de foecunditate praedixit, ecce virgo concipiet et pariet filium; et illa ei de virginitate respondit, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco; intelligens tandem quod nec virginitas impediret foecunditatem, nec foecunditas auferret virginitatem, angelo protestante quia Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi, protinus de humilitate conclusit: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Nec est virga indignationis et ultionis: de qua legitur: virga furoris et correptionis et destructionis meae Assur. Et visitabo in virga iniquitates eorum. Non est virga correptionis et destructionis, de qua legitur: in virga veniam ad vos; et qui parcit virgae, odit filium; sed est virga sustentationis et consolationis, de qua potest intelligi: virga et baculus tuus ipsi me consolati sunt. De hac virga processit virga veritatis et potestatis de qua legitur: virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion; et reges eos in virga ferrea. Virga per quam verus Moyses fecit prodigia in Aegypto et in deserto. Profecto virga de radice Iesse. David ergo est radix Christi. Nam, ut inquit apostolus, factus est ex semine David secundum carnem.

Christus autem est radix ecclesiae, de quo legitur: ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Ecclesia vero est radix sanctorum, de qua dicitur: si radix sancta, et ministri. Est praeterea radix bonorum perseverantia, de qua legitur: hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore temptationis recedunt. Radix fides praedicatorum, de qua dicitur: si seminaverit in terra, radix eius ad odorem aquae germinabit. Radix virtutum fides, de qua dicit apostolus: in fide radicati et fundati. Vel humilitas, de qua dicitur: iustus radicem suam mittit deorsum. Radix autem sapientiae verbum Dei non est in excelsis. Ergo radix iniquorum diabolus, de qua dicitur: de radice colubri egredietur regulus. Et alibi: radix iuniperorum erit cibus eorum, et radices eius densabuntur super acervos petrarum. Contra quam dicitur: securis ad radicem posita est. Est praeterea radix mala obstinatio in peccatis, vel terrenorum amor, de quo dicitur: ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini eius statim. Sed omnis plantatio, quam non plantavit pater caelestis, eradicabitur. E contra de sapientia legitur: in electis meis mitte radices, et radicavi in populo honorificato.

Sequitur: et flos de radice eius ascendit. Quid est hoc quod flos non dicitur ascendisse de virga, sed potius de radice, de qua et virgo processit? Sane propheta Spiritu sancto plenus dicere maluit quod flos de radice eius ascenderet, quam de virga; videlicet ad distinguendum gradus ascensionis, ad designandum sublimitatis fastigium, et ad perimendum virus erroris. In genealogia siquidem Christi ·xxviii· sunt gradus ascensionis de radice usque ad virgam, id est a David usque ad virginem Mariam, de qua natus est Christus, qui

vocatur Iesus. Et per hos gradus ascensionis flos de radice ascendit ad virgam, in qua terminatur ascensus. Et quamvis secundum naturam carnis Christus descendit de David, ipse tamen incorporaliter super illum secundum excellentiam dignitatis ascendit. Ideoque signanter et ipse propheta praedixit quod flos de radice eius ascenderet, ut solium eius intelligatur longe sublimius throno David; tanto siquidem excellentius quanto differentius prae illo nomen hereditavit. Unde bene dictum est per prophetam: super solium David, et super regnum eius. Non dicit in solio, sed super solium; nec dicit in regno, sed super regnum; ut ostendatur quod illud fuit terrenum et temporale, istud autem aeternum est et caeleste. Ad quod referendum est illud, quod angelus inquit ad virginem: dabit ei Dominus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum; ut significans pro significato ponatur.

Per hoc etiam quod flos de radice dicitur ascendisse, perimitur error impii Manichaei, qui praesumpsit asserere quod Christus non habuit naturalem et veram carnem sed umbratilem et phantasticam; quod inde fallaciter colligebat, quia non de carne nec de sanguine, sed de Spiritu sancto dicitur esse conceptus. Quod autem natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Contra quod expressive loquens propheta praedixit: flos de radice eius ascendit; ut ostendat radicem et florem eiusdem esse naturae; sicque Christum existere verum hominem, sicut David extitit verus homo. Praeterea ne putaretur quod Maria adoptione de una familia ad aliam esset assumpta, sicut aliquando virga per insitionem de una radice in aliam radicem assumitur, ut propheta desi-

guaret certius et expressius veritatem, dicit quod flos de radice eius ascendet. Nam et sicut David post multas persecutiones regnavit, sic et Christus post passionem suam in gloriam patris intravit.

Per genealogias autem, quas Matthaeus et Lucas describunt, non videtur esse probatum quod Maria fuerit de stirpe David, sed neque de tribu Iuda, habito etiam pro constanti quod secundum legem personae diversarum tribuum sibi in matrimonio coniungantur, nec coniungantur passiones et sortes. Nam duae tribus sacerdotalis et regia, licite sibi iungebantur ad invicem foedere coniugali, unde Maria legitur fuisse cognata Elisabeth quae erat de filiabus Aaron; et sic poterat licite coniungi Ioseph qui erat de stirpe regia, de domo videlicet et familia regis David. Sed concesso quod Ioseph et Maria fuerint contribules, de tribu videlicet Iudae, non tamen probatur fuisse de eadem familia; quia sicut Ioseph descendit de stirpe David, sic et Maria potuit descendisse de progenie femoris ipsius, vel etiam de aliis familiis tribus eiusdem. Ideoque prophetae Spiritu sancto pleni voluerunt aperte praedicere Christum de stirpe David et de semine regio nasciturum, sicut dicit Isaias, egredietur, inquit, virga de radice Iesse, id est de rege David, qui fuit utique Iesse filius et regiae stirpis, et flos in Christo de radice eius ascendet. Et alibi: suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra, et hoc est nomen quod vocabunt eum, dominus iustus noster. Ubi in latino ponitur dominus, in hebraeo ponitur adonai, quod est nomen Dei, et in hebraeo non ponitur nisi pro Deo. Unde probatur quod hoc germen David videlicet Christus est Deus. In apocalypsi quoque unus de seniori-

bus dixit Iohanni: ne fleveris, ecce vicit leo de tribus Iuda, radix David etc. Paulus quoque ad Timotheum: memor esto dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum. Per id tamen quod in fine legitur numerorum de filiis Machir, et de filiabus Falsaath potest sufficienter ostendi quod mulieres illae quae partem hereditatis habebant, debebant nubere viris non solum de sua tribu, sed etiam de eadem familia. Unde scriptum est ibi: omnes viri ducant uxores de tribu et cognatione sua, et cunctae feminae maritos de eadem tribu accipiant, ut hereditas permaneat in familiis. Ioachim autem et Anna masculum non habuerunt heredem, sed eorum primogenita fuit virgo Maria. Unde incunctanter ad eam pars hereditatis praecipua pertinebat. Quare cum sancta nupserit iusto, profecto secundum legem nupsit viro de eadem tribu; et ex eadem tribu et familia fuit virgo Maria.

Sed quomodo florem istum ascendisse dicunt, et non potius descendisse, cum Christus in quantum est incarnatus, descenderit potius quam ascenderit? Nam ipse est panis vivus qui de caelo descendit. Qui etiam de se dicit: descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et ad quem dicitur per prophetam: utinam dirumperes caelos et descenderes! Hoc autem ad conservandam proprietatem sermonis, quia sicut in propagatione generis fit ascensus, unde cum de germine loqueretur, ascensionis voluit et debuit uti verbo; nam et de inferiori futurus erat ad superiorem progressus, ideoque dicendus erat ascensus. Verumtamen qui descendit, idem est qui ascendit, sicut ipse testatur in evangelio: nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, filius

hominis qui est in caelo. Nam a summo caelo egressus eius, et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius. Audi descensum: cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; exinanivit se, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Sed audi quantum ascendit: propter quod, inquit, exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.

Nec mireris si flos iste descendendo ascendit, quia cum ipse sit verus Deus et homo, ipse idem ascendit in quantum est homo Deus. De quo ascensu dicitur per prophetam: ascendet Deus super nubem levem, et ingredietur Aegyptum. Ergo de radice eius ascendit. Hic in canticis de se dicit: ego flos campi, et lilium convallium. Sane sunt flores veritatis et gratiae, et sunt flores vanitatis et culpae. De primis legitur: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo. Circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. De secundis dicitur: omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos foeni. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, verbum autem Domini manet in aeternum. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet. Mane floreat, et transeat, vespere decidat induret et arescat. De istis legitur: coronemus nos rosis ante quam marcescant, nec pertranseat nos flos temporis. De illis dicitur: in atriis domus Dei nostri florebunt.

Ceterum iste flos gloriae, iste flos florum venit plantare primas et eradicare secundas, plantare virtutes et vitia extirpare. O si hunc florem digne laudare possemus! et si non digne, vel non indigne! Certe flos iste speciosissimum habet colorem, suavissimum habet odorem, et dulcissimum habet saporem. Unde nos, fratres karissimi, etsi non quantum volumus, quantum tamen valemus, prospiciamus huius floris colorem delectabilem et decorum; sumamus huius floris odorem recreabilem et amoenum; gustemus huius floris saporem delectabilem et sincerum. De huius floris colore sponsa dicit in canticis: dilectus meus candidus et rubicundus; candidus in conceptione, rubicundus in passione. Cum enim ipse sit candor lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis ipsius, profecto non potuit alicuius peccati macula maiestas Dei et imago bonitatis obscurari. Et ideo peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Sed neque peccatum contraxit, quia quod non rapuit, hoc exsolvit. Nam mater eius Maria inventa est in utero habens de Spiritu sancto, sicut ei angelus praedixerat: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod orietur ex te, omnino mundum, omnino candidum, vocabitur filius Dei. Dominus enim decorem induit. Ad quem dicit propheta: speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; specie tua et pulchritudine tua intende prospere procede et regna. Tu enim es sol iustitiae, tu lux vera quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; cuius pulchritudinem sol et luna mirantur; in quem desiderant angeli prospicere admirando dicentes: quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare ru-

brum est indumentum tuum quasi calcantium in torculari? Nam ut alibi legitur, vestimentum eius fuit aspersum sanguine, non utique inquinante sed emundante, secundum quod legitur, quia laverunt stolas suas et candidas eas fecerunt in sanguine agni. Et licet per ignominiam despicabilis passionis indecorus et ingloriosus videretur, propter quod inquit de eo propheta, vidimus eum non habentem speciem neque decorem, ipsius tamen decor et species cum non apparebat nihilominus permanebat.

Unde flos iste non defloruit nec effloruit, sed floruit et refloruit; floruit in conceptione immunis a culpa, ipso per psalmistam testante, refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi. De huius etiam floris odore sponsa dicit in canticis: meliora sunt ubera tua vino, sicut unguentum optimum. In odore unguentorum tuorum currimus. Hinc etenim sapientia Dei de se dicit: sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Huius odorem floris praesentiens Isaac in Spiritu sancto dicebat: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; cuius odore resurgunt mortui, sanantur aegroti, et confirmantur infirmi. Ceterum iste flos est procul dubio panis vivus qui de caelo descendit, omne delectamentum in se habens, et omnis saporis suavitatem; super mel et favum dulcis animae diligenti; de quo dicit psalmographus: gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Et de quo Petrus apostolus ait: si tamen gustastis quam suavis est Dominus. Hic ipse flos sapientia Dei dicitur: qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. Quia tanta est huius floris dulcedo, quod saturitas provocat famem, et ebrietas sitim inducit.

Beati oculi qui florem istum et nunc intuentur per fidem, et tandem contemplabuntur per speciem! videntes eum non per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem oculis corporis hominem, oculis cordis Deum; ad cuius visionem perpetuam ipse misericorditer nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto etc.

IX. (60) IN FESTO PLURIMORUM MARTYRUM.

" Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. "

Vas electionis et doctor gentium reprehendit et arguit eos in hoc loco qui delicate credunt in Christum, volentes quidem gloriam in caelo habere cum Christo, sed nolentes passiones in terra sustinere pro Christo. Non sic non sic, sed si voluerimus conregnare, oportet et compati. Nam si socii passionum sumus, et resurrectionis erimus; quia non coronabitur quis, nisi legitime certaverit. Et ubi maior lucta, ibi maior corona. Arta enim est via quae ducit ad vitam; unde psalmista dicebat: propter verba labiorum tuorum ego sustinui vias duras. Si enim nec vinitor fructum vineae, nec agricola fructum agri potest percipere sine studio et labore, quanto minus quis potest sine labore ac studio percipere regnum Dei; quod quidem non otiosis sed studiosis conceditur, teste veritate quae dicit: regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Ne vero quis dicat idcirco se nolle passiones huius temporis tolerare quia graves sunt et prolixae ac parum utiles, occurrit apostolus dicens: quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Ac si diceret ma- Cod. f. 72. b.

nifestius, non sunt prolixae quia passiones sunt temporis, videlicet temporales, quae diu permanere non possunt. Nam omne temporale brevi concluditur tempore, teste Salomone qui ait, nihil permanere sub sole. Unde psalmista: mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quae praeteriit. Et Petrus apostolus: ante Deum mille anni sicut dies unus; sicut etiam apud *centenarium* qui cum moritur, quantumlibet vixerit, vix unum diem reputat se vixisse. Futura quippe nascuntur, praesentia moriuntur, et quicquid est praeteritum, totum est mortuum.

Neque sunt graves, quia passiones sunt temporis huius; ad differentiam quippe illarum quae futurae sunt tempore Antichristi, de quo Dominus ait: erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet; et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur. Aut enim passiones sunt graves, et cito consumuntur; aut leves, et facile perferuntur. Licet igitur omnes omnino passiones quantumlibet graves, non sint condignae ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis, passiones tamen huius temporis longe minus, cum illarum respectu sint leves, quae futurae sunt tempore Antichristi. Nec sunt inutiles quia non sunt condignae ad futuram gloriam etc. Sane non sunt condignae quantum ad tempus, quia passiones istae sunt transitoriae, illa vero gloria est perpetua. Unde Petrus apostolus ait: Deus omnis gloriae qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos, ipse perficiet conservabit solidabitque. Nam id quod est momentaneum et leve tribulationis, ultra modum in sublimitatem ingens pondus gloriae operatur. Quantum enim distat inter carnem et spiritum,

quantum inter caelum et terram, tantum immo potius longe magis inter transitorium et perpetuum, inter aeternum et temporale.

Nec sunt condignae quantum ad locum, quia passiones istae tolerantur in terra, illa vero gloria confertur in caelo. Terra vero postquam eiecti fuimus a patria germinat nobis spinas et tribulos, in qua peregrinamur a Domino tamquam exules in convalle miseriarum et lacrymarum. Incola, inquit, sum ego in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei. Unde Iacob: dies peregrinationis meae parvi et mali non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt. Ideoque beatus Petrus admonet dicens: obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis quae militant adversus animam. Quis autem in exilio constitutus non libenter ad patriam revertatur? Aut quis in carcere positus non desideret liberari? Audi Paulum cum fletu clamantem: infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis huius? Et David cum lacrymis postulantem: educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine. Nos ergo qui desideramus in saeculo conversari, et in carne manere, procul dubio ex hac parte sensum amisimus, et perdidimus rationem, tamquam si peregrini desiderent degere in exilio, et vincti velint in carcere detineri. Non sic non sic apostolus, qui dicebat: cupio dissolvi et esse cum Christo, volens ab exilio ad patriam remeare. Non sunt ergo condignae passiones quae tolerantur in hoc peregrinationis exilio ad futuram gloriam quae revelabitur in illo beatitudinis regno.

Sed neque passiones istae sunt condignae quantum ad pretium, quia Deus incomparabiliter magis remunerat quam aliquis mereatur. Nam ut ipsa veritas ait:

qui reliquerit domum aut agrum propter nomen meum, ut videlicet paupertatem pati velit pro me, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. Non ergo vos taedeat neque gravet, passiones sustinere pro Christo, sed eas potius aequanimiter et hilariter toleretis, quia non sunt condignae passiones huius temporis etc. Audi quoque Petrum dicentem: communicantes Christi passionibus gaudete, ut et revelatione gloriae eius gaudeatis. Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius. Qui de se ipso dicebat: oportebat pati Christum, et sic intrare in gloriam suam. Sola Christi passio fuit ex toto condigna, ceterae autem passiones non sunt condignae; quaedam tamen sunt dignae, aliae vero prorsus indignae. Passio quippe Christi condigna fuit ad gloriam quam meruit non solum sibi sed nobis, quia cum Christus sit verus Deus et verus homo, tantum tamen ipse Deus ad passionem descendit quantum ipse homo ad glorificationem ascendit. Nam qui descendit, idem est qui ascendit. Audi apostolum hoc sentientem et asserentem de ipso: cum in forma, inquit, Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; exinanivit se, formam servi accipiens, in similitudinem hominum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce quantum descendit, videlicet ab aequalitate patris usque ad mortem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen etc. et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ecce quantum ascendit, videlicet a morte crucis usque ad gloriam Dei patris.

Ceterae autem passiones non sunt condignae, quia minima gloria quae habetur in patria, maior est quan-

talibet poena quae sustinetur in via. Propter quod veritas ait: qui minor est in regno caelorum, maior est Iohanne Baptista, quia minimum praemium comprehensionis est maius quantolibet merito viatoris. Quaedam tamen passiones sunt dignae, ut illae de quibus veritas ait: beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Itemque: beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Aliae vero passiones sunt prorsus indignae ad gloriam optinendam, ut illae quas malefactores pro suis sceleribus patiuntur, de quibus Petrus apostolus ait: nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Unde ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Non igitur tristemini sed laetemini, non doleatis sed gaudeatis, si passiones pro Domino sustinetis, iuxta quod admonet Iacobus apostolus dicens: omne gaudium aestimate, fratres mei, cum in temptationes varias incideritis; quod ad exteriores temptationes, quae poenae sunt, non autem ad interiores, quae culpae sunt, sano debet intellectu referri. Oportet igitur nos tolerare pro Christo passionem cordis, oris, et operis, videlicet dolores et contumelias et terrores, angustias et labores, famem et sitim, frigus et nuditatem, et si necesse fuerit persecutionem ad mortem. Tristemur ergo et doleamus non solum pro perversitate vel perversitatibus nostris, verum etiam pro adversitatibus alienis, eius exemplo qui dicebat: quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Ossa

mea sicut in frixorio confrixa sunt. Sicut enim piscis in sartagine frigitur, sive volvatur in unam partem, sive volvatur in aliam; sic et anima in conscientia debet affligi sive cogitet aliena peccata, sive recogitet sua.

Illud autem tamquam inmane flagitium penitus est vitandum, de malo videlicet gloriari; nam qui gloriatur in malitia, ipse profecto potens est in iniquitate; cum maius piaculum sit gloriari de malo, quam agere malum. Unde scriptura exaggerando peccatum, de quibusdam loquitur dicens, laetantur cum male fecerint, et exultant in verbis pessimis. Et iterum: praedicaverunt peccata sua sicut Sodoma. Vos ergo, fratres, non debetis gaudere sed dolere de malo, non gloriari sed contristari, quoniam huiusmodi dolor in gaudium convertetur, Domino promittente: beati qui fletis, quia ridebitis. Itemque: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et quidem si laetari velimus, laetandi materiam non habemus, quia corrupta est terra et iniquitate repleta; superabundavit iniquitas, et refrigescet caritas multorum. Multa est malitia hominum super terram, et cuncta cogitatio cordis ad malum intenta. Itaque liquefacta est terra, et omnes habitantes in ea. Undique angustiae sunt ac ubique dolores. Toleretis itaque pro Christo contumelias et terrores, quia beati eritis cum vos oderint homines et maledixerint vobis, ut dixerint omne malum adversus vos mentientes. Nam si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, dummodo cum accipictis contumeliam vel detractionem audictis, non subito exardescatis in improperia, nec prorumpatis protinus ad vindictam, quoniam in patientia vestra possidebitis animas vestras. Certe numquam potestis melius confundere adversarios, quam si percutientibus vos in unam maxillam,

alteram praebeatis; eius exemplo qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Si sic biberitis mortiferum, non vobis nocebit. Melius enim perferendo iniuriam, quam inferendo vincetis. Secundum illud quod legitur: contumelias et terrores passus sum ab eis, et Dominus mecum est tamquam bellator fortis. O quantum mens illa sibi congaudet quae potuit aequanimiter iniuriam sustinere, quantumque furor ille confunditur, qui sine commotione alterius iniuriam perpetravit! Sicut nimirum ars deluditur arte, cum non ad hoc iste intulerit iniuriam, ut ab isto minime turbaretur, sed ut illum valde turbaret, et ille sic pertulit iniuriam, ut ab isto minime turbaretur, sicque factus est de turbatore turbatus. Angustias enim et labores non trepidetis sustinere pro Christo, quoniam ipse fidelibus suis ait: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Quid ergo, fratres, quid de nobis ipsis dicemus? qui cum deberemus sustinere pro Christo frigus et nuditatem, vestimentis duplicibus induimur et pretiosis; cum deberemus pro Christo tolerare famem et sitim, diversis ferculis vescimur et delicatis cibariis epulamur; cum deberemus tolerare pro Christo vigilias et labores, amplis otiis quiescimus et longis soporibus dormitamus; cum deberemus pro Christo tolerare angustias et dolores, gaudiis mundi fruimur et carnis illecebris delectamur. Verendum est quidem ne tandem nobis dicatur quod olim dictum est illi diviti qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur cotidie splendide: fili recordare quod recepisti bona etc. et Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Noli homo timere frigus et nuditatem.

pro Christo, quoniam cum mortale hoc induet immortalitatem, stolam accipies sine pretio pretiosam, non quidem de bysso et purpura, hyacintho et cocco contextam, sed de quatuor proprietatibus glorificati corporis coaptatam, quae sunt subtilitas et agilitas claritas et impassibilitas. De quibus legitur: fulgebunt iusti, et tamquam scintillae in arundineto discurrent, et regnabit dominus illorum in perpetuum. Nam absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et iam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam prima transierunt. Noli etiam pro Christo timere sustinere famem aut sitim, quia cum transiens ministrabit, inaestimabiles delicias suis fidelibus exhibebit, quae quanto amplius gustabuntur, tanto avidius appetentur; eo quod gustatae non ingerunt fastidium, sed pariunt desiderium. Et ipsae quidem tria continent alimenta, non panem aut vinum aut carnem, sed cognitionem dilectionem et laudem, quibus ineffabiliter satiatur anima Deum videns: satiabor, inquit, dum manifestabitur gloria tua. Nihil dulcius quam cognoscere Deum trinum et unum, nihil suavius quam diligere Deum unum et verum, nihil delectabilius quam laudare Deum creatorem et salvatorem.

Non sunt ergo condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis, in qua erit vita sine morte, dies sine nocte, certe sine forte; ubi erit securitas sine timore, iocunditas sine dolore, tranquillitas sine labore; ubi erit pulchritudo sine deformitate, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine perversitate; ubi erit bonitas sine malitia, felicitas sine miseria; ubi erit gaudium quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et ideo di-

citur quod gloria illa revelabitur in nobis, quia nunc abscondita et occulta, in tantum quod eam non sufficimus intelligere, necdum etiam explicare. Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuae Deus quam abscondisti timentibus te! Vincenti dabo manna absconditum longe dulcius et suavius, quam illud de quo sapiens protestatur: panem de caelo praestitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Nam manna nostrum erit utique Deus noster omnia in omnibus, qui sapiet unicuique quod desiderabit anima eius. Gustate, inquit, et videte quoniam suavis est Dominus; qui plene ac perfecte gustabitur quando anima contemplabitur in illum, non iam per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem sicuti est. Quoniam haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Iesum Christum; qui cum sit summum bonum, in ipso est omnis plenitudo beatorum. Et ideo qui habuerit Deum solum, habebit penitus omne bonum.

Quidam autem errore decepti putant verbum istud non esse verum, pro eo quod est absconditum, dicentes sed mentientes, resurrectionis gloriam non esse futuram. Ad quorum convincendum errorem sufficiant testimonia novi et veteris testamenti, rationes etiam et similitudines quas quidam philosophi induxerunt. Nos hoc unum ad praesens inducimus ad eorum insaniam elidendam, quod videlicet eorum credulitas si est vera, minime prodest; si est falsa, maxime nocet. Nam credere quod homines non resurgent, nihil proderit si homines non resurrexerint; et multum oberit, si resurrexerint homines. Contraria vero fides si est vera, maxime prodest, si autem falsa, minime nocet; nam credere resurrectionem futuram, multum proderit, si

resurrexeriut homines; et nihil oberit si, homines non resurrexerint. Illa vero credulitas est omnino tenenda quae si est vera, maxime prodest; et si est falsa, minime nocet. Practerca si quisquam tractus vel adiutus ab alio, cum ipso et per ipsum bonum agit aut malum, nonne uterque apud iustissimum iudicem pro bono praemium, vel pro malo supplicium promeretur? Ita quidem. Cum igitur hoc modo se habeat corpus et anima, profecto Deus index iustus fortis et longanimis, qui reddet unicuique secundum merita sua, remunerabit aut puniet animam recipiendam cum corpore post hanc vitam, quando erit locus recipiendi, sicut in hac vita est locus merendi; quod fieri non posset nisi corpus resurgeret, quod profecto resurget. Non autem in hoc saeculo ubi bonis mala, et malis bona saepe contingunt, sed in futuro ubi boni bona et mali mala tantum recipient, corpus cum anima incomprehensibilia et ineffabilia dona recipient, praestante domino Iesu Christo qui est super omnia benedictus in saecula saeculorum. Amen.

X. (64) IN FESTO MARTYRUM.

" Anima mea turbata est propter quadrigas Amiuadab. „

Cod. f. 78. Planctus est Hieremiae prophetae a, a, a, domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum. Triplex ·a· triplicem infirmitatem significat, scilicet defectum conscientiae, eloquentiae, et sapientiae. Si plangit Hieremias et timet praedicare eximius prophetarum, qui etiam excellentissimum de filio Dei humanato perhibuit testimonium dicens: post hoc in terra visus est, et in hominibus conversatus est; si Ionas propheta

missus ad praedicandum Ninivitis fugit in Tharsis; quis ego sum qui non sum propheta nec filius prophetae, immo nec puer, ut ascendam in montem ut annuntiem Iudaeis et Hierusalem scelera eorum, ut labiis incircumcisis loquar magnalia Dei, impaenitens de paenitentia, nocens de innocentia, pollutus de sanctitate, frigidus de caritate, cum frigidum pectus non possit incendere? Verumtamen quia parvuli petierunt panem, et non est qui frangat eis, et quia saepe per lapideos canales aqua defluit ad fertiles areolas, et liscivum lavat quamvis non lavetur, ad loquendum assurgo, promptior tamen ad audiendum. Postulata ergo in ipso sermonis vestibulo ab universitate vestra triplicis immo multiplicis insufficientiae venia, et invocato eius auxilio qui inspiravit corda prophetarum, breve verbi Dei seminarium, et utinam fructificaturum magna, audientiae vestrae seminabo.

" Anima mea turbata est propter quadrigas Aminadab. " Verba sunt sponsae in cantico amoris, et loquitur in persona totius humani generis, quasi dicat humanum genus: anima mea, hoc est vita praesens, iuxta illud Iob, in cuius manu est omnis anima vivens. In cantico canticorum, indica mihi quem diligit anima mea. Et dicitur anima ab ἐν quod est in, et αἷμα quod est sanguis (1), quia in sanguine, hoc est in peccato. Unde in psalmo, viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Quia haec vita fere tota agitur in peccato; unde nec infans unius diei sine peccato est. Conturbavit me turbatione occupationis et distractionis, de qua dicitur in evangelio: Martha Mar-

(1) In hac tradenda etymologia respicit fortasse Innocentius ad Levitic. XVII. 14; quamquam ibi de beluarum anima sermo fit. Innocentius autem tropologicum sensum mox sequitur.

tha sollicita es et turbaris erga plurima. Propter quadrigas Aminadab. Aminadab spontaneus populi mei interpretatur. Hic est Christus filius Dei vivi, verus Aminadab, qui pro salute totius humani generis quasi ovis ad occisionem ductus est, et oblatus est quia ipse voluit. Sunt autem quatuor istius quadrigae quibus vehitur humanum genus, elementaris, mundialis, temporalis, affectionalis. Prima consistit in quatuor rotis elementorum; secunda in quatuor mundi cardinibus oriente occidente meridie septentrione; tertia in quatuor mundi temporibus, in tempore scilicet derivationis quod fuit ab Adam usque ad Moysem, revocationis quod fuit a Moyse usque ad Christum, regressionis quod fuit ab incarnatione usque ad ascensionem et durabit ad finem mundi; quarta in quatuor affectibus, qui sunt gaudium spes dolor et timor.

De his quadrigis ait Zacharias per prophetam: levavi oculos meos et vidi, et ecce quatuor quadrigae egredientes de medio duorum montium, et montes aerei. In prima quadriga equi rufi, in secunda nigri, in tertia albi, in quarta varii. Prima quadriga scilicet quatuor elementa egressa sunt de medio duorum montium aereorum, qui sunt materia et forma quae durabiles sunt sicut aes; et sunt eius equi rufi propter duo principalia elementa, scilicet ignem qui rutilat et terram quae naturaliter rufa est. Unde Adam in agro damasceno de terra rubra plasmatus est. Equi secundi nigri sunt propter terrenam inhabitationem quae nigra et tenebrosa est. Unde Iob: in tenebris stravi lectum meum. Et in canticis: nigra sum sed formosa, filiae Hierusalem. Hanc quadrigam quatuor mundi cardinum ab humano genere possidendam praefiguravit nomen Adae, ex quatuor nominibus quatuor cardina-

linum stelarum (1) compositum; quae sunt ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία, ex quorum nominum capitibus compositum est nomen Adam. Similiter et hoc generale nomen homo ex his quatuor nominibus oriens occidens meridies septentrio est compositum, ·h· posita pro ·s· ut septem pro ἑπτά, sex pro ἕξ. Equi tertiae sunt albi, quia trahunt ad aeternitatem, in qua est candor et lux ineffabilis, iuxta illud: Deus habitat lucem inaccessibilem, cuius orizon et circumferentia est tempus, ut dicit psalmista. Equi quartae sunt varii propter affectionis varietates. Et istae quatuor quadrigae egressae sunt de medio duorum montium, qui sunt principium et finis.

Loquitur nostra sponsa in propria persona, quia dicit militans ecclesia anima mea etc. hoc est iusti electi mei. Unde in genesi: omnes animae domus Iacob quae ingressae sunt in Aegyptum fuerunt ·LXX· Et dicitur haec anima ab ἀνὰ, quod est rectum, et imago quod est similitudo. Unde in genesi: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Conturbavit me, turbavit me turbatione desiderii, de qua in psalmo: anima mea turbata est valde. Propter quadrigas. Sunt autem duae quadrigae, quibus vehitur ecclesia; una est commemorationis quae commemorat quatuor mundi tempora, annuatim ecclesiastica officia quadrifariam variando. Tempus derivationis in septuagesima; tempus regressionis a pascha usque ad pentecostem; ab inde usque ad adventum tempus peregrinationis; usque ad octavas epiphaniae applica tempus regressionis; ab Abraham usque ad septuagesimam tempus peregrinationis. Propter hanc quadrigam dici-

(1) Cod. *stolarum*. Sed malui *stelarum* id est *cardinum*. Stola enim nihil heic facit.

tur in psalmo: psallite Deo nostro psallitę, psallite regi nostro psallite. Altera est quae habet quatuor rotas, id est quatuor status, clericorum, poenitentium, innocentium, confessorum. Istos ordines insinuat Spiritus sanctus in canticis ubi ait: quae est ista quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Isti sunt quatuor colores qui erant in operimento tabernaculi, scilicet purpurae byssi cocci et hyacinthi. In his quadrigis reducitur arca foederis a Gabaą in Hierusalem; et regina austri venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. Ingreditur Hierusalem; hoc est ecclesia militans, quae proficiscitur in caelestem Hierusalem contemplari summum Salomonem.

Loquitur item in persona cuiuslibet iusti. Anima mea tecum est, scilicet spiritus meus. Unde in Ezechiele omnes animae meae sunt; et anima quae peccat ipsa moritur. Et dicitur haec anima ab ·a· quod est alpha, nota patrem; et νοῦς quae est mens, nota filium; et amor quod est Spiritus sanctus. Denominatur enim a tribus personis, quia plurimum relucet in anima vestigium Trinitatis, propter tres eius vires, irascibilem, rationabilem, concupiscibilem. Vis irascibilis sonat in animositatem et potentiam, et ita respicit ad patrem; rationabilis in sapientiam, et ita pertinet ad filium; concupiscibilis pertinet ad voluntatem, et ita respicit Spiritum sanctum, qui est voluntas utriusque. Conturbavit me, id est corpus meum ei imperando. Propter quadrigas Aminadab. Istae quatuor quadrigae, sunt quatuor virtutes cardinales, quae informatae sunt caritate. In hoc curru igneo Elias raptus est in caelum. Loquitur item sponsa in persona paenitentis: anima mea, hoc est sensualitas mea, quae

in terrenis versatur. Est enim *homo* natione terrestris, sicut ratione caelestis. Conturbavit me conturbatione passionis, de qua in psalmo: anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Propter quadrigas Aminadab. Sunt autem duae principales quadrigae; prima et principalior quatuor rotis volvitur, quae sunt peccatorum remissio, cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio. Quae quatuor insinuantur quatuor verbis, scilicet miserere mei Deus. Et in canticis quater repetitur revertere, revertere, ut intueamur te. In hac sedet aethiops eunuchus baptizandus a Philippo, sicut legitur in actibus apostolorum. Hic currus succedit currui Pharaonis, et absorbetur; qui similiter quatuor rotas habet, quatuor genera peccatorum, scilicet delectationis, consensus, locutionis, et operis. Quae submergitur in mari rubro hoc est in baptismo seu paenitentia vel flamma gehennali. Secunda quadriga consistit in quadruplici satisfactione, scilicet ieiuniis vigiliis orationibus et eleemosynis, quae similiter quatuor verbis significantur in psalmo: declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam. Hoc plaustrum stridet orationibus et foenum portat, scilicet arefactionem et desiccationem corporis humani, iuxta illud Amos prophetae: ecce ego subter vos, sicut stridet plaustrum foeno onustum. Et opponitur haec quadriga plaustro ferreo Damasci habenti similiter quatuor rotas, peccatum locutionis, cogitationis, et operis, et finalis inpoenitentiae. Unde in Amos propheta: super tribus sceleribus Damasci, scilicet locutione, cogitatione, et opere; et super quarto, scilicet super finali inpoenitentia, ut convertat eum, eo quod trituraverit in plaustris ferreis Galaad. In hoc plaustro sedet omnis filius perditionis,

omnis peccator, et vehitur in Babylonem, hoc est in aeternam dampnationem.

Istam quadrigam scilicet quadruplicis satisfactionis ipse Salvator factis suis et dictis consecravit; primam rotam, scilicet ieiunium, quando ieiunavit, praefiguravit Moyse et Elia. Et per Ionam prophetam: sanctificate ieiunium, adhuc ·XL· dies et Ninive subvertetur. Unde et iste numerus, scilicet ·XL· est poenitentialis; quia producitur ex decimo multiplicato per quaternarium; et omnis mortaliter peccans transgreditur decalogum et quatuor evangelia; qui enim offendit in uno, factus est omnium reus. Secundam rotam, scilicet vigilias, dedicavit quando in horto vigilans in nocte qua tradebatur, dixit discipulis suis: vigilate et orate nunc, ne intretis in temptationem. Et alibi: omnibus dico vigilate. Tertiam, scilicet orationem, quando in eodem horto oravit, et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Et quando dixit orate ne fuga vestra fiat hieme vel sabbato, quando semper pausandum est. Quartam rotam, scilicet eleemosynam consecravit, quando in cruce eleemosynam dedit orationis crucifigentibus se, orando pro ipsis; et quando dixit: date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

Si ergo sedes vel sedisti in curru Pharaonis, id est in quadriga peccatorum, descende, audi consilium Isaiae prophetae dicentis: descende, sede in terra, virgo filia Babylonis. Non est filiae Chaldaeorum thronus, non vocaberis ultra mollis et delicata; accipe molas, mole farinam, discooperi velamentum tuum, denuda crura tua, transi flumina. Quasi dicat: anima praevaricata, sterilis in bono, descende de superbia peccatorum renuntiando peccatis; et post remissionem

peccatorum non eris in delectatione peccati. Mole farinam, scilicet peccati duritiem per contritionem cordis molendo, comminuendo, et adnihilando, et nebulas peccati quasi cinerem spargendo; quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. Discooperi velamentum tuum, denuda calciamenta, hoc est peccata tua, quibus per campos licentiae ruendo de peccatis in peccatum currebamus, tendendo in Babylonem. Confitere iuxta illud: dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris. Et iterum: revela Deo viam tuam; transi flumina carnalium voluptatum, de quibus in psalmo: super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus; transi in curru poenitentiae praedicto, ieiunando, vigilando, et orando, et dando eleemosynas. Sicut enim vulnus corporale per quatuor remedia sanatur, scilicet per mundificantia et carnis desiccantia, secundo per repercussiva, tertio per consolidantia, quarto per cicatricantia; ita vulnus peccati primo circumligari et cataplasmari ieiuniis debet, quae desiccant humorem carnalium voluptatum et purificant. Secundo vigiliis, quae repercutiunt et repellunt noxia imminentia. Tertio orationibus, quae virtute et frequentia sua plagam consolidant. Quarto eleemosynis, quae velut oleum omnibus bonis supernatant; quia potior misericordia omnibus holocaustomatibus, et locum cicatricis complanant et lenificant.

Nec sufficit ieiunium gustus a cibis et potibus; sic enim ieiunat et avarus ne expendat, epicureus ut prandium suum ad splendidam caenam reservet, hypocrita ut appareat. Immo etiam ceteris sensibus est ieiunandum, visu ab impudicis et illicitis spectaculis, quia per fenestras oculorum mors ingreditur ad nos. Unde Hieremias: oculus meus depraedatus est animam

meam. Et in psalmo: averte oculos meos ne videant vanitatem. Similiter auditu a fabulis otiosis et scurrilibus sermonibus, ne simus auribus prurientes. Similiter tactu a mollibus et delicatis, a vestibus sericis et purpureis, quia qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, non regis summi. Unde dives evangelicus qui induebatur purpura et bysso, sepultus est in inferno. Immo est praecipuum cordis ieiunium a vitiis, quod solum sanctum est, et sanctificat praedicta corporalia ieiunia. Unde Iohel propheta: sanctificate ieiunium, vocate coetum. Similiter non sufficiunt corporales vigiliae in studiis nocturnis, scilicet ut moris est scholasticis, sed etiam in ecclesiis vigilandum est corde a pastoribus circa gregem suum virtutum scilicet et cogitationum, ne abigei abigant, et fures domum et ovile vestrum perfodiant. Unde in evangelio: si sciret pater familias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

Similiter non sufficit vocalis oratio, orare scilicet vel psallere in choro, et animo vagari et negotiari in foro; quia talis oratio est clauda, et clauda hostia Domino prohibetur offerri. Taliter orantes arguit Dominus per Isaiam: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Item non sufficit corporalem dare pauperi eleemosynam, nisi des ex hilari corde. Deus enim cor interrogat non manum; et hilarem datorem diligit Deus. Non sufficit pauperem liberare a necessitate temporali, a morte corporali, si temet ipsum non liberas a morte spirituali, a morte peccati; id est ordinata caritas a se incipit. In primis miserere animae tuae poenitendo, confitendo, satisfaciendo. Noli differre, quia mora trahit ad se periculum. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Iustum

est enim ut qui in sordibus est, sordescat adhuc, ut legitur in apocalypsi. Noli dicere fragilis sum, non possum modo, postea poenitebo, in anno futuro; misericors est Deus, in fine poenitebo, sicut latro in cruce, et salvabor. Quomodo securus est in anno, immo de mense, immo de die proxima, immo de hora praesenti? quia et praesens certam non habet hora fidem. Nihil enim est morte certius, nihil hora mortis incertius. Terreat te illud evangelicum: stulte, anima tua repetetur a te, et forte haec hora est undecima.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; hora est iam nos de somno surgere. Ecce Christus in cruce clamat: o vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. Non potes ei conregnare, nisi velis et compati; non sibi morienti triumphatori, sed tibi mortuo, et nisi poeniteas perituro. Unde ipse ait in evangelio: filiae Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Nolite timere temporalem satisfactionem, timete aeternam dampnationem. Et iterum: fugient arma ferrea, irruent in arcum aeneum. Arma ferrea sunt opera poenitentialia, fortia contra diabolum; arcus aeneus, irremediabilis aeternae dampnationis inpoenitentia. Timete arcum istum, lacum sine aqua, lacum de quo exivit sanguis usque ad frenos equorum, ut legitur in apocalypsi. Mors ubi? Mortale est non potuisse mori. Ubi nil praeter vae vae; scit dicere filius Evae. Verum quia terribilia sunt ista quamvis vera, et aures graves sunt ad terrores et tonitrua, ut ait Tullius, brevem oportet esse miserationem, quia nihil lacryma citius arescit. Ad finem veniamus. Descendamus, viri fratres, de curru Pharaonis, eiciamus lapides de platea, fugiamus de terra aquilonis, ascendamus currum

aethiopis eunuchi, currum etiam quadruplicis satisfactionis, ut tandem igneo curru Eliae migremus in caelestem Hierusalem ad cantica laetitiae, ad gaudia quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt; ipso praestante, cui est honor et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.

XI. (67) IN FESTO CONFESSORUM.

" Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri
„ meo dare vobis regnum. „

Cod. f. 82. Cum dicat alibi scriptura divina: beatus vir qui semper est pavidus; et qui sine timore est, iustificari non poterit; fortassis intra vos cogitatio vestra dicit: quid est quod dicitur nobis, nolite timere pusillus grex? Putabam et ego quod in cordibus vestris talia diceretis, cum etiam scriptum sit: timete Deum omnes sancti eius, quoniam inopia deest timentibus eum. Deum time, et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo. Distinguendi sunt, fratres, diversi timores, humanus, mundanus, naturalis, servilis, initialis, et finalis. Duo primi sunt vitia, duo ultimi virtutes sunt, duo medii sunt nec vitia nec virtutes. Humanus timor est ille quo quis a bono declinat ad malum, ut vitet periculum temporale, sicut Petrus, qui ne mortem incurreret, vitam negavit, immemor eius quod audierat a magistro: nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Mundanus timor est ille, quo quis a bono declinat ad malum, et vitet incommodum temporale, sicut Herodes qui ne regnum amitteret, innocentes occidit. Illic trepidavit timore ubi non erat timor. Naturalis timor est ille quo qui-

libet homo naturaliter horret poenam, sicut etiam ipse Christus, de quo legitur, quod coepit Iesus pavere et taedere, contristari et moestus esse. Servilis timor est ille quo quis non amore iustitiae sed formidine poenae cohibet malum animum suum a peccato. Et de tali timore legitur: timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. Initialis illo timor est quo quis declinat a malo, partim amore iustitiae, partim formidine poenae; de quo legitur: initium sapientiae timor Domini. Finalis timor est ille quo quis declinat a malo tantum amore iustitiae; de quo legitur: timor Domini super omnia se superposuit.

Cum ergo dicitur vobis, nolite timere pusillus grex, de mundano vel humano intelligatis timore, ne videlicet propter corporale periculum vel incommodum temporale de virtute ad vitium declinetis. Ergo nolite timere pusillus grex, pro eo videlicet quod sitis pusilli, quia pauci vel pauperes: etsi pauci numero, sed non merito; etsi pauperes facultatibus, locupletes virtutibus. Certe si Deum diligitis, soli non estis, quia totam Trinitatem in vobis habetis; dicente Domino: siquis diligit me, sermones meos servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Nam Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Si Deum diligitis, soli non estis, quia multitudinem angelorum vobiscum habetis. Recolite, fratres, quod Elisaeus inquit ad puerum, plures nobiscum sunt quam cum illis, quia descenderat exercitus angelorum ad praesidium Elisaei. Et Raphaël angelus ad Tobiam: cum orabas, inquit, cum lacrymis, ego optuli orationem tuam Domino. Unde psalmista dicebat: in conspectu angelorum psallam tibi. Si ergo diligitis Deum, non

estis soli, quoniam vobiscum adest Trinitas individua, quoniam multitudines angelorum vobiscum sunt. Nec estis pauperes, dicente scriptura: non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Unde cum Dominus dixisset apostolis, quando misi vos sine sacculo et pera et calciamentis, num aliquid defuit vobis? Responderunt, nihil. Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis. Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus, aut quomodo operiemur? haec enim omnia gentes inquirunt; scit enim pater vester caelestis, quia his omnibus indigetis. Quia pater est, vult; quia caelestis est, potest. Scit ergo, potest, et vult. Quare sine dubitatione donabit quod vobis expediat ad salutem. Ille quippe dat escam pullis corvorum invocantibus eum; dabit escam per corvos suos, dabit vobis escam manentibus in deserto, albis per nigros, iustis per peccatores, claustralibus per saeculares. Praeterea cur timeatis paucitatem, cum deserendo saeculum fugeritis multitudinem? Cur timeatis paupertatem, cum abnegando vos ipsos divitias contempseritis?

Ergo nolite timere pusillus grex; si tamen grex sitis non quidem porcorum qui se praecipitaverunt in mare, sed tonsarum quae ascenderunt de lavacro. Porci enim sunt qui divina sacramenta conculcant; de quibus legitur: nolite margaritas mittere ante porcos. Porci sunt qui carnis immunditias amplexantur, quia sus lota in volutabro luti. Porci sunt qui non ruminant, qui videlicet non meditantur in lege Domini, et tales secundum legem non sunt esibiles illi qui cum editur edit, quoniam in corde parat sibi esus edentes.

Cavete itaque, fratres, cavete ne sitis grex porcorum qui praecipitant se in mare, ne denuo immergatis vos in hoc mare magnum et spaciosum, id est in sollicitudines et in illecebras huius saeculi, ubi est via lata et spaciosa, quae ducit ad mortem. Sed sitis grex ovium non quarumlibet, sed tonsarum quae de lavacro veniunt. Oves sunt innocentes, de quibus legitur: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Oves obedientes, de quibus Dominus ait: oves meae vocem meam audiunt. Oves patientes et mites, de quibus dicitur: tamquam ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutescit, sic non aperiet os suum. Et vos, fratres, oves esse debetis per innocentiam, ut non reddatis malum pro malo, neque maledictum pro maledicto. Oves esse debetis pro obedientiam, ut sine mora pariter et querela obediatis non solum divinis praeceptis, verum etiam regularibus institutis. Oves esse debetis per mansuetudinem et patientiam, ut in patientia vestra possideatis animas vestras; eius exemplo, qui cum pateretur non comminabatur, cum malediceretur non maledicebat; factus obediens Deo patri usque ad mortem, mortem autem crucis; qui etiam erat subditus matri, se ipsum in exemplum proponens: discite a me, inquit, quia mitis sum et humilis corde.

Sic ergo non grex porcorum sed grex ovium esse debetis; nec simpliciter ovium, sed tonsarum deposito vellere, ne lana vos laniet quae vermes producit, vel pili vos implicent qui spinis inhaerent. Certe tonsi fuistis quando dimisistis pro Christo non solum propriam facultatem, verum etiam propriam voluntatem, eius exemplo qui ait: ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Rursus tonsi fuistis non solum quando dimisistis pro Christo natale solum, verum etiam quan-

do venistis in patriam alienam, eius exemplo cui dictum est: egredere de terra et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. Sed videte, karissimi, ne lana renascatur in vobis, ut in Aegyptum redire velitis ad ollas carnium vel pepones et allia, ne forte, quod absit, in sepulchris concupiscentiae moriamini. Siquando igitur talis lana renascitur, protinus tondeatur, ut sitis grex tonsarum quae de lavacro venerunt. De primo lavacro venistis quando ex aqua et Spiritu sancto renati fuistis; de secundo vero lavacro saepe venire debetis, ut lavetis per singulas noctes lectum vestrum, et lacrymis stratum vestrum irrigetis. Non solum pro peccatis vestris verum etiam pro alienis offeratis Deo sacrificium contribulati spiritus. Non spernit flentes, non solum pro incolatu vitae vel viae, verum etiam pro dilectione patriae, ad quam totis affectibus anhelare debetis; ut qui aliquando habuistis terram areutem, nunc habeatis irriguam, exemplo Axae quae a patre suo Caleph irriguum superius et inferius accepit in dotem.

Certum est enim quod si fueritis grex tonsarum, quae de lavacro veniunt, non est vobis timendum quod pusillus grex sitis, quia in vobis patri complacuit. Legitur quod placet sibi Deus pater in filio: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quod patri complacet in electis, unde: complacuit patri meo in vobis. Quod homo iustus complacet Deo, unde: placuit Deo, et inventus est iustus. Deus pater in filio sibi complacet, in quo tamquam unigenito ex toto sibi consimili prae ceteris delectatur. Deo patri complacet in electis, quos tamquam unigeniti coheredes praedestinavit ad regnum. Homo iustus complacet Deo, qui tamquam obediens et devotus beneplacitum eius adim-

plet. Primum et maximum est quod complacet sibi pater in filio; secundum et medium quod patri complacet in electis; tertium et ultimum quod iustus complacet Deo. Studeatis itaque, fratres, studeatis Deo complacere, beneplacitum eius totis viribus adimplendo, ut in vobis sibi complaceat, regnum suum vobis misericorditer largiendo, regnum pacis et tranquillitatis, regnum delectationis et iocunditatis, regnum lucis et claritatis, regnum beatitudinis et felicitatis aeternae; in quo cum angelis sanctis et animabus beatis mereamini semper ipsum videre, ipsum cognoscere, ipsum diligere, ipsum habere trinum et unum, patrem filium et Spiritum sanctum, aeternum vivum et verum Deum, qui est super omnia benedictus in saecula saeculorum. Amen.

XII. (31) AD CLAUSTRALES.

Ad claustrales loquens scriptura ait: ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum! Et alibi psalmista ait in persona claustralium: unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Cum apud naturalem philosophum unitas celeberrimis annotetur mysteriis, apud theologum non minoribus subiacet sacramentis. Sine unitate spirituali nec in praesenti gratia habetur, nec in futuro gloria confertur; sine unitate omnis exsufflatur religio; sine unitate languescit superna dilectio; sine unitate fides perit; sine unitate obedientia deficit. Unitas in divinis parat consonantiam, in angelis concordiam, in ecclesiis obedientiam. Cod. ottob. f. ult.

Triplex est unitas; est enim unitas supercaelestis, unitas caelestis, unitas subcaelestis. Unitas supercae-

lestis est in concordia Trinitatis; ubi est unitas uniens et unita; et est ibi unitas uniens nec unita, et etiam unita non uniens. Unitas uniens et unita, est Spiritus sanctus qui Patrem unit cum Filio; unde dicitur nuum Patri cum Filio; et alibi dicitur esse osculum et amor Patris et Filii. Et est unita, quia unitur Patri cum Filio, mediante divina natura. Unitas uniens non unita est divina natura, quia tres personas sibi invicem unit, sed ipsa eis non unitur, quia ipsa *non* est persona. Unitas unita non uniens est Pater, quia unitur Filio et Spiritui sancto; sed neuter eorum cum eo. De unitate uniente et unita dicitur: nunc sancte nobis Spiritus unum Patri cum Filio. De unitate non unita dicitur: in Patre unitas etc.

Unitas caelestis in angelorum concordia est; et est triplex unitas, unitas naturae, unitas gratiae, unitas gloriae. Unitas naturae, quia omnes sunt spiritus administratorii. Unitas gratiae, quia sunt in gratia confirmati. Unitas gloriae, quia omnes sunt in aeterna beatitudine glorificati. In hac triplici unitate est diversitas in dignitatum magisteriis, in officiorum ministeriis, in cognoscendis arcanorum mysteriis. Est ibi concors dissonantia, consonans discordia, diversa unitas, unita diversitas, dissensus consentiens, diversitas uniens. Unitas vero subcaelestis in ecclesia esse debet, et trina; unitas fidei, unitas caritatis, unitas obedientiae, ut inferiores superioribus obediant, superiores minoribus moderata consuetudine condescendant. Ad insinuandum huius unitatis meritum, unus qui descendebat in piscinam salvabatur, unus filius viduae suscitatur, arca in uno cubito consummatur. Ad annuntiandum David victoriam unus mittitur. Unus nuncians Iob mortem filiorum a periculo liberatur. Omnia quae

ad ecclesiasticam unitatem pertinent, amplectitur unitas. Omnia informat singularitas. Est enim unus Deus, una fides, unum baptisma, una lex, unus rex, una gratia, una gloria.

Inter claustrales autem similiter debet esse trina unitas, unitas religionis, unitas possessionis, unitas caritatis. Unitas religionis, ut sint uniformes in habitu, uniformes in victu, uniformes in ieiuniis, uniformes in vigiliis. Sed quidam anomali se a regula huius unitatis excipiunt, cupientes se mollioribus accumbere stratis, paucioribus interesse vigiliis, modico vel nullo uti silentio, delicatioribus vesci cibis. Quidam enim monachi vilem habitum quoquo modo insigniunt, aut pulveris excussione, aut quadam partium eleganti dispositione, quia aut pedes in calceis arctius ponunt, aut manicas stringunt, aut capucium super aures reflectunt; cibos pro posse suo delicatiores appetunt, et in quantum possunt, si non materiam, saltem mutant formam; quia si unus vult fabas vel alios cibos tenues parari uno modo, alius vult alio. Quidam silentia frangunt, etsi non verbis, saltem signis, et sic fabulas verborum redimunt pluritate signorum. Quidam vigilias aut intermittunt, aut intercidunt.

Unitas etiam debet esse in possessione, ut omnia sint communia; nihil enim proprium debet habere monachus in possidendo, quia nec proprium debet habere in volendo. Quod autem nihil debeat habere proprium in re, intelligat exemplo Ananiae qui ad pedes Petri expiravit quia proprium retinuit. Et ad instructionem claustralium dicit Dominus: nisi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Nec sufficit propriis abrenunciare in re, nisi abrenuntient etiam voluntate. Unde et Petrus

de hac abrenuntiatione voluntatis ait: ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Claustralis ergo qui proprium habere desiderat, respicit cum uxore Loth, manum ad aratrum mittit sed retrahit, cum Dina filia Iacob ornatus alienigenarum appetit. Qui ergo communi actione possessionis aliquid proprium excipit, locum Iudae proditoris et furis emit. O claustralis qui multa reliquisti in mundo, noli ad mundum redire unius nummi desiderio; non capiat te unius nummi appetitus, quem non decepit divitiarum thesaurus. Timeas ne decipula diaboli capiat te in minimo, quae non decepit in maximo.

Propriam etiam abiciat monachus voluntatem, ut sicut communitas est religionis, ita sit in voluntate; ut non solum eis omnia sint communia quantum ad censum, verum etiam quantum ad sensum; ut omnes conveniant in una voluntate, omnes consentiant in una caritate; ut de eis vere possit dici: erat eis cor unum in Deo, et anima una. Tenetur etiam claustralis habere unitatem caritatis, ut in proximi profectu suum inveniat; in proximi defectu suum lugeat. Sapientior minus peritum instruat, sanus aegroto condoleat, incolumis sano congaudeat; et sic vita claustralis imago sit vitae caelestis; ubi sicut in vita aeterna in dispari claritate par gaudium, ita in claustrali in dispari charismate vicarium amoris vinculum. Ab hac triplici unitate claustralis monachus dicitur, quasi unitatis custos. Si primam unitatem non servat, fit anomalus; si secundam, apostata; si tertiam, schismaticus.

Sit ergo in convictu claustrali unitas uniens et unita, id est praelatus subditos uniens auctoritate, subditus unitus caritate. Sit ibi unitas unita non uniens, id est subditus qui etsi alios non uniat, aliis tamen

se caritate iungat. Sit ibi unitas uniens non unita, id est caritas, nulli tantum in praesenti se firmiter copulans. Sit in eis unitas naturae, ut in se naturam diligant; sit unitas gratiae, ut sibi invicem gratiam collatam impertiant; sit unitas gloriae, ut una spe ad aeternae vitae gloriam tendant. Sit unitas fidei, ne sint haeretici; sit unitas caritatis ne sint schismatici; sit unitas spei, ne sint specialiter obstinati; ut de eis possit dici: ecce quam bonum, quantum ad hominum opinionem; et quam iocundum, quantum ad mentis delectationem, habitare fratres in unum religionis, in unum possessionis, in unum caritatis! ut ad illam unitatem pervenire valeamus, de qua dicit psalmista: unam petii a Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

EXPLICIUNT SERMONES
DOMINI INNOCENTII TERTII PAPAE,
CUIUS ANIMA CUM ANGELIS REQUIESCAT! AMEN (1).

(1) Ita clauditur codex vat. 700. f. 96. b Heio autem addendum superest, quod nempe sermonis editi ·XL·, qui est de beato Gregorio papa, ineditum est in codice f. 51. initium, scilicet: *Tria nobis circa beatum pontificem et egregium doctorem nostrum praemissa verba commendant, scientiam caritatis, excellentiam dignitatis, et gloriam sanctitatis. De primo praemittitur: statuit ei Dominus sacramentum sempiternum. De secundo subiungitur: dedit illi sacerdotium magnum. De tertio subinfertur: beatificavit illum in gloria. Testamentum, ut asserit qui de regulis iuris* (cod. *numeri*) *edisserit, est propriae voluntatis iusta sententia* etc

INNOCENTII ·III· PAPAE

DIALOGUS

INTER DEUM ET PECCATOREM.

Quia pius et misericors Dominus, fratres carissimi, permittit, immo gratum ei, a miseris se mortalibus invocari, erigitur mihi quoque audacia, licet indigno et peccatori, clamandi ad Deum voce magna, et ipsius clementiam invocandi. Non igitur onerosum sit vobis, quia proficere poterit Domino adiuvante ad poenitentiae fructum, quasi dialogum in auribus caritatis vestrae constituam quoddam colloquium inter peccatorem et Deum. Non enim dedignatur Altissimus huiusmodi colloquia servorum suorum, dicente ad eum Iob, loquere et ego respondebo tibi, aut certe ego loquor et tu responde mihi. Ipso itaque attendente de caelo et residente in excelso gloriae suae, tamquam inmutabili Deo apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, ego prostratus in terra et adhaerens humiliter pavimento, tanto competentius personam assumam peccatoris in hoc colloquio, quanto prae ceteris reum et culpabilem immundum et peccatorem esse me fateor et agnosco. Incipiens ergo et aperiens mentis meae desiderium sic loquor verbis meis ad eum.

Peccator ad Deum.

Deus aeterne, cuius natura bonitas, et opus misericordia est, qui etiam cum iratus fueris, misericordiae recordaberis, quibus verbis digne te potero invocare ut et tu digneris invocantem misericorditer exaudire? Scio quia redemptor meus, filius tuus, doctor

veritatis et sapientiae, cum ad eum diceret unus ex discipulis suis: Domine, doce me orare; ait, dicite pater noster qui es in caelis. Si igitur, Domine, sic orando invocavero te, potero ne percipere quod verbum illud a fideli propheta tuo probatum in me impleatur?

Deus ad peccatorem.

Pro certo quod sic orare docuit te filius consubstantialis mihi et coaeternus; sed quia tu temet ipsum mihi non exhibes sicut filium, non potes in oratione praedicta digne invocare me sicut patrem. Nam ex persona mea dicit propheta: si ego pater, ubi est amor meus? Si autem me tamquam patrem, homo quem creavi, diligeres, mandata mea tamquam filius qui patrem diligit custodires; exhibitio enim operis, probatio est dilectionis. Sed consideranti mihi omne genus hominum et universum statum in carne viventium, rarus occurrit in praelatis et subditis, in regibus et ministris, in claustralibus et professis, in dominis et servis, in clericis et laicis, qui adimpleat meam voluntatem in exequendis mandatis meis, et tamquam patri amorem exhibeat mihi filialem. Omnis sexus et aetas corrupit viam suam, ut eat post concupiscentias suas contempnendo universam traditionem evangelicam et doctrinam.

Peccator ad Deum.

Mirabilis facta est scientia tua Domine contra me, et non potero ad eam. Claudis os meum et obstruis rationibus tuis, ut ad invocationem tuam prosilire non audeam verbis orationis praefatae. Loquor tamen ad dominum meum; cum sim pulvis et cinis, mutabo

verbum, si forte digna inveniatur invocatio mea in auribus tuis; adsumam ad te invocandum illam orationem fidelis prophetae tui David, cui perhibuisti testimonium tuum dicens, inveni virum secundum cor meum. Sic enim orando clamabo ad te Domine, miserere mei. Et itidem: ego dixi, Domine miserere mei. Et alibi miserere mei Domine et exaudi orationem meam.

Deus ad peccatorem.

Non bene sonat oratio illa in ore tuo, quia non habes me pro domino, quia non times me sicut servus timere debet dominum suum, licet diffiteri non possis te servum meum. Ego quidem qui per prophetam dixi contra filios inobedientiae: si ego pater, ubi est amor meus; per eundem clamavi contra servos qui sunt sine timore: si ego dominus, ubi est timor meus? Quod autem non timeas me, vel non habeas me pro domino, de facili tibi probo. Si enim esses in aliquo loco secreto solus cum sola muliere aliqua, quam valde diligeres paratus, et valde accensus in eam ut libidinem corporalem impleres, nonne si aliquis quem tu formidares irrumperet, statim dimitteres opus inceptum, et fugeres prae timore illius, vel saltim ne videreris ab illo prae verecundia et timore seu pudore, si posses, ad latibulum aliquod convolares? Pro me vero non dimittis vicinis oculis talia operari, cui etiam displicere, et ne facias, inhibere cognoscis? De me enim ait propheta: numquid Deus e vicino? En Deus a longinquo ego sum. Numquid si absconderit se homo, ego non videbo eum? Unde magis illum quam me timere convinceris; immo illum metuere tamquam dominum, qui similis est tibi homo mortalis et corruptibilis; et me, qui sum omnipotens et aeternus, et

velis nolis dominus tuus, contempnere comprobaris. Non ergo digne convenit tibi ut sic invoces me dicendo, Domine miserere.

Peccator ad Deum.

Convincis me, Domine, evidenter et concludis argumentando irrefragabiliter. Ad hoc cum loquor ad dominum meum homo ego putredo, et filius hominis vermis, occurrit, Domine, menti meae oratio illa peccatoris et publicani, quam tu misericors acceptasti, cum orans in templo et nolens levare oculos in caelum, percuteret pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Ipsius exemplo et similibus verbis ad te clamabo, si forte sic invocantem exaudias, et propitieris peccato meo, multum est enim.

Deus ad peccatorem.

Si dominus Deus tuus ego sum, qui solus certe sum, omnino irrisorie ad me clamare videris, utens ad invocandum me verbis orationis praedictae; cum aliud sit praeter me quod colis ut Deum, ad quod principaliter dirigis affectum tuum. Illud enim est Deus tuus quod magis a te diligitur. Si enim avarus es, pecuniam tamquam idololatra colis et amas ut Deum. Avaritia siquidem, teste apostolo meo, idolorum est servitus. Si gastrimargus sive gulosus, venter est Deus tuus, quia de his curam habes quae maxime ingluviem ventris incendunt. Dicitur a praedicto apostolo: hi sunt quorum Deus venter eorum est. Unde si alium Deum praeter me habes, istud scilicet vitium quod plus amas quam me, qui verus sum Deus, ad propitiandum tibi digne non invocabis me. Immo videtur quod velles irridere me, et velut ironice Deum invo-

care, si cultum et amorem mihi debitum alii exhibendo, ad me clamares: Deus propitius esto mihi peccatori; cum haec stulta opinio contraria sit scripturae dicenti, Deus non irridetur. Sed tu facis sicut adultera, quae habens ex una parte legitimum virum suum, ex alia recipit amatorem suum. Nam me, qui sum sponsus tuus, tamquam meretrix impudica contempnis, et excludis thalamo animae tuae, ubi tecum deberem delicioso et sancto amore quiescere, quia deliciae sunt mihi esse cum filiis hominum. Non sine iniuria mea diabolum velut amatorem externum inducis ad lasciviendum cum eo in concupiscentiis et desideriis tuis. Quibus vere dicit scriptura: angustum, inquit, est stratum, ita ut alter decidat. Ideo relinquo stratum, et recessi a te, quia in fornicationibus suis alii inhaerendo impudenter anima reliquit me virum utique pubertatis suae, cui debuerat inseparabiliter adhaerere. Ceterum quando credis te posse me invocare ut respondeam tibi, cum non sim in te? quare pertransis clausis oculis? et vim illius verbi quod ponit propheta, scilicet: invocabis, et Dominus exaudiet te, non attendis? invocare enim dicitur quasi intus orare, ad eum scilicet qui intus est vociferando clamare. Certe si saepe pulsando clamares ad ostium alicuius domus in qua nullus esset, tota die clamare posses, et quia nemo intus esset qui te audiret, nemo tibi clamanti, quamvis fortiter et frequenter, responderet. Sic est de me, qui cum dimiserim habitaculum animae tuae a quo me exire coëgisti propter immunditiam eius, longe factus a te iam audire non possum clamorem vocis tuae, nedum quod te debeam, donec operaris ea quae mihi displicent, favorabiliter exaudire.

Peccator ad Deum.

Quid ergo, piissime Domine, faciam ut redeas ad me, a quo te propter iniquitates meas proh dolor elongasti? ut sic intus existens respondeas invocanti, et salvus fiam, qui fueram a te derelictus, cum scriptum sit: longe a peccatoribus salus.

Deus ad peccatorem.

Audi scripturae sanctae consilium, et si feceris illud, reduces me statim ut invocantem exaudiam te ad hospitium tuum. Habe contritionem cordis, et dole fortiter quia offendisti me peccatis tuis; iuxta quod tibi et tibi similibus ait propheta: sciudite corda vestra et non vestimenta vestra. Item: iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. In ipsa quoque contritione propone constanter peccata tua sacerdoti veraciter confiteri, dicente propheta David: dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. In quo potes manifeste intelligere quam magna et quam incomparabilis sit clementia mea, quae ad tale propositum relaxat et dolet crimina universa. Concessa vero tibi copia confitendi non differas confiteri, dicente propheta et clamante: dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris. Id ipsum apostolo: confitemini alterutrum peccata vestra. Sed et filius meus tamquam magni consilii angelus venit salvum facere populum suum a peccatis eorum; confessionem, quam apostolus suus expresse praecepit, significative et figurative mandans curatis a lepra corporali per ipsum, ite et ostendite vos sacerdotibus; per haec innuens quod poenitens qui conteritur cum proposito confitendi a sordibus peccatorum,

in anima tamquam spirituali lepra mundatus est; quia cum poenae remanent debiti, ad confessionis sacramentum accedant humiliter, sacerdotum arbitrio se devote committant, et opere satisfaciant iuxta illud quod sacerdotes mandaverint.

Peccator ad Deum.

Magna est et ineffabilis, Domine, virtus contritionis per quam tu iustificas impium, et de perverso bonum mirabiliter facis. Sed ego peccator eam mereri non possum, et nisi per infusionem gratiae tuae non potero illam aliquatenus obtinere. Quid enim illa contritio sit nescio, sed quod solius tuae gratiae donum sit non ignoro, a quo tamquam a patre luminum descendit omne datum optimum et omne donum perfectum. Cur autem, Domine, requiris a me ut per contritionem bonum me faciam, qualem me ipsum facere non possum? cum etiam tamquam reus et sordidatus eam mereri nequeam, nisi per inaestimabilem gratiam misericordiae tuae.

Deus ad peccatorem.

Noli errare vel te ipsum decipere; non enim requiro a te ut te facias bonum, qualem te scio facere non posse, cum hoc sit in me; sed ut applicando liberum arbitrium tuum ad me, divina super beneficia meditando, reddas te mihi habilem. Quod si feceris, cum hoc sit in te, indubitanter gratiae meae recipies influxionem, quam semper de bonitate mea paratus sum dare cuilibet eam efficaciter volenti recipere; quamvis habilitas illa non de merito, sed de congruo infusionem gratiae meae praecedat in peccatore. Unde Augustinus: praecedit quoddam in peccatoribus, qui licet

non iustificentur, digni tamen iustificationibus et habiles inveniuntur. Sic est in eo qui clausos habet oculos, a quo nihil exigitur ut videant, nisi tantum illud quod in eo est posse facere, scilicet oculos aperire, cum exterius parata sit claritas solis, quae protinus ad videndum apertos oculos illustrabit. Tali exemplo considera manifeste, quod ad infundendum se homini divina gratia sit parata, solius habilitatis in eo requiritur congruentia per liberi arbitrii applicationem inventa.

Peccator ad Deum.

Evidenter agnosco, Domine, quod mirabiliter informat et erudit me inscrutabilis altitudo scientiae tuae. Meditabor ergo sollicite beneficia tua, piissime Deus, quibus multipliciter obligasti me, dirigens intellectum meum et applicans tenuiter prout possum sicut terra sine aqua tibi, si forte per huiusmodi cogitationes congruum me, pater misericordiarum, invenias cui rorem gratiae tuae quam non merui dignanter infundas, cuius etiam adminiculo valeam excitatus ad bonum de commissis impietatibus meis sufficienter in corde atteri, cum proposito easdem humiliter confitendi. Quamvis haec ipsa meditatio beneficiorum tuorum sine te menti meae innasci non possit ex me, dicente apostolo: non sumus sufficientes aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Verumtamen miser ego quid faciam, quia compunctus ex gratia tua propono saepius confiteri; sed multa occurrunt mihi, quae me impediunt et revocant ab executione propositi? Primum impedimentum est verecundia magna quae tota die contra me est, et confusio vultus mei quae operuit me. Dispono multotiens ad sacerdotem accedere, sed

quia valde pudenda sunt quae commisi, declino a tali proposito prae pudore. Multotiens sacerdotem adire disposui, sed et iniquitatem meam devote revelaturus adivi, et cum pedibus eius adsisterem stimulante me conscientia mea, irruit super me confusio repentina, et turbatus in se ipso spiritus meus fluctuare coepit et dicere: heu quid agam? referam ne scelus? potero ne referre? Sicque praevalente in me verecundia mea, confessione postposita, sine medicamento salutis a poenitentiali foro recessi, corruptaeque sunt et deteriores effectae cicatrices meae a facie insipientiae meae.

Deus ad peccatorem.

Stultus nimis et indiscretus argueris fore, dum sicut luna mutaris, et confiteri peccata tua prae verecundia et pudore dimittis. Laudabile est si confunderis et invadit te pudor, quando ad memoriam tuam scelera tua reducis, Hieremia propheta dicente: confusus sum et erubui, quia sustinui obprobrium adolescentiae meae. Sed cavere debes omnino, ne talis sit verecundia quae te revocet a confessione peccati, quia eiusmodi confusio reatum accumulat non diminuit, cum poenitentem non siuit confitendo detegere quod commisit. Est confusio adducens gloriam, et est confusio adducens reatum. Nam culpabilis est si confessionem excludit, laudanda si sic pudet, ut etiam confitendi comes existat. Iactantiae siquidem potius quam devotionis signum exponere sine rubore peccatum. Cur autem insipiens pudet te dicere semel, quod non puduit commisisse frequenter? Loquere tamen ante, si temptaris, et dicito: non erubescam Deo in ministro suo, qui mei similis homo mortalis est, confiteri quod non potest ab oculis maiestatis suae abscondi. Non erube-

scam homini reatum meum exponere in vita praesenti, quem si non detexero ei, scio fore omnibus manifestum in die iudicii. Si autem hic illum revelavero, Deus illum conteget et abscondet de inaestimabili bonitate, et faciet me de numero beatorum, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.

Peccator ad Deum.

Confortasti me, Domine, verbis tuis et corroborasti sermonibus sanctis, et non prae verecundia iam dimittam quando ad ministrum tuum excessus meos per confessionem revelaturus accedam. Sed aliud est, mi Domine, quod ne confitear magnum mihi praestat obstaculum, scilicet timor poenae. Peccavi, Domine, super numerum arenae maris, et multiplicata sunt peccata mea; quare timeo valde ad confessionem accedere, quia si iuxta quantitatem culpae iniungenda est quantitas poenae, tanta potero satisfactionis sarcina praegravari, quae iuxta meorum aestimationem reatuum mihi debebit imponi, quod si longissimo tempore viverem, eam explere miserrimus non valeam.

Deus ad peccatorem.

Adhuc stultitia tua te non deserit, et indiscreta opinio in cor tuum ascendit. Numquam credere debes, quod Deus praecipiat homini impossibile, vel eam tibi iubeat imponi poenam quam tu nequeas sustinere. Vicarius meus Papa, quem ego constitui loco mei in terris iudicem tuum, dolorem confitentis mitigabit attentis circumstantiis peccatorum. Et quia potestatem a me ligandi pariter et solvendi, ministerio quidem non auctoritate suscepit, moderabitur poenam iuxta suae discretionis arbitrium, et talem iniunget poenitentiam,

ut per eam, me cooperante, iustitiae recipias incrementum: qui etiam tantum in te dolorem, amaritudinem, et contritionis invenire poterit, vehementiam, quod postmodum de iniuncta poena partem maximam vel forte totam de bonitate Dei praesumas relaxandam. Sed et tu, quem timor poenae praesentis retrahit a proposito confitendi, quare non consideras et revolvis mente, quod poena huius vitae quantumcumque sit longa, brevis est respectu aeternae; quantumcumque amara, dulcis est infernali poenae collata. Quamobrem melius est tibi hic poenitere, quam intolerabiliter postmodum et amarissime cruciari. Ne tibi contingat quod ait Iob: qui timet pruinam, irruet super eum grando; et qui poenam metuit temporalem, indubitanter aeternam incurret. Item fugiet arma ferrea, et irruet in arcum aereum. Poena siquidem praesens quae cito transit et consumitur, per arma ferrea designatur, quae per rubiginem consummantur; poena vero aeterna quae finiri non potest, per arcum aereum, quia aes est incorruptibile significatur. Maxime tamen fructuosa sit in hoc mundo, infructuosa vero penitus immo perniciosa poenitentia in futuro. Illud etiam apostoli verbum tibi debet praestare solatium, et ad sustinentiam temporalis poenae te fortiter animare quod dicitur: non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Item hoc leve et momentaneum tribulationis nostrae, sublime pondus operatur in aeternitate.

Peccator ad Deum.

Iocunda sunt, Domine, eloquia tua servo tuo, super mel et favum ori meo dulciora, licet indignus sum altitudinem inspicere. Non dedigneris adhuc supplico

sustinere quid modicum insipientiae meae. Ecce, Domine, iam non impediet in me confessionem pudor culpae vel timor poenae. Sed est aliud quod retardat me modicum, immo revocat a confessione cor meum, temporalium scilicet rerum affectus vel desiderium. Considero apud me ipsum et colloquor menti meae: si delicta mea confessus fuero sacerdoti, forsitan iniunget mihi ut Hierosolymam proficiscar, vel laborem alicuius peregrinationis adsumam, vel saltem ut ecclesias visitem, et in eis diutius vacaturus orationes frequentem; et possem interim temporalibus lucris insistere, et acquisitionibus multis et mihi et meis huius mundi substantiam ampliare; sed siqua penes me sint, oportebit minui potius quam augeri, donec assumpta peregrinatio valeat peragi, vel quamdiu spiritualibus exercitiis me contigerit occupari. Quapropter utilius est mihi a confessione desistere, quam adquistionis mundanae studium impedire.

Deus ad peccatorem.

Vana est cogitatio illa, immo temptatio Satanae, quae te apprehendit. Ut autem cogitationem illam procul a te expellas, recordare quod scriptura evangelica clamat: vae praegnantibus et nutrientibus in illa die. Praegnantes quidem sunt animae perversae, quae per illicita desideria temporalium, vel alicuius iniquitatis consensum, tamquam a diabolo malitiae semine iniecto mente concipiunt. Nutrientes vero animae dicuntur illae quae terrenas delicias non desinunt per avaritiam cumulare, vel de perpetratis iniquitatibus, delectabiliter perseverantes in eis, differunt poenitere. Veniet procul dubio mors super illos, et descendent in infernum viventes, quoniam nequitia in hospitiis et in

medio mentis eorum. Certe si sane saperes, quando te ad sui concupiscentiam res istae mundanae sollicitant, meditari deberes quia quaecumque concupiscibilia videntur in mundo, sunt transitoria; quae vero a Deo promittuntur, aeterna; ista terrena, illa caelestia; ista modica, illa magna; ista mentita, illa certa; ista infima, illa superna; ista minima, illa maxima; ista cum labore acquiruntur, cum timore et sollicitudine conservantur, cum dolore et angustia amittuntur. Licet autem in his acquirendis sit labor, quia regnum caeleste vim patitur et violenti rapiunt illud, de ipsorum tamen custodia nullo modo possessores eorum pungi possunt sollicitudinum stimulo, nec dolore torqueri de ipsorum amissione vel dampnatione, quia ibi aerugo vel tinea non demolitur, nec fures effodiunt et furantur.

Peccator ad Deum.

Ne irascaris, Domine, si et hac vice modo, loquendi audaciam in conspectu altitudinis tuae vilissimum figmentum ego assumo; et sicut in aliis, in eo quod propositurus sum inveniam apud abyssum sapientiae tuae tamquam positus in perturbatione consilium. Est adhuc quiddam quod valde me concutit, et difficilius ceteris mihi confessionis impedimentum apponit, unde desperationem incurro ex gravi difficultate resistendi peccato. Infelix ego multotiens cecidisse me memini, qui et postmodum poenitendo te adiuvante surrexi; sed stare non praevalens, relapsus sum, et redii multotiens in id ipsum, revertens iterum atque iterum tamquam canis ad vomitum et sus ad luti volutabrum. Unde cum lubricus et instabilis tamquam cereus sim in vitium flecti, de mea stabilitate despero, et propterea penitus de confessione desisto, existimans nihil

prodesse si erigor et resurgo qui sum casurus in proximo, et stare diffido brevi temporis intervallo, existimans nihilominus veniam impetrare non posse de facili, qui frequenter erectus, et frequenter ad peccatum relapsus, ingratus et indevotus invenior erigenti.

Deus ad peccatorem.

In eo quod modo proponis non tam insensatus quam insanus esse probaris. Nam recte facis si de te ipso diffidas, et fragilitatem tuam attendens, de tuis viribus non praesumens, existimes quod postquam surrexeris, de tua virtute sperare non possis. Sed de me sperare debes, quod licet infirmus et debilis sis ex te, possum tamen si de mea misericordia voluero, quamvis debilem stabilire, et quantumvis infirmum ne corruas confirmare. Cur autem de me desperes, qui nolo mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat, qui utique misericors sum et praestabilis super malitia. Attende quia si desperes de me, peccatum incurris irremissibile quod est peccatum in Spiritum sanctum; nec est peccatum huic comparabile, quia ipsum est solum quod nec in hoc saeculo neque in futuro creditur remittendum. Attende quia si de me desperes, tanto gravius me offendis quanto clementius potentiam meam extinguere, et meam mihi benignitatem, quam non ex accidentali dono sed naturalem habeo, auferre conatus sis, et omnipotentiam meam a me interim separare. Ego enim sum cui dicitur: Deus cui proprium est misereri semper et parcere. Ego ad quem congregatio fidelium clamat: Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas. Cur, infelix, de me debeas desperare qui gaudium mihi reputo et angelis meis super uno peccatore poenitentiam

agente; qui et nonaginta novem ovibus in deserto relictis, misi pastorem earum ut unam perditam quaereret, inventam portaret in humeris suis; qui filium prodigum revertentem laetanter excepi, stolam primam et anulum ei dedi, et faciens grande convivium pro eo, vitulum saginatum occidi. Ego sum qui tamquam mater filiis etiam delinquentibus viscera pietatis aperio; qui offendentes me multotiens usque ad finem vitae sustineo, et punire differens ut poeniteant patienter expecto. De me siquidem propheta clamat dicens: audite, domus Iacob et residuum Israhel, quoniam portamini a meo utero, et gestamini a mea vulva; ego feci, et ego feram, et usque ad canos ego portabo. Cur de me debeas desperare qui postquam creavi hominem, ut facerem eum gloriae meae participem, ex nimia caritate qua eum dilexi, unigenitum meum in mundum misi, qui eum venumdatum sub peccato non corruptibilibus auro et argento redemit, sed pretioso sanguine suo quem pro eo abunde effudit? Scito et videto qui renuis confiteri, pro eo quod ipsa eadem, quae saepe confessus es, nimis iterans, vias tuas viliter corrupisti; quia cum malum sit et amarum reliquisse te dominum Deum tuum, longe deterius revelatur perseverare in malo, et ipsius amore postposito, elongare te iugiter et avertere vultum tuum ab eo. Quare non consideras tu quod saepius cadis, et saepius surgis, quod minus malum cadere sit alternatim et surgere, quam in peccato continuo permanere? Potest enim ex Dei benignitate quando sic surgis, in bono statu temporali te mors intercipere ut salveris. Si vero permanens in peccato perversus fueris in fine vitae tuae repertus, procul dubio deportaberis ad aeterna supplicia condempnandus; quia dicente scriptu-

ra, iudicat Dominus fines terrae et finalia opera; et arbor si ad aquilonem vel ad austrum ceciderit, prius ut reor eligeret ab ipso luto extrahi, et inde postea cadere, quam in illo iugiter permanere. Sic etiam qui laborat aliqua febre, nonne gravius reputaretur eam pati continue, quam ab ea interpolatim vexari? Ita et tu duobus malis propositis, scilicet cadere in peccatum et surgere consequenter ab eo, vel irregressibiliter et irrevertenter perseverare in malo, potius debes fugere secundum quam primum. Nuli ergo tamquam diffidens et desperans de Deo, te a confessione retrahere, sed quotiens miseriam pateris ea quae confessus es iterum committendo, tu nihilominus eadem iterum confitere. Nam sicut aqua vestimentum, quod saepius inquinatur, quandocumque illud abluit, mundat a sordibus et efficit quasi novum; sic et confessio quotiens ad eam recurritur, restituit animae eum quem amittit decorem ex reiteratione peccati, mundicie candidatum. Te autem confitente peccatum, et expulso ab anima tua veneno nequitiae per confessionis antidotum, statim ad eam regrediar tamquam ad domum meam unde prius exivi. Et ex tunc si me invocaveris, exaudiam te, et tamquam intus habitans sine mora respondebo clamanti.

Peccator ad Deum.

Domine Deus salutis meae, verba sunt vitae aeternae quae loqueris, et salutaria monita quae hortaris. Adiutus ergo a te requiram devote ministrum tuum, et effundam coram illo sicut aquam cor meum, aperiam in conspectu eius labia mea locuturus in amaritudine animae meae sicut qui digitum ingerit gutturi suo. Scrutabor scrutinio conscientiam meam et non desistam, donec evomam illam amaram super absin-

thium et fel, quae latet intrinsecus, meorum saniem peccatorum; ut sic evomita foris et eiecta putredine, cuius foetor abhominabilis te relinquere fecerat mentis meae hospitium, cum inaestimabili fragrantia unguentorum tuorum clementer in illud regredi et inhabitare digneris, iuxta sanctum et ineffabile tuum promissum; qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Sub finem codicis prioris innocentiani extat, post alia, sermo *magistri Romani Cardinalis* de poenitentia seu confessione. *Romanus presbyter Cardinalis sub Paschali ·II· fuit, saeculo ineunte ·XII· testibus fastis apud Cardellam. Paulo vetustior alius Petrus Romanus presbyter Card. apud Panvinium sub Alexandro II. post medium saeculum ·XI; verumtamen huic praeponitur nomen Petrus; aequalis tamen hic fuit Attonis Cardinalis, cuius nos capitulare edidimus Script. vet. T. VI. part. II. p. 60. sqq. Tertius quoque Romanus presbyter Cardinalis habetur in fastis sub Caelestino III, saeculo ·XII· desinente. Fuerunt etiam Romani diaconi Cardinales; verumtamen hic sermo ad presbyteros potius quam ad diaconos referendus videtur. Et quidem Romani presbyteri (ut videtur Cardinalis) magnificum epitaphium apud ecclesiam S. Clementis recitatur a Rondininio p. 281. Hi omnes pontificatum Innocentii tertii praecesserunt, quamquam aliquis propemodum attigit. Hunc igitur sermonem, qui poenitentiae sacramentalis imaginem, cuiusmodi iam tunc erat, exhibet, heic attexere non recusavi.*

MAGISTRI ROMANI CARDINALIS

SERMO DE POENITENTIA.

« Veni soror mea sponsa de Libano, veni de Libano,
» veni, coronaberis »

Sic legitur in canticis canticorum, et loquitur Christus sponsus et frater sanctae ecclesiae sorori et sponsae suae. Deus pater misericordiarum et Deus totius consolationis videns animam a se creatam lapsam non posse reverti nisi tractam, revocat eam dicens veni etc. Eam dicit sororem quia eam fecit ad imaginem et similitudinem suam quantum ad rationem et intellectum. Sponsam vocat hominem quantum ad baptismum, quia ei iungitur quasi sponsa in baptismo. Deus animam creando infudit, et infundendo creavit; et quia lapsa est tribus modis, scilicet cogitando, loquendo, operando, ter eam revocat dicens veni, veni, veni, et bis dicit de Libano, id est de candidatione scilicet corporis et animae. Et coronaberis, quia post mundificationem corporis et animae, sequitur corona. Sicut prima die facta est lux, sic primo infundenda est gratia divina post lapsum. Secunda die divisae sunt aquae quae erant super firmamentum ab eis quae erant sub firmamento. Sic post gratiam acceptam fide et operatione mediantibus, virtutes a vitiis dirimuntur. Tertia die germinat terra herbam virentem, lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Terra, sancta ecclesia herbam virentem reddens, scilicet sanctos praedicatores, qui fructificant iuxta genus suum convertendo praedicatione sua peccatores. Vel dilexit Christus animam fidelem, quasi frater sororem, vel filius patrem vel matrem. Exinanivit enim se ipsum pro ea nostram assumens humanitatem. Amplius diligit nos quam sponsam suam maritus, voluit enim crucifigi pro salute nostra, quod nequaquam faceret maritus. Et sicut maritus non vult habere aliquem participem uxoris suae, sic nec Christus fidelis animae; quae tamen si ab eo recesserit peccando, revocat eam dicens per Ezechielem: tu fornicata cum amatoribus tuis tandem revertere ad me.

Tribus modis moritur anima; primo cogitatione, et resuscitatur per gratiam Dei cordis contritione, sicut in domo pualla a Domino. Secundo moritur mala locutione, et resuscitatur a Domino mediante vera confessione, sicut resuscitatus est in porta filius viduae. Tertio moritur mala operatione, sed resuscitatur a Domino sicut Lazarus mediante satisfactione. Hae sunt tres diaetae, quibus nos oportet reverti ad creatorem nostrum, ut sacrificemus ei sacrificium laudis; sicut tertio die, perfecto itinere suo, sacrificium Abraham. Hae sunt tres diaetae, quas petierunt Hebraei, scilicet filii Israhel a Pharaone dicentes: viam trium dierum ibimus in deserto, ut sacrificemus Domino. Hebraei dicuntur scilicet de vitiis ad virtutes transeuntes, quibus Pharao id est diabolus contradicit. Desertum est mundus iste, in quo sunt bestiae et reptilia, quorum non est numerus, scilicet diversa genera peccatorum. In hoc deserto sacrificemus Domino in tuto loco, id est in claustro religionis. Tres etiam dicuntur diaetae propter trinam negationem Petri et trinam confessionem, propter etiam trium personarum trinitatem. Prima diaeta est cordis contritio quae necessaria est; sicut enim fuit in mala cogitatione delectatio, sic debet sequi in satisfactione amaritudo. Arte enim medicinae contraria contrariis curantur. Secunda diaeta est oris confessio, quae necessaria est, ut spirituali medicina peccatum curetur. In confessione enim omnia lavantur. Et Iacobus apostolus ait: confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.

Quindecim sunt gradus confessionis, sicut quindecim sunt cantica graduum, et quindecim fuerunt gradus quibus ascendebatur in templum Salomonis. Et nos ut in templum veri Salomonis, id est Christi veniamus, his XV gradibus ascendamus. Sunt autem hi. Confessio debet esse voluntaria, vera, verecunda, accusatoria, festinata, frequens, morosa, propria, nuda, integra, indivisa, secreta, recta et ordinata, generalis, specialis et individua. Voluntaria debet esse; unde: voluntarie sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo Deus. Non debet esse coacta, quod fit in extremis quando peccator impotens est sui, et immemor conscientiae suae propter angustias mortis. Unde ait Augustinus: confiteri quando peccatum po-

tius dimittit hominem quam homo peccatum, nec laudo nec vitupero. Et Salomon: sanus confitere, et vivus confiteberis. Vera debet esse, qui enim causa humilitatis mendaciter se accusat, cum prius iustus fuerit peccatorem se constituit. Verecunda debet esse; erubescentia enim magna pars est poenitentiae. Nec pro erubescentia debet quis omittere quin confiteatur. Melius est erubescere coram solo sacerdote qui vicarius est Christi, quam coram omnibus qui ad iudicium erunt: quia tunc libri aperti erunt, id est conscientiae singulorum singulis patebunt, exceptis illis quae per confessionem tectae erunt et diabolo qui scribit peccata nostra, quilibet enim habet diabolum sibi insidiantem; et Deo qui non recordabitur iniquitatum nostrarum; et ipsi etiam sacerdoti cui fit confessio occultae erunt; non enim audet detegere quae audivit; quod si faceret, absque misericordia degradandus esset. Dicit propheta: beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Accusatoria debet esse confessio; iustus enim in principio sermonis sui accusator est sui, non alium debet nominare. Festinata debet esse confessio, ne tunc velit peccator confiteri, quando non poterit; unde illud: nocuit differre paratis. Frequens debet esse, iustus enim septies in die cadit. Morosa debet esse, confitendo enim peccator, cuiuslibet peccati debet dicere omnes circumstantias; quae sunt, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Propria debet esse; sua enim peccata debet confiteri, non aliena. Nuda debet esse confessio; aperte enim debet et distincte confiteri peccator quicquid egit. Integra debet esse, mediata enim confessio nulla est; non enim curatur vulnus quamdiu ferrum latet in vulnere, et Christus quos sanavit integraliter curavit. Indivisa debet esse, ne partem dicat confitens uni sacerdoti et partem alteri; sic enim est hypocrita dum vult videri iustus. Secreta debet esse; qui enim publicat peccatum suum coram omnibus, se ipsum dampnat, quia non est confessi causa tuenda rei. Qui autem secreto confitetur, se ipsum liberat. Recta et ordinata debet esse, ut recte et eo ordine quo perpetratum est peccatum fiat confessio. Generalis debet esse, ut dicatur in generali peccavi in superbia, in cupiditate, in luxuria, et sic de ce-

teris. Deinde fit descensus ad specialia, ut dicatur iu hac specie luxuriae, sive in fornicatione, sive in adulterio, sive in incestu, et sic de ceteris; deinde fit descensus ad individua, ut dicatur in hac specie luxuriae hoc modo peccavi.

Haec etiam atteudenda sunt in confessione, ut sic perveniatur ad tertiam diaetam, scilicet operis satisfactionem, quae debet esse voluntaria, humilis, et hilaris, secreta, et condigna. Voluntaria, quia voluntarie debemus sacrificare hostiam poenitentiae et laudis; poenitentiae dico quia nullum malum impunitum; aut punitur in hoc saeculo et levius, aut in purgatorio. In hoc saeculo insufficienter est punitum, illic poena est maior quam quae est acrior in hoc saeculo; ibi enim quod torquendum est, in ignem totum mittitur; qui ignis, ut dicit beatus Gregorius, tantum distat in violentia et ardore a nostro materiali igne, quantum distat iguis materialis a picto igne. Sacrificium laudis offerimus Domino; in omnibus enim debemus laudare Dominum. Humilis debet esse poenitentia, ne poenitens aliquem despiciat si viderit eum minus habere gratiae. Hilaris debet esse; hilarem enim datorem diligit Deus. Secreta debet esse, ut devitet poenitens inanem gloriam. Condigna debet esse, ut secundum gravitatem culpae sit mensura poenitentiae. Aut enim homo in hac vita punit, aut Deus in futuro. Sed horrendum est incidere in manus Dei viventis. His tribus diaetis peractis, poterimus sacrificare Domino, et pervenire ad terram promissionis cum filiis Israhelis, qui dicuntur viri videutes bona; quod nobis praestare dignetur qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

DE MITRALI SICARDI EPISCOPI

SEU TRACTATU DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

Sicardi episcopi cremonensis, qui fuit Innocentii ·III· PP. aequalis, chronicum identidem citatum vidimus a Bernardo Guidonis in rom. Pontificum vitis; quod tandem chronicum Muratorius in septimo R. I. S. volumine edidit, doctique episcopi alia opera in praefatione recensuit. Illud tamen vir magnus bis ibidem incaute dixit, putare se Sicardi opus, quod mitralis *(liber) inscribitur, nihil esse aliud quam unum ex chronicis a Sicardo scriptis. Atqui alii ante Muratorium diserte iam nominaverant Sicardi* mitralem vel summam de officiis, *ita ut* mitralis *sit dictus pro* episcopalis *vel* pontificalis, *quandoquidem episcoporum minorumque sacerdotum liturgiam in eo volumine Sicardus exponit. Reapse in duobus codicibus vaticanis hic praeponitur operi titulus, in uno quidem*: incipit mitralis de officiis, editus a Sychardo cremonensi episcopo; *in altero autem*: incipit liber qui mitralis dicitur, editus a Sicardo cremonensi episcopo; *ubi varietatem quoque scripturae videmus* Sychardus *et* Sicardus. *Vana igitur Muratorii de argumento mitralis opinione vel coniectura depulsa, nos hoc ipsum opus, perbonum hercle et hactenus non vulgatum, paulo accuratius describemus. Constat enim libris ·IX·, qui suos singuli habeat prologos. Sunt autem hi tituli seu capitula.*

Lib. I. cap. 1. de institutione ecclesiae. 2. de fundatione ecclesiae. 3. de altari. 4 de partibus ecclesiae. 5. de nominibus ecclesiae. 6 de consecratione ecclesiae 7. item de eodem (argumento.) 8. item de eodem. 9. item de eodem. 10. item moraliter de eodem. 11. de reconciliatione ecclesiae. 12. de ornatu ecclesiae. 13. de utensilibus.

Lib. II. cap. 1. De institutione et habitu personarum ecclesiasticarum. 2. de ordinibus. 3. de ordinum moralitate. 4. de dignitatibus. 5. de vestibus sacris. 6. de regalibus insignibus. 7. item de vestibus. 8. de induendis ministris.

Lib. III. cap. 1. De nomine et institutione et partibus missae. 2. de prima parte missae. 3. de secunda parte missae.

4. de tertia parte missae. 5. de quarta parte missae. 6. de quinta parte missae. 7. de sexta parte missae 8. de septima parte missae. 9. brevis recapitulatio missae.

Lib. IIII. cap. 1. de ferialibus nocturnis. 2. de festivis nocturnis. 3. de septem canonicis horis. 4. de matutinis laudibus in ferialibus diebus. 5. de matutinis laudibus in festivis diebus. 6. de prima. 7. de tertia, sexta, et nona. 8. de vespertina synaxi. 9. de collationibus et completorio. 10. de officio monastico.

Lib. V. cap. 1. dominica prima de adventu. 2. dominica secunda de adventu. 3. dominica tertia de adventu. 4. dominica quarta de adventu. 5. in vigilia natalis Domini. 6. in natali Domini. 7. in octava Domini. 8. dominica circa octavam 9. in epiphania Domini. 10. de officiis post epiphaniam. 11. de hypapaute Domini.

Lib. VI. cap. 1. de septuagesima. 2. de sexagesima. 3. de quinquagesima. 4. in capite ieiunii. 5. dominica prima in quadragesima. 6. dominica secunda in quadragesima. 7 dominica tertia in quadragesima. 8. dominica quarta in quadragesima. 9. dominica de passione. 10. dominica in ramis palmarum. 11. generalia trium dierum. 12. in caena Domini. 13. in parasceve 14. in sabbato sancto. 15. de paschali sollempnitate.

Lib. VII. cap. 1. dominica in octava paschae. 2. dominica prima post octavam paschae. 3. dominica secunda post octavam paschae. 6 in litaniis. 7. in vigilia ascensionis. 8. de ascensione. 9. dominica post ascensionem. 10. de ieiunio ab ascensione usque ad pentecosten, sed quidam dies excipiuntur de istis. (*Textus huius capituli incipit sic*: haec septimana dicitur expectationis, in qua solent quidam ieiunare, et orationi vacare usque ad pentecosten, eo quod apostoli per hoc tempus ieiunasse leguntur. Sed magister Gilibertus probat ieiunandum non esse, quia est de paschali tempore, et quinquagesimo pentecostes. Hieronymus quoque, Ambrosius, et Augustinus aiunt inter pascha et pentecosten non esse ex necessitate ieiunia indicenda; voluntate enim omni tempore a cibis percipiendis possumus abstinere, sed ex necessitate non oportet.) 11. de vigilia pentecostes. 12. in pentecoste.

Lib. VIII. cap. 1. dominica in octava pentecostes, quae

est prima post pentecosten. 2. dominica secunda post pentecosten. 3. dominica tertia post pentecosten. 4. dominica quarta post pentecosten. 5. dominica quinta. 6. dominica sexta. 7. dominica septima. 8. dominica octava. 9. dominica nona. 10. dominica X. 11. dominica XI. 12. dominica XII. 13. dominica XIII. 14. dominica XIIII. 15. dominica XV. 16. dominica XVI. 17. dominica XVII. 18. dominica XVIII. 19 dominica XVIIII. 20. dominica XX. 21. dominica XXI. 22. dominica XXII. 23. dominica XXIII. 24. dominica XXIIII. 25. dominica XXV.

Lib. IX. cap. 1. de festivitatibus sanctorum, quae sunt ab adventu usque ad nativitatem Domini. 2. de sancto Andrea. 3. de sancto Nicolao. 4 de sancta Lucia. 5. de sancto Thoma. 6. de festis a nativitate Domini usque ad septuagesimam. 7. de sancto Stephano. 8. de beato Iohanne evangelista. 9. sanctorum innocentum. 10. Felicis in Pincis. 11. Marii, Marthae, Audifax, et Abbacum. 12. sanctorum Fabiani et Sebastiani. 13. sanctae Agnetis. 14. de festis a septuagesima usque ad pascha. 15. de sancto Blasio. 16. de sancta Agatha. 17. in cathedra sancti Petri. 18. de sancto Matthia. 19. in annuntiatione Virginis. 20. De festis a resurrectione usque ad octavam pentecostes. 21. de sancto Marco. 22. sanctorum Philippi et Iacobi. 23. de sancta cruce. 24. de sancto Iohanne ante portam latinam. 25. festum sanctae Mariae ad martyres. 26. de sancto Michaele. 27. de festis quae sunt ab octava pentecostes usque ad adventum Domini 28. sanctorum Marcellini et Petri. 29. sanctorum Gervasii et Protasii. 30. de sancto Iohanne Baptista. 31. sanctorum Iohannis et Pauli. 32. apostolorum Petri et Pauli. 33. de festo divisionis Petri et Pauli. (*Hoc capitulum sic incipit*: De festo divisionis apostolorum diversi diversa sentire videntur; quidam enim dicunt, quod sit de illa divisione quae facta est in Hierusalem post ·XII· annos, quando separati sunt ad praedicandum gentibus. Alii de praedicta ossium divisione Petri et Pauli quae facta fuit in nonis aut ·VIII· idus iulii. *Nimirum in praecedente capitulo Sicardus narraverat sic*: Alii dicunt quod Silvester papa volens ecclesias (*Petri et Pauli*) consecrare, tam magna quam parva ossa (*istorum apostolorum*) in lance

summa cum reverentia ponderavit, et medietatem in una ecclesia, medietatem in alia collocavit.) 34. septem fratrum. 35. de translatione sancti Benedicti. 36. de sancto Iacobo maiore. 37. sancti Petri ad vincula. 38. de inventione sancti Stephani. 39. de transfiguratione Domini. 40. de sancto Laurentio. 41. de assumptione sanctae Mariae. 42. de decollatione sancti Iohannis Baptistae. 43. de sancto Felice et Adaucto. 44. De conceptione et nativitate sanctae Mariae 45. de exaltatione sanctae crucis. 46. de dedicatione sancti Michaëlis. 47. de sancto Remigio. 48. de sancto Luca. 49. apostolorum Simonis et Iudae. 50. de linea (*cognatione*) beatae Virginis. 51. in festivitate omnium sanctorum. 52. de exequiis mortuorum. 53. de tricenario. 54. quatuor Coronatorum. 55. de sancto Martino. 56. de sancta Caecilia. 57. generalia de festis. 58. conclusio.

Igitur heic videmus uberrimos liturgicae rei fontes, quos diutius intra codicum pluteos, quasi in nativis cavernis, detineri prope indignum est: si enim inde eliciantur, omnes illico qui de ecclesiasticis officiis aliquando sunt acturi, suos hortulos irrigabunt; neque hi solum, sed qui vel sua dubia dissolvere avent, vel antiquitates christianas illustrare, praecipueque originem, ordinem, et praxim officiorum sacrorum per singulos anni dies cognoscere. Certe iam Trombellius in tractatibus suis de baptismo T. I. pp. 212. 221. 312. Sicardi nostri, quem in codice bononiensi legebat, auctoritatibus aliquot ex libris tertio sextoque usus est. Ego vero qui Sicardi opus in codice vaticano libenter lectitavi, vix mihi temperare poteram, quin totum typis committerem; quod sane mediocris voluminis molem efficeret; et si idoneis etiam scholiis adornaretur, iusti operis formam indueret. Est enim uterque codex vat. in fol., spissae in duplici laterculo conscriptionis, unus quidem integerrimus aetatis ferme sicardinnae, alter vero uno saeculo posterior, qui in fine pauca desiderat. Interim tamen de vitae brevitate cogitans et de impedimentis voluntati saepe incidentibus, ut Sicardi aliquid a me sine mora lectores habeant, pauca confeci excerpta, quae ad sacra aedificia vel ad ecclesiasticam philologiam potissime pertinent, eaque pretiosa prudentibus visum iri confido. Sunt autem haec.

EXCERPTA EX SICARDO

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

Lib. I. Ex cap. I. DE INSTITUTIONE ECCLESIAE. Ab utroque (*Moysis tabernaculo et Salomonis templo*) nostra materialis ecclesia formam accepit, in cuius parte anteriori populus audit et orat, in sanctuario vero clerus praedicat, iubilat et ministrat. - Tabernaculum typum gerit militantis ecclesiae, quae non habet hic manentem civitatem sed futuram inquirit, ideoque dicitur tabernaculum quia tabernacula sunt militantium etc.

Ex cap. IV. DE PARTIBUS ECCLESIAE. Sic aedificatur ecclesia ut habeat pavimentum cum subterraneis cryptis, quatuor parietibus longa lataque surgat in altum: quaedam tamen in modum crucis formantur, quaedam rotundae fiunt, muris de lapidibus cementoque compactis, cum fenestris aliquibus obliquatis et ostiis, continentes intra se cancellos et pulpita, columpnas cum basibus et capitellis, trabes, tigna, et tegulas, cochleas et cum loriculis tabulata: deforis annectuntur exedrae, coemeteria, turres, et claustra; pavimentumque pedibus calcatur. Vulgus est cuius laboribus ecclesia sustentatur. Fenestrae obliquantur, id est intus latiores fiunt. Cancelli sunt dorsalia sedentium. Pulpitis lapideis saepius utimur. Cochleae sunt viae muris intervolutae latenter. Loricae vel loriculae sunt latera tabulatorum per gyrum facta. Muri vel cancelli vel quaevis apodiatoria, ne sedentes in tabulatis vel populis praedicantes labantur. Reclinatoria quoque in ecclesia fiant. Exedrae sunt arcus murati in coemeterio constituti extra, scilicet ad orientem. Licet exedra quandoque inproprie pro thalamo ponatur; unde et in exe-

dris velut in thalamis mortui sepeliuntur. Coemeterium est mortuorum dormitorium; nam in Christo morientes non dicuntur mortui sed dormientes. Turres alicubi una, alicubi duae, alicubi quatuor, duae in anteriori et duae in posteriori parte in locis eminentibus construuntur, quibus crux aut gallus imponitur, in quibus campanae suspenduntur. Crux superponitur, quia frustra loquitur lingua praedicationis, nisi adfuerit fides mediatoris. Gallus superponitur, quia praedicator debet somnolentos verbis excitare. Claustrum ab excubiis et custodiis levitarum. Hanc formam canonici regulares et monachi artius promittentes sequuntur, dum unanimiter in claustro degentes ad servitium Dei surgunt. In hoc claustro diversitas officinarum, diversitas est virtutum; ubi hospitale, est compassio mentis. Et vide quod hospitale pro diversitate personarum diversitatem accipit nominum; dicitur enim xenodochium, nosocomium, orphanotrophium, ptochotrophium, gerotrophium. Sancti enim patres et religiosi imperatores quaedam instituerunt loca, ubi peregrini, orphani, senes, infirmi, imbecilles et saucii reciperentur.

Ex cap. V. DE NOMINIBUS ECCLESIAE. *Post multa sic.* Dicitur et martyrium (*latine* confessio) locus ubi iacent corpora martyrum, vel ubi passi sunt, vel ubi congregantur illi qui pro Christi nomine patiuntur, quorum vicem tenent hodie canonicae regulares. Maiores ecclesiae dicuntur templa. Capellae a capra vel pellibus nominantur; nobiles enim ecclesias in itinere de pellibus caprarum factas habebant. Vel capenum est domus ad quam pauperes ad eleemosynam confluunt. Inde capella dicitur, ubi divini verbi pabulo pauperes spiritu nutriuntur, quarum custodes et ministri capel-

lani dicuntur; unde forte non pellibus variis sed caprinis uti, nec ministrari sed ministrare tenentur. Vel forte capellani dicuntur a cappa sancti Martini, quia eam ante reges Francornm ad bella et in proeliis deferebant.

Ex cap. XII. DE ORNATU ECCLESIAE. In ecclesiis imago domini nostri Iesu Christi pingitur multipliciter et ex causa multiplici: nam picta in praesepio rememorat nativitatem, picta in matris gremio puerilem aetatem, picta vel sculpta in cruce passionem. In cruce quoque sol et luna eclipsim patientes depinguntur, latrones, et clavi, forcipes, et vulnera, et lancea, sanguis et aqua, titulus et corona cum veste purpurea, quae omnia sunt passionis signa. Picta in scalarum ascensu ascensionem, picta in solio excelso praesentem indicat maiestatem, cui quandoque circumpinguntur angeli cum sex alis; quandoque circumpingitur angelus Michaël draconem sub pedibus tenens; quandoque circumpinguntur ·xxiiii· seniores secundum Iohannis visionem. Evangelistae cum libris depinguntur in pedibus, quia quod verbis et scriptis docuerunt, mente et opere compleverunt, Matthaeus figura humana, Marcus leonis, Lucas vituli, Iohannes aquilae (*propter notas causas.*) Quandoque circumpinguntur vel potius subpinguntur apostoli qui fuerunt testes Christi verbo et opere. Pinguntur autem quandoque dispertitae linguae super singulos eorum, quia talibus indiciis Paraclitus replevit corda eorum. Pinguntur quoque criniti quasi nazaraei, id est sancti. Quandoque Baptista interseritur ut eremita, martyres cum aculeis, vel Laurentius in craticula, Stephanus in lapidibus, confessores cum suis insignibus, veluti episcopi mitrati, abbates caputiati, doctores cum libris in manibus, virgines secundum

evangelium cum lampadibus. Quandoque martyres cum palmis, et confessores cum liliis depinguntur. Et vide quoniam dominus Iesus semper coronatus depingitur; et haec corona duplex est, ideoque et diadema vocatur, quia diadema est duplex corona. Sic et omnes sancti coronati pinguntur. Et cum coronis pluraliter dicimus, propter aureolam superpositam. Et vide quia in forma scuti rotundi huiusmodi corona depingitur, quia sancti protectione divina fruuntur. Christi tamen corona per crucis figuram a sanctorum coronis distinguitur. Quandoque lilia adpinguntur, quandoque palmae, ut per lilia castitatem, per palmas victoriam intelligamus. Alios quoque flores cum fructibus intermiscemus ad repraesentandos fructus bonorum operum ex virtutum radicibus prodeuntium. Demum varietas caelaturarum et sculpturarum, quae in graeco sermone anaglypha dicuntur, rursus et picturarum, significat virtutum varietatem. Quod autem virtutes in muliebri specie depinguntur, inde est quia mulcent et nutriunt. Ornantur etiam altaria et ecclesiae palliis, cortinis, et holosericis et lineis, tapetibus historiatis, iconis regalibus, aut aliis ideis, aut diversis catabiebus (1) insignitis, quae omnia pertinent ad Christi miracula et ad futuram gloriam.

Lib. II. Ex cap. I. DE HABITU PERSONARUM ECCLESIASTICARUM. Petrus captus a gentibus, barba rasus et capite decalvatus est; sed quod illi fecerant in ludibrium, hic observari voluit in mysterium. Tonsurati barbam radimus; sed in ieiuniis capillos et barbam crescere permittimus, ut habitum poenitentium repraesentemus. Demum nostrum schema unde traxerit originem, non

(1) In Placidi glossis apud nos Class. AA. T. VI. p. 556. *cabiebes* sunt *nudi*.

est magnopere inquirendum, cum sciamus illud magistra ratione compositum. Multa enim sunt quorum auctores ecclesia praesens ignorat, sed consuetudinem approbat. Tonsurati clerici illico cappis utantur et stolis in divinis, et camisiis, et quandoque laneis clausis et fissis. Cappa videtur a casula tracta. Stola seu cotta seu superpellicium vestis est candida in modum crucis formata. In profestis diebus cappis utimur nigris. At in festivis togis utimur albis. Induviae sunt vestes albae talares et laxae, unam vel duas linguas habentes. Lanea tunica debet esse circularis et clausa, non scissa. Clerici non debent arma portare, nec laicalibus vestimentis abuti; sicut et laicis non licet clericale officium usurpare, et ideo nec clericales vestes induere. Laicorum autem vestes debent esse strictae et scissae, ut expediti sint ad pugnandum, ut protegant ab haereticis et paganis ecclesiam. Hunc igitur habitum observemus, ut non laici sed ministri Domini id est clerici videamur. Monachi cum habitum humilitatis suscipiunt, ad obedientiam se obligant et castitatem, habitum vestium, abrenuntiationem propriorum. Haec enim sunt de voti substantia; cetera vero appenditia, ut ieiunium, officium, silentium, et similia. Cuculla monachorum sumpta est a colobiis apostolorum, quae ut dalmatica formabantur, et praeferebant formam crucis. Monialium est vestis nigra, et velum signum pudoris. Cum his beata Virgo depingitur. Viduis quoque vilis habitus. Nomine siquidem monachorum et conversos et eremitas et hospitalarios utriusque sexus accipimus; omnes enim habitum suscipiunt humilitatis. Quod monachi et monachae alterius ordinis candidis vestimentis utuntur, sumptum est in mulieribus a beata Caecilia, quae cum foris veste fulgebat, intus castitate nitebat. Candida

namque vestis votum praefert virginitatis. In viris sumptum est ab angelis, qui visi sunt in resurrectione dominica in vestibus albis.

Ex cap. IV. DE DIGNITATIBUS. Episcopale officium est presbyteros et alios ecclesiae ordinare ministros, virgines velare, baptizatos confirmare, chrisma et oleum consecrare, ecclesias dedicare, rebelles excommunicare, poenitentes reconciliare, vestes et vasa sanctificare. Archiepiscopus dicitur princeps episcoporum, metropolita vel metropolitanus. Sunt etiam quaedam sedes quae primatiae nomine decorantur; quarum quaedam, quoniam primas et patriarcha solo nomine differunt non officio, sibi nomen etiam patriarchae vindicarunt, ut venetus patriarcha. Hi tres sunt a tribus partibus orbis, unus in Asia qui Antiochiae tenuit praesulatum; alius Alexandriae qui in Africa tenuit principatum; tertius in Europa qui Romae obtinet pontificatum. Hae dignitates alio translatae fuerunt favore vel odio, ut antiochenus patriarchatus Hierosolymam, alexandrinus fuit translatus Aquileiam: quia enim utrique reversi sunt ad vomitum infidelitatis, patriarchali fuerunt dignitate privati. Hierosolyma vero decoratur, quia de Sion exivit lex. Aquileia quoque honoratur, quia Marcus prius Aquileiae, secundo praefuit Alexandriae. De patriarchatu autem romano placuit antiquis, ut sicut Augustus prae regibus, sic prae cunctis episcopis Papa speciali nomine vocaretur, et ius et nomen patriarchatus Constantinopolim transferretur. Archiepiscoporum est officium episcopos consecrare, patriarcharum autem archiepiscopos, utrorumque vero concilia congregare, iura dilapsa reparare. Papa vero dicitur pater patrum. Hic universalis etiam nuncupatur, quia universae ecclesiae principatur. Dicitur et

apostolicus, quia principis apostolorum vice fungitur. Dicitur et summus pontifex quia caput est omnium pontificum, a quo sicut a capite membra descendunt, de cuius plenitudine omnes accipiunt; ipse autem vocat eos in partem sollicitudinis non in plenitudinem potestatis. Hic est Melchisedech cuius sacerdotium non est ceteris comparatum. Papae cum ordinatur nomen mutatur, quia Petro nomen Dominus in ecclesiae praelatione mutavit, et Paulus de Saulo factus est Paulus. Cui claves traduntur, quia Petro Christus tradidit claves regni caelorum, ut se ianitorem caeli cognosceret. Rubeus mantus tribuitur, per quem caritas et martyrium declaratur, ad quod pro ovibus semper debet esse paratus. Huius officium est missas et alia officia ordinare, canones instituere, Augustum consecrare, pallia patriarchis et archiepiscopis, privilegia cunctis religiosis dare, totam ecclesiam regere.

PROLOGUS QUARTI LIBRI QUI EST DE OFFICIIS ECCLESIAE.

Expedit his, quos labor officiorum exagitat, investigare quid sit officium et unde dicatur. Officium est, ut ait Isidorus, congruus actus uniuscuiusque secundum leges et mores civitatis, vel instituta professionis. Alia namque sunt instituta monachorum, alia canonicorum. Dicitur autem officium, ut ait Hieronymus, quasi efficium, quia unusquisque debet efficere suum officium, vel quia in eo sunt agenda, quae prosint omnibus et nulli officiant. Sunt autem officia quaedam generalia per totum annum observanda, ut matutinae et ·VII· horae; quaedam specialia secundum diversitatem temporum, secundum distantiam sollempnitatum: alia enim cantantur in quadragesima, alia in adventu, alia in pascha, alia in natali. Primo de generalibus prosequen-

mur. Generaliter enim dicimus nihil esse psallendum, nisi quod est a summo Pontifice canonizatum. In primitiva enim ecclesia diversi diversa cantabant ad suam voluntatem, verumtamen observabant symbolum et dominicam orationem. Postmodum cum haereses pullulassent, Theodosius imperator qui haereses extirpavit, Damasum papam rogavit, ut catholico viro committeret ecclesiasticum officium ordinare. Commisit ergo Hieronymo presbytero in tribus linguis hebraica, graeca, et latina perito, qui Romae sub Apostolicis ·VII fuerat conversatus, nunc autem morabatur in Bethleem cum Paula et Eustochio. Ordinavit itaque psalmos, epistolas et evangelia, et ex maxima parte omnia officia nocturna et diurna praeter cantum. Quod opus Damasus papa canonizavit, et per omnes ecclesias observari praecepit. Gelasius et Gregorius orationes et cantus addiderunt, et lectionibus et evangeliis coaptaverunt. De his igitur officiis prosequentes, a noctis inchoemus officio, ut a tenebris prodeamus in lucem.

PROLOGUS QUINTI LIBRI. DE MULTIPLICITATE LIBRORUM ET VARIETATE TEMPORUM.

Excursis generalibus, specialia prosequamur de concordia et diversitatibus officiorum. Verum quia concordia consurgit ex multiplicitate librorum, et diversitas officiorum ex varietate temporum, idcirco de librorum pluralitate, et temporum varietate utilia praemittamus. Cum igitur ecclesiasticum officium consistat in lectione et cantu, duae sunt manerics * librorum ecclesiasticorum. Nam alii sunt lectionarii, alii cantuarii. Lectionarii sunt bibliotheca, passionarius, legendarius, homiliarius, sermologus, epistularius, evangeliarius, collectarius, et ordo. Bibliotheca utrumque continet

* ita cod.

testamentum, qui sunt libri LXXII. Passionarius est, in quo sunt passiones martyrum. Legendarius in quo est conversatio confessorum. Homiliarius, in quo sunt expositiones evangeliorum. Sermologus est liber sermonum hiemalium et aestivalium. Epistolarius et evangeliarius sunt partes bibliothecae. Collectarius est liber collectarum, sicut hymnarius hymnorum, et ordo exorcismorum, et benedictionarius benedictionum. Cantuarii libri sunt tres, antiphonarius, gradualis, et tropalis. Antiphonarius a digniori nomen accepit scilicet ab antiphonis, cum et ibi versus sint et responsoria. Legitur enim in tripertita historia, quod beatus Ignatius audivit angelos cantantes antiphonas, ideoque instituit antiphonas cum psalmis in choro quasi chorea cantari; et idcirco dicuntur antiphonae, quia sicut responsoria respondent ad historiam, sic antiphonae ad psalmodiam. Antiphonarium beatus Gregorius centonizavit (1) et compilavit. Gradualis dicitur a gradibus, eo quod in diebus festis super gradus ascenditur, ibique in ambone cantatur; in profestis aute gradus altaris concinitur. Tropalis vel troparius est liber in quo tropi, id est hymni cum prosis et sequentiae continentur, et dicitur a τρόπος quod est conversio, quia convertitur ad introitum. Varietas vero temporum *etc.*

Lib. VII. Ex cap. XII. DE PENTECOSTE. Attende quod sollempnitati sancti Spiritus ieiunium quatuor temporum non derogat hodiernum, sed potius illustrat, quia deliciae sancti Spiritus deliciarum carnalium fastidium

(1) In vita Gregorii magni p. 119, ubi nos scribendum iudicavimus *concinnavit*, codex habet *centonavit*, quod iam mutasse nollemus; etenim Bernardus, ut chronicum Sicardi, ita eius mitralem prae oculis habuit. Et quidem melius videtur *centonizavit* quam *centonavit*.

inportant, et quia sponso ablato apostolis ieiunandum erat, sicut Dominus praedixerat; unde repleti Spiritu sancto, sponte ieiunare coeperunt. Quocirca in praecedenti sexta feria quidam aestivalem inchoant quadragesimam. Quidam vero sanius hodiernum ieiunium autumant huius temporis quadragesimalis initium; cui quidam terminum statuunt in festivitate sancti Iohannis, sive sex habeat septimanas, sive nequaquam. Alii festivitatem sancti Iohannis includunt, et eo usque ieiunantes sine termino praefixo procedunt, ut senarium compleant hebdomadarum.

Lib. VIII. Ex cap. I. DE OCTAVA PENTECOSTES. Cum superveniente haeresi arriana, fere fuisset Trinitatis fides extincta, sanctus Hilarius, Eusebius, et Ambrosius restiterunt. Consensit igitur ea de causa Gregorius magnus, ut de Trinitate specialia cantaremus, et ecclesias aedificaremus, licet similia de Unitate non fiant. Multi enim de Trinitate dubitaverunt, qui in confessione Unitatis nullatenus erraverunt. Exin igitur est, quod de historia (liturgia) Trinitatis inveniatur varia consuetudo. Alii namque non utuntur ea, sequentes reprobationem Alexandri (1); alii utuntur ea, et cantantes èam in hac prima dominica, sequuntur institutionem Alcuini; alii ponunt eam in ultima dominica, sequentes approbationem Gregorii. - Cum enim temporibus Attilae qui christianos flagellavit, omnia fere volumina professionis christianae destructa fuissent, Alcuinus, magister Karoli, historiam (liturgiam) de Trinitate composuit, responsoria scilicet et antiphonas et

(1) Extat haec in decreto lib. II. tit. IX. 2. de feriis, ubi Alexander III. negat hoc festum ab ecclesia romana eatenus receptum. Verumtamen scribendum esse Alexandrum II, demonstrat Azevedus de divino officio exercit. XLIX.

sequentiam. Fecit et historiam (liturgiam) de sancto Stephano. Idem rogatu archiepiscopi Bonifacii instituit missam de Trinitate in dominica die.

Lib. IX. Ex cap. XLI. DE ASSUMPTIONE SANCTAE MARIAE. Transitus beatae Virginis antonomastice assumptio nominatur, quae prius est assumpta in anima, et postmodum, sicut pie creditur, assumpta in corpore. Elisabeth mulier religiosa de Saxonia, dicit sibi revelatum fuisse, quod ·XL· diebus post assumptionem animae, assumpta fuit in corpore. Et attende, quod quinque sunt festivitates authenticae de beata Virgine; prima est nativitas, secunda est annuntiatio, tertia partus, quarta purificatio, quinta est assumptio; verumtamen secunda et tertia potius sunt Domini. Inter illas, quae ad Virginem specialiter pertinent, haec maior est. Regulariter enim verum est de quolibet sancto, quod maius est festum transitus, quam aliud de eo, quia de miseria transit ad vitam, nisi in casu, ut in Iohanne Baptista; ideoque dumtaxat haec Virginis festivitas habet ieiunium et octavam.

Ex cap. LII. DE EXEQUIIS MORTUORUM. Delectat stilum de mortuis et morituris, sepultis et sepeliendis, aliquid addere, quod aures pascat et animos foveat. Moriturus itaque dum laborat in extremis, super cinere vel palea deportatur, ad instar beati Martini qui iacens in cinere vitam finivit; quia cinis est, et in cinerem revertetur: ante quem passio Christi vel pars eius legatur, ut ad maiorem conpunctionem moveatur. Crux etiam ante pedes eius ponatur, ut moriens eam cernat, et magis conteratur. Et debet recta facie iacere, ut caelum respiciat; et antequam expiret, eius anima Domino commendetur. Postquam expiraverit, campanae pulsentur, ut populus audiens oret pro eo, pro

muliere bis, pro viro ter. Similiter compulsetur cum ad ecclesiam defertur, et cum de ecclesia ad tumulum deportatur. Sed attende quod antequam ad ecclesiam deferatur, lavetur, ad significandum, quod si anima per confessionem fuerit a culpa mundata, utrumque in die iudicii corpus et anima glorificationem et munditiam consequentur aeternam. Cum vero corpus lotum fuerit, induatur secundum statum et ordinem suum; laicus cilicio insuatur, ut hac veste repraesentet insignia poenitentiae. Alicubi vero, maxime divites, sudariis induuntur, caligis et sotellaribus calciantur. Clerici vero tondeantur et radantur, et induti veste sui ordinis sepeliantur; quod licet in aliis ordinibus propter paupertatem saepius omittatur, tamen in sacerdotibus et episcopis non patimur omittendum. Vestes enim sacerdotales, virtutes significant cum quibus prae ceteris sunt Domino praesentandi.

Hactenus Sicardi excerpta deduximus.

DE PAPIS ALIQUOT

EX CHRONICO GRAECO.

In duobus bombycinis bibliothecae vaticanae codicibus, ottob. 77. f. 23, et vat. 1455. f. item 23. (cuius recens apographum est in vat. 7143. f. 330.) deprehendi graecum pontificiae historiae fragmentum, cum eo perbrevi, quem scripsi, titulo περὶ τῶν Πάπων ἀπὸ τοῦ χρονικοῦ de Papis ex chronico. *Papae quidem, et interdum Antipapae, hoc fragmento comprehenduntur tredecim, a Formoso ad obtrusum Iohannem decimi successorem. (Videsis Bernardum Guidonis in hoc volumine p. 213-222.) Quodnam vero fuerit illud graecum chronicon, unde hoc* ἀποσπασμάτιον *sumptum est, neuter codex demonstrat, quia nimirum in utroque miscella*

congeries est diversarum rerum, quae ad dictum chronicon nullo modo pertinent. Reliquum igitur mihi erat, ut hoc fragmentum, bonum sane atque pretiosum, quia in obscura seu certe turbulenta pontificiae historiae parte versatur, heic lectoribus exhiberem. Latinam vero interpretationem non addo, quia Bernardus interpretis propemodum loco erit.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΑΠΩΝ

ΑΠΟ ΤΟΥ ΧΡΟΝΙΚΟΥ.

Φόρμοσος ἐπίσκοπος ἦν τὸ πρότερον Πορτουένσης, ὕστερον γέγονε πάπας, καὶ ἦν ἐγκρατὴς τοῦ θρόνου χρόνους έ, μῆνας ϛ΄· τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ ἐχήρευεν ἡ ἐκκλησία ἡμέρας ἱκανάς· οὗτος διὰ ζωγραφίας ἀνεκαίνισε τὴν ὅλην ἐκκλησίαν τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων· οὗτός ποτε διὰ τὸν φόβον τοῦ πάπα Ἰωάννου φεύγων τὴν ἐπισκοπὴν Πορτουένσην κατέλιπε· καὶ ἐπεὶ ἀνακαλούμενος ἀνελθεῖν οὐκ ἠθέλησεν, ἀνεθεματίσθη· ἀλλ᾽ ὕστερον εἰς τὴν Γαλλίαν πρὸς τὸν πάπαν ἐλθὼν ἕως εἰς λαϊκὴν τάξιν ἀπὸ τοῦ βαθμοῦ αὐτοῦ κατεβιβάσθη· ἐπὶ τούτοις ὤμοσε μήτε τὴν Ῥώμην εἰσελθεῖν, μήτε εἰς τὴν ἑαυτοῦ ἐπισκοπὴν ἐπαναδραμεῖν· ὕστερον δὲ ἀπὸ Μαρίνου τοῦ διαδεξαμένου τὸν Ἰωάννην ἐναντία τοῦ προτέρου ὅρκου διαπραξάμενος οὐ μόνον τῆς Ῥώμης ἐπέβη, ἀλλὰ καὶ Ῥώμης αὐτῆς τὴν ἀρχιερωσύνην ἐδέξατο· διὸ τεθνεῶτος αὐτοῦ μεγάλη ὄχλησις γέγονε, ὡς ἐν τοῖς ἑπομένοις δηλωθήσεται.

Βονιφάτιος πάπας ἦρξεν ἡμέρας ιέ· ἦν οὗτος τῷ γένει μὲν τουσκάνος.

Διαδέχεται αὐτὸν Στέφανος· ἀρχιεράτευσε δὲ οὗτος χρόνον ά, καὶ μῆνας γ΄· αὐτοῦ δὲ τελευτήσαντος ἐχήρευσεν ἡ

ἐκκλησία ἡμέρας γ΄, ἦν δὲ τῷ γένει ῥωμαῖος (1)· οὗτος ἀπὸ Φορμόσου πάπα ἐπίσκοπος προεχειρίσθη πόλεως Ἀνανείας, καὶ τὸν Φόρμοσον πάπαν ἐδίωξε, καὶ πάσας τὰς παρ' αὐτοῦ προβιβασθείσας τάξεις διωχθῆναι διέκρινε· φέρεται δὲ καὶ γεγραμμένον, ὅτι αὐτὸς καὶ τὸ σῶμα Φορμόσου ἐν τῷ συμβουλίῳ κείμενον τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν ἐξέδυσε, καὶ λαϊκὴν ἐνέδυσε, καὶ τοὺς β΄ δακτύλους τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ χειρὸς ἀποκόψας, ἐν τῷ ποταμῷ ῥιφῆναι προσέταξε.

Θεόδωρος πάπας τῷ γένει ῥωμαῖος· οὗτος ἐναντία τῷ πάπᾳ Στεφάνῳ φρονῶν, ἀποκατήλλαξε πάσας τὰς τάξεις τὰς ἀπὸ Φορμόσου.

Ἰωάννης πάπας κατέσχε τὸν θρόνον χρόνους β΄, ἡμέρας ε΄ (2)· οὗτος ἐμαχέσατο ῥωμαίοις· καὶ πρὸς τὸ ποιῆσαι βεβαιοτέραν τὴν καταλλαγὴν τῶν ἀπὸ Φορμόσου τάξεων, σύνοδον οὐ΄ ἐπισκόπων ἐν τῇ πόλει Ῥαβέννῃ συνήθροισε, ὅπου τὴν σύνοδον, ἣν ὁ Στέφανος πάπας κατὰ Φορμόσου πεποίηκεν, ἀπεδοκίμασε.

Βενέδικτος πάπας τῷ γένει ῥωμαῖος ἐπισκοπεύει χρόνους γ΄, μῆνας β΄· καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ χηρεύει ἡ ἐκκλησία ῥωμαίων ἡμέρας ς΄.

Λέων ἡμέρας μ΄· τοῦτον δὲ μετὰ τὰς εἰρημένας ἡμέρας ἀπὸ τῆς τάξεως αὐτοῦ Χριστοφόρος ὁ πρεσβύτερος αὐτοῦ ἀπωσάμενος εἰς φυλακὴν ἔβαλλε, καὶ οὕτως ἥρπασε τὴν προεδρίαν· ἀλλὰ καὶ οὗτος μετὰ ζ΄ μῆνας τῆς ἀρχῆς ὑπὸ Σεργίου ἐξώθη τοῦ θρόνου, καὶ εἰς φυλακὴν παραδίδοται.

(1) En ut graecus chronographus, ex successore Stephani Romano (apud nos p. 214.) patriam Stephani efficit, omisso Romano pontifice, qui est manifestus error. Ceteroqui in rebus ceteris valde mireque congruit cum latina Bernardi historia graecus hic anonymus.

(2) Bernardus scribit *XV*, non *V*.

Χριστοφόρος μῆνας ζ΄· οὗτος δὲ τοῦ θρόνου ὡς εἴρηται ἀπωσθεὶς γέγονε μοναχός. (1)

Σέργιος ὁ καθελὼν Χριστοφόρον ἄρχει τῆς ἐκκλησίας (χρόνους ζ΄) μῆνας γ΄, ἡμέρας κϛ΄· ἐσχόλασε δὲ καὶ ὁ θρόνος ἡμέρας κε΄· τούτου τῷ καιρῷ ἡ ἐκκλησία τοῦ Λατεράνου διεφθάρη, ἣν πᾶσαν ἀπὸ θεμελίων ὁ εἰρημένος ἀνανεοῖ πάπας· οὗτος ὁ Σέργιος διάκονος ὢν πάλαι καὶ ἐπίδοξος, ἐπὶ τὸ ἀρχιερατεῦσαι Ῥώμης, ὑπὸ Φορμόσου ἐκκρούεται, ἀντεισαχθέντος ἐκείνου· μετὰ τὴν τελευτὴν ἐκείνου, τοῦ Χριστοφόρου τὸν θρόνον λαβόντος, οὗτος ἀπέδραμεν εἰς τοὺς Φράγγους, καὶ τῇ βοηθείᾳ ἐκείνων ὀχυρωθεὶς, καὶ τοῦ θρόνου ἐπειλημμένος, τὸν μὲν Χριστοφόρον ζῶντα τοῦ θρόνου κατ-αγαγὼν φυλακῇ παραδίδωσιν· ἀμυνόμενος δὲ καὶ Φόρμοσον ἤδη τετελευτηκότα τῆς πάλαι διαφθορᾶς, καὶ ἐκδικῶν ἑαυτὸν τῆς ἐκπτώσεως, ἐξάγει τοῦ τάφου Φόρμοσον, καὶ ἐν θρόνῳ ἱερατικῷ ἱερατικῶς ἐνδεδυμένον ἀποκεφαλισθῆναι προσέταξεν, καὶ εἰς τὸν Τίβεριν ἀπορριφῆναι, καὶ πάσας τὰς ὑπ' αὐτοῦ καθισταμένας τάξεις ἀποβληθῆναι· λέγεται δὲ μετ' οὐ πολὺ παρὰ ἁλιέων εὑρημένον Φόρμοσον, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ μακαρίου Πέτρου τεθέντα, ὠφθῆναι εἰκόνας τινῶν ἁγίων προσκυνούσας καὶ ἐντίμως ὑπαγορευούσας αὐτὸν, καὶ τοῦτο δῆλον πολλοῖς γέγονε.

Μετὰ Σέργιον Ἀναστάσιος ἀρχιερατεύει γένος μὲν ῥωμαῖος, κρατεῖ δὲ τῆς ἐκκλησίας χρόνους δύο καὶ μῆνας δύο, εἶτα τελευτᾷ· χηρεύει δὲ καὶ ὁ θρόνος ἡμέρας ἕξ.

Μετὰ Ἀναστάσιον Λοῦνδος γένει ῥωμαῖος καὶ αὐτὸς πάπας γίνεται μῆνας ἕξ· σχολάζει δὲ καὶ ἡ ἐκκλησία ἡμέρας κϛ΄.

(1) Utramque narrationem de carcere et de monachatu Christophori refert etiam Bernardus.

Μετὰ τοῦτον ἀρχιερατεύει Ἰωάννης χρόνους ιγ' μῆνας β' ἡμέρας γ'· οὗτος υἱὸς Σεργίου πάπα καὶ ἐπίσκοπος Ῥαβέννης ὡς μέν τοι ἐπιβήτωρ τῆς ἐκκλησίας ἐκεῖθεν καὶ ἀπὸ παντὸς τοῦ λαοῦ τοῦ ἐν Ῥαβέννῃ ἐκβάλλεται· τούτου τῇ βουλῇ καὶ τῇ βοηθείᾳ οἱ Σαρακηνοὶ οἱ κυριεύοντες Ἰταλίας ἐγγὺς Ῥώμης ἡττῆνται· εἶτα αὐτὸς ὁ πάπας Ἰωάννης μετὰ μαρκίωνος Ἀλβερίκου εἰσελθόντες εἰς τὴν Ἀπουλίαν κατὰ Σαρακηνῶν παρὰ Γαριλιανὸν, καὶ συμβάλλοντες τοῖς Σαρακηνοῖς ἐνίκησαν καὶ πάλιν αὐτοὺς κατὰ κράτος· εἶτα εἰσελθόντες ἐν τῇ Ῥώμῃ παρὰ παντὸς τοῦ λαοῦ ἐν χαρᾷ καὶ τιμῇ προσεδέχθησαν· ἀλλ' ὕστερον διαφωνίας ἐπισυμβάσης ἐν ἀμφοτέροις, ὁ μαρκίων ἐξωθεῖται τῆς πόλεως, καὶ καστέλλιόν τι ὄνομα Ὅρτα κρατήσας, ἐκεῖ ἑαυτὸν διανέπαυε· πέμπει δὲ καὶ πρέσβεις πρὸς Οὔγγρους, ἵνα ἔλθοιεν καὶ κτήσωνται τὴν γῆν ῥωμαίων· οἱ ἐλθόντες πᾶσαν τὴν Τουσκίαν κατέδραμεν, καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας, καὶ εἴ τι ἕτερον φέρειν ἠδύναντο, λαβόντες εἰς Οὐγγρίαν ἀπήγαγον· διὸ οἱ ῥωμαῖοι ταραχθέντες ἐπὶ τούτῳ τὸν εἰρημένον μαρκίωνα διεχρήσαντο· οἱ μέν τοι Οὔγγροι ὕστερον ἑκάστῳ ἔτει κατὰ πολλοὺς δὲ χρόνους λῃστεύοντες ῥωμαίους κακῶς διέθεντο· Ἰωάννης δὲ ὁ εἰρημένος πάπας ὑπὸ στρατιωτῶν συλληφθεὶς, καὶ εἰς φυλακὴν βληθεὶς, ἐκεῖ ὕστερον διαφθείρεται.

Ἀντεισάγεται δὲ εἰς τὸν τούτου τόπον ἕτερος Ἰωάννης· επεὶ δὲ κακῶς τὴν ἀρχὴν εἰσῆλθεν, αὐτίκα δὲ καὶ ἐξεβλήθη· διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν ἀρχιερέων οὐ τίθεται.

FINIS.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE FRAGMENTUM

EX CODICE MEDIOLANENSI BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE.

In quinto Spicilegii volumine p. 247. (1) dixi de codice mediolanensi ambrosiano M. 88. b., in quo est ecclesiasticae cuiusdam historiae liber tertius ineditus. Nunc ad me rogantem vir cl. Car. Castillionaeus misit apographum summariorum dicti libri, cum primi capituli textu, quae ego statim cum lectoribus meis non sine latina interpretatione communico, scholiis aliquot additis, ut quid novum quidve secus in hac historia sit iudicandum, appareat.

Τάδε ἔνεστιν ἐν τῷ τρίτῳ λόγῳ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας.

α. Περὶ τῶν μετὰ τὴν μεγάλην σύνοδον πραγματευθέντων. β. Περὶ τῆς ἀνενδότου τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου περὶ τὰ θεῖα σπουδῆς. γ. Ἐπιστολὴ τοῦ βασιλέως πρὸς Εὐσέβιον τὸν Παμφίλου περὶ τῆς τῶν ἐκκλη-

Haec sunt in tertio ecclesiasticae historiae libro.

1. *De iis quae post magnam synodum acta sunt.* 2. *De numquam remisso carissimi Deo imperatoris Constantini erga res divinas studio.* 3. *Epistola imperatoris ad Eusebium Pamphili de ecclesiarum ae-*

(1) Quod in eadem Spicilegii pagina dixi de Pollucis physiologico, nunc ex palat. vat. codice 399. comperi intelligendum esse de physiologico illo quod sub Eustathii nomine edidit Allatius.

σιῶν οἰκοδομῆς (1). δ. Ἐπιστολὴ τοῦ αὐτοῦ περὶ τῆς τῶν ἱερῶν βίβλων κατασκευῆς. ε. Ἐπιστολὴ τοῦ αὐτοῦ πρὸς Μακάριον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων περὶ τοῦ σωτηρίου τάφου. ϛ. Περὶ τῆς ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα ὁδοιπορίας τῆς μακαρίας Ἑλένης. (2) ζ. Περὶ τῆς εὑρέσεως τοῦ ἁγίου σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ. (3) η. Περὶ τοῦ φόρου (4) τοῦ εὐσεβεστάτου Κωνσταντίνου. θ. Περὶ τοῦ Φρουμεντίου καὶ Αἰδεσίου καὶ τῶν ἐν τῇ ἐνδοτάτῃ Ἰνδίᾳ. (5) ι. Περὶ Ἰβήρων καὶ Λάζων, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς αἰχμαλώτου ἁγίας γυναικός. (6) ια. Ἐπιστολὴ βασιλέως Κωνσταντίνου πρὸς Σαβώριον τὸν τῶν Περσῶν βασιλέα

dificatione. 4. *Epistola eiusdem de sacrorum librorum confectione.* 5. *Epistola eiusdem ad Macarium episcopum Hierosolymorum de Servatoris sepulcro.* 6. *De beatae Helenae itinere ad Hierosolymorum urbem.* 7. *De sanctae crucis Christi inventione.* 8. *De foro religiosissimi Constantini.* 9. *De Frumentio et Aedesio, et rebus in interiore India gestis.* 10. *De Iberis et Lazis, et de captiva apud eos sancta muliere.* 11. *Epistola Constantini imperatoris ad Sapo-*

(1) Constantini magni epistolas memoratas eapp. 3. 4. 5. 11. 15. 16. 17. 18. 19. habemus dispersas in diversorum librorum editionibus, ut ex Cavaei diligenti catalogo exploratum est.

(2) Confer Socratem I. 17, et Theodoretum I. 18.

(3) Socrates loc. cit., et Sozomenus II. 1.

(4) Socrat. I. 17. Heic quidem sermo est de foro Constantini. Ceteroqui apud Cangium Isidorus pelusiota narrat ipsas quoque Caesarum imagines dictas fuisse φόρους. Quod autem Cangius ait se ignorare vocabuli φόρου originem, id facile solvitur; est enim a φορεῖν *gestare.* Ut enim in sculptis marmoribus ac numismatibus adhuc cernimus, Caesarum imagines hastis militaribus adfixae laureataeque gestabantur.

(5) Socrat. I. 19., Sozom. II. 24.

(6) Socrat. loc. cit., Sozom. II. 7., Theodoret. I. 24.

περὶ τῆς τοῦ λαοῦ τοῦ Θεοῦ προνοίας. ιβ. Περὶ Κωνσταντίας τῆς ἀδελφῆς τοῦ πανευφήμου βασιλέως Κωνσταντίνου, καὶ τοῦ κατασταθέντος αὐτῇ παρ' αὐτοῦ ἀρειανοῦ πρεσβυτέρου. (1) ιγ. Βιβλίον ἐπιπλάστου μετανοίας Εὐσεβίου τοῦ Νικομηδείας καὶ Θεογνίου Νικαίας. (2) ιδ. Μέρος τῆς πρὸς Ἀθανάσιον ἐπιστολῆς τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου. ιε. Ἐπιστολὴ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας. ιϛ. Τέλος ἐπιστολῆς τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου ὑπὲρ Ἀθανασίου γραφείσης τῇ ἐκκλησίᾳ Ἀλεξανδρείας. ιζ. Ἐπιστολὴ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου πρὸς τὴν ἐν Τύρῳ συναθροισθεῖσαν σύνοδον. ιη. Ἐπιστολὴ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως πρὸς τοὺς ἐν Τύρῳ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ἀναζεύξαντας ἐπισκόπους. ιθ. Ἐπιστολὴ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου πρὸς Ἀρεῖον καὶ ἀρειανούς.

rem Persarum regem pro populi Dei tutela. 12. *De Constantia celeberrimi imperatoris Constantini sorore, et de ariano quem hic apud eam collocavit presbytero.* 13. *Libellus simulatae poenitentiae Eusebii nicomediensis et Theognii nicaeni.* 14. *Pars epistolae Constantini imperatoris ad Athanasium.* 15. *Epistola carissimi Deo imperatoris Constantini ad Alexandrum Alexandriae episcopum.* 16. *Pars postrema epistolae imperatoris Constantini scriptae pro Athanasio ad ecclesiam alexandrinam.* 17. *Epistola imperatoris Constantini ad congregatam Tyri synodum.* 18. *Epistola carissimi Deo imperatoris Constantini ad episcopos qui ex Italia Tyrum advenerant.* 19. *Epistola carissimi Deo imperatoris Constantini ad Arium et Aria-*

(1) Socrat. I. 25, Theodoret. II. 3, Sozom. II. 27, Photius cod. 256. p. 1413.

(2) Socrat. I. 14, Sozom. II. 16, hist. tripart. II. 17.

κ. Προσευχὴ (1) τοῦ νικηφόρου καὶ θεοφιλοῦς βασιλέως Κωνσταντίνου περὶ τῆς αἰσχίστης τελευτῆς Ἀρείου. κα. Ἐπιστολὴ βασιλέως Κωνσταντίνου πρὸς Πιστὸν ἐπίσκοπον Μαρκιανουπόλεως. (2) κβ. Ἄλλη ἐπιστολὴ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου πρὸς τὸν αὐτὸν ἐπίσκοπον.

ΛΟΓΟΣ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΤΡΙΤΟΣ.

Τὰ μετὰ τὴν μεγάλην σύνοδον, τὴν ἐν Νικαίᾳ, σπουδασθέντα τῷ εὐσεβεῖ βασιλεῖ Κωνσταντίνῳ.

Κεφ. α.

Τὸν μὲν πρῶτον καὶ δεύτερον λόγον τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας καθεξῆς ὁ λόγος ἡμῖν ἐποιήσατο, ἀρξάμενος μὲν

nos. 20. *Precatio victoriosi et Deo cari imperatoris Constantini de turpissima Arii morte.* 21. *Epistola imperatoris Constantini ad Pistum episcopum Marcianopoleos.* 22. *Epistola imperatoris Constantini ad eundem episcopum.*

ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER TERTIUS.

Res a pio imperatore Constantino post nicaenam synodum gestae.

Cap. I.

Primum secundumque ecclesiasticae historiae librum absolvimus, sumpto initio a temporibus coepti imperii

(1) In citato Spicilegii loco scripsi προσδοχὴ *expectatio*. Utram lectionem codex mediolanensis reapse habeat, alii videant.

(2) Pistus, Marcianopoleos episcopus, occurrit inter patres nicaenos provinciae Daciae, apud Labbeum Concil. T. II. p. 268, et apud Morellium catalog. biblioth. S. Marci p. 232. ex Theodoro

ἀπὸ τῶν χρόνων τῆς βασιλείας τοῦ χριστοφόρου καὶ νικηφόρου βασιλέως Κωνσταντίνου, διοδεύσας δὲ τὰ πάντα ἐν τῷ μέσῳ, ἕως τοῦ παντὸς συμπεράσματος τῆς πραγματείας τῆς κατὰ Νικαέων ἁγίας συνόδου, ὡς εἰκόνα τῶν γεγενημένων παρέστησε, τῶν τε ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ τὴν ὑπὸ τῶν θεομισῶν τυράννων κινηθεῖσαν κατ᾽ αὐτῶν πολιορκίαν, τήν τε τῶν αὐτῶν ἀσεβῶν τυράννων αἰσχίστην καταστροφήν· καὶ ὅπως ὁ τῆς ἐκκλησίας νυμφίος Χριστὸς τὸν αὐτοῦ ἄξιον θεράποντα Κωνσταντῖνον τοῖς τοῦ τιμίου (σταυροῦ) αὐτοῦ ὅπλοις γενναιότατα φράξας κατ᾽ αὐτῶν τῶν ἀσεβῶν ἐξεγήγερκε· καὶ ὡς τὰ τρόπαια τῆς νίκης αὐτῷ κατ᾽ αὐτῶν τῶν τυράννων ἐχαρίσατο, πάντας αὐτοὺς παγγενῆ κτείνας ὑπὸ τοῖς Κωνσταντίνου τοῦ θεοφιλεστάτου ποσὶ, βαθεῖαν εἰρήνην ἄνωθεν δι᾽ αὐτοῦ ταῖς ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην αὐτῶν

a religioso victoriosoque imperatore Constantino; decursisque quae fuerunt intermedia omnibus, usque ad sanctae nicaenae synodi terminum, picturam veluti gestarum rerum exhibuimus; nempe commotam adversus Dei ecclesias ab invisis Deo tyrannis persecutionem, ac turpissimam eorundem scelestorum tyrannorum catastrophem; atque ut sponsus ecclesiae Christus dignum famulum suum Constantinum pretiosae crucis suae armis egregie munitum contra eosdem impios concitavit; utque ipsi victoriae trophaea adversus dictos tyrannos largitus est, cunctos simul sub dilectissimi Constantini pedibus extinctos sternens; atque

lectore. Item apud Lequinium Or. ch. T. I. p. 1217. Iamvero haec et subsequens ad Pistum episcopum epistolae Constantini magni videntur incognitae, ideoque summe expetendae, nec diutius in ambrosianis latebris relinquendae. Quia tamen de re longinqua loquor, nihil definite adfirmare ausim.

ἐκκλησίαις πρυτανεύσας· καὶ τὴν μετὰ ταῦτα πάλιν κατ' αὐτῆς ὑπὸ τοῦ μισαγάθου ἐχθροῦ δαίμονος διὰ τοῦ παμμιάρου Ἀρείου κινηθεῖσαν μηχανήν· καὶ ὡς αὐτοῦ ἕνεκα καὶ τῶν ἀσεβῶν αὐτοῦ βλασφημιῶν, ὧν κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐβλασφήμησε, ἡ ἐν Νικαίᾳ ἁγία καὶ μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἐκ κελεύσεως τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ αὐτοῦ θεράποντος τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου γεγένηται· τά τε ἐν αὐτῇ ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος διὰ τῶν ἐκεῖσε ἁγίων ἀρχιερέων τριακοσίων (1) τὸν ἀριθμὸν ὀρθοδόξων ὑπὲρ τῆς ἀποστολικῆς καὶ ὀρθοδόξου πίστεως πραγματευθέντα, ὁ λόγος ἡμῖν κατὰ δύναμιν τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν χάριτι, τρανῶς παρέδωκε· βαδιῶ δ' ἐντεῦθεν ἑξῆς ἐπὶ τὴν τῆς βασιλικῆς εὐσεβείας διήγησιν, καὶ ὅπως ἄληκτον εἶχε τὴν ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ μέριμναν.

ita pacem summam ecclesiis per universum orbem divinitus per ipsum concilians. Deinde diximus commotas a scelesto boni osore et hoste daemone contra hanc pacem insidias per execrandum Arium; propter quem et propter blasphemias eius, quas contra Dei filium evomuit, sancta et magna atque universalis synodus Nicaeae celebrata fuit Dei iussu, cooperante famulo eius dilectissimo imperatore Constantino; quaeque ibi acta sunt a sancto Spiritu per trecentos orthodoxos patres pro apostolica recta fide, sermo noster pro viribus sibi a Christo Deo gratiose suppeditatis, perspicue tradidit. Hinc pergam ad deinceps narrandam imperatoris pietatem, et quomodo indefessam ecclesiarum Dei curam gesserit.

(1) Etiam Gelasius hist. concil. nicaen. apud Labb. T. II. p. 229. scribit τριακοσίων pro τιη, 300. pro 318.

Superiore folio iam typis impresso, pervenit nd me ex urbe Mediolano, beneficio V. cl. Cnstillionaei, historiae praedictae additamentum, capituln scilicet 2. et 8, quae ego expetiveram, cum notitin tamen minime iucunda, quod capitula 20. 21. et 22, quorum potissimum cupiditate tenebar, in codice desidernntur.

περὶ τῆς ἀνενδότου τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου
περὶ τὰ θεῖα σπουδῆς.

Cap. II. Πολὺς καὶ ἄφατος ἐνῆν αὐτῷ ὁ περὶ τὸν χριστιανισμὸν πυρσὸς, πάντας ἄγειν καὶ τοὺς ἔξω ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τοῦ θεοῦ ζῶντος ἐπίγνωσιν· πᾶσι γὰρ τοῖς ὑπὸ τῶν ῥωμαίων τελοῦσιν ἡγεμονίαν ἐπέστελλε δήμοις, τῆς μὲν προτέρας αὐτοὺς ἀπαλλαγῆναι ἀπάτης παρηγγυῶν, ἐπὶ δὲ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ διδασκαλίαν ἑαυτοὺς μεταθεῖναι προτρέπων· καὶ ἐπὶ ταύτην ἅπαντας τὴν ἀλήθειαν ἀπιέναι παρεκάλει, ἀποστολικῶς μᾶλλον ἢ βασιλικῶς χρώμενος σκοπῶν· τοὺς δὲ κατὰ πόλεις ἐπισκόπους ἐπὶ τὰς τῶν ἐκκλησιῶν οἰκοδομὰς διήγειρε, καὶ οὐ γράμμασι μόνον ἐπὶ τοῦτο προτρέπων, ἀλλὰ καὶ χρήματα φιλοτίμως δωρούμενος, καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς δαπανήματα ἅπαντα χορηγῶν· δηλοῖ δὲ καὶ τὰ γραφέντα παρ᾽ αὐτοῦ τοῦτον ἔχοντα τὸν τρόπον.

De numquam remisso carissimi Deo imperatoris
erga res divinas studio.

Multus et ineffabilis inerat ipsi erga christianismum amor, studebatque omnes ethnicos ad veram Dei viventis cognitionem adducere. Etenim ad cunctos sub romano imperio degentes populos scribebat epistolas, quibus hortabatur ut ab antiquo errore converterentur, atque ut Dei servatoris magisterio se traderent impellebat. Ad hanc tamen amplectendam veritatem apostolice magis quam regaliter invitnbnt. Episcopos vero ad aedificandas in civitatibus ecclesias excitabat, neque id litteris tantummodo suadebnt, verum etiam pecuniam abunde tribuebat, cunctas scilicet aedificii impensas suppeditnns. Quam rem sequentes eius litterae demonstrnnt, quae itn se hnbent.

περὶ τοῦ φόρου τοῦ εὐσεβεστάτου Κωνσταντίνου.

Cap. VIII. Ἀλλὰ πάλιν ἐπὶ τὸν θεῖον τοῦ χριστοφόρου βασιλέως τοῦ (πανευφήμου) Κωνσταντίνου ζῆλον τρέψω τὸν λόγον, ὅστις τοσοῦτον ὑπερανέβη τῶν πατρῴων καὶ μητρῴων περὶ τὸν τοῦ Χριστοῦ σωτήριον ζῆλον, ὥστε τὸ παρὰ τῆς μητρὸς ἐνεχθὲν αὐτῷ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ κατὰ σάρκα πάθους σωτηρίου σταυροῦ σύμβολον, πιστεύσας ὡς ἀεὶ σωθήσεται ἡ πόλις ἡ ἐπώνυμος αὐτῷ, ἐὰν ἐκεῖνο ἐν αὐτῇ φυλάττηται, κατέκρυψεν αὐτὸ ἐνθεὶς τῷ ἑαυτοῦ ἀνδριάντι τῷ ἐν τῇ ἐπιλεγομένῃ ἀγορᾷ ἤτοι φόρῳ Κωνσταντίνου, καὶ ἐπὶ τοῦ πορφυροῦ καὶ μεγάλου κίονος ἱδρυμένου. (1)

De foro religiosissimi Constantini.

Sed rursus ad eximium religiosi celeberrimique imperatoris Constantini zelum convertam sermonem, qui adeo paternum maternumque erga Christum salutare studium superavit, ut allatum sibi a matre instrumentum beneficae Christi domini in carne passionis, confidens urbem de suo nomine appellatam incolumem semper fore, si id in ipsa conservaretur, inseruerit intra propriam statuam, in platea seu foro quod dicitur Constantini, supra porphyreticam magnam columnam quae ibi est constituta.

ADNOTATIO. In historiae corpore cap. 18. recte dicuntur episcopi convenisse Tyrum ἐξ Αἰλίας, non ἐξ Ἰταλίας ut mendose scribitur in indiculo eiusdem codicis.

(1) Confer Socratem lib. I. 17.

DE GEORGIDII COLLECTIONE GNOMICA.

Placet in primis Eustathii thessalonicensis magni viri adhortatio gravis ad graecos monachos (apud nos Spicileg. T. V. p. 407-409.) ut otio peste animarum omisso, ad litterarum studia cupide incumbant; neque tribus illis sollemnibus ac quotidianis contenti sint, adoratione in templo, cellae quiete, ac mensa; neque fora urbium et compita discurrentes vanis sermunculis occupentur, vel iis saeculi oblectamentis indulgeant, quae maximus doctor Hieronymus in suis epistolis nunc concitatae eloquentiae viribus elidit, nunc plautino sale perfundit. Atque in exemplum doctarum occupationum adducit Eustathius Ephraemium syrum, Epiphanium cyprium, Faustum, atque Dalmatium, qui suis sapientissimis scriptis orthodoxam pietatem partim auxerunt, partim contra haereticos tutati sunt. Inter ceteras vero quibus monachos dare operam lubet lucubrationes, hanc nominatim ingerit: ἐγὼ δὲ ἤθελον τοὺς μοναχοὺς καὶ ἱστορίας ἐξωτερικὰς ἀνθολογεῖν καὶ γνώμας καὶ ἀποφθέγματα: vellem ego ut monachi ex historiis quoque profanis sibi excerpta facerent, et sententias atque effata seligerent. *Utique id apprime fecit Planudes monachus, qui inter ceteros suos labores, deflorandis classicorum auctorum libris curam impendit; quare et nobis feliciter obtigit, ut inventis eius excerptis ex tunc integra nunc lacera Cassii Dionis historia, romanos annales aliquantulum extenderemus (Script. vet. T. II. p. 527. seqq.)*

Nunc alterum paulo minoris quidem pretii, sed tamen non contemnendam excerptorum auctorem sistimus Georgidium monachum, quem in fine diatribae de Georgiis Leo Allatius nominat, patriam atque aetatem designat, nos vero breve frustum eius ex Dione historico ab ipsomet sumptum, ante hos annos in praedicto volumine p. 559. collocavimus. Vaticanus, quo utimur, codex est chartaceus, formae mediocris, folia continens 110. Profecto Georgidii opus haud dabimus integrum (quod nemo utiliter faciet, quia plurima extant) modica immo fragmenta quasi gustûs et speciminis

ergo exhibebimus. Eteaim Georgidii collectio duplici lnborat incommodo, primo quia nomina nuctorum nuda ponuntur, numqunm fere appellatis eorum libris unde partes carpuntur; iterum quia multa nomina non sunt auctorum, sed homiaum apud varios auctores sententiose loquentium, puta Cyri, Alexandri, Pyrrhi, Socratis, et aliorum., quae omnia omisimus. Menandri comici multa sunt fragmenta in codice, sed ea invenimus edita in Clerici sylloge, paucis exceptis quae dnmus, nisi forte in his quoque nos interdum fefellit properans oculus. Dividitur opus in LXIX. mornles titulos, quibus fragmeata singula, quae ad eos referuntur, Georgidius substernit. Age nunc pauca e multis, sub alphabetico nuctorum ordine, graece tantum exponamus; neque enim scriptum interpretatione latina duplicare libet.

ΓΝΩΜΑΙ ΣΥΛΛΕΓΕΙΣΑΙ

ΥΠΟ ΚΥΡΟΥ ΜΟΝΑΖΟΝΤΟΣ ΤΟΥ ΓΕΩΡΓΙΔΙΟΥ.

Π Ρ Ο Λ Ο Γ Ο Σ.

Cod. f. 1. Ἰδὼν τὸ κάλλος ὧδε τῶν γεγραμμένων
Ὡραῖον ὡς θαυμαστὸν ὡς γνῶσιν γέμον,
Ἀνεμποδίστως προσλαβὼν χρῶ προφρόνως·
Νοῦν γὰρ πιαίνειν εἰς καλῶν ὁδηγίαν
Νόμος διδάσκει, καὶ πρὸ τοῦ νόμου φύσις·
Ὅθεν προσῆκεν ὡς μέλι γλυκασμάτων
Ὑπερφυῶς τῶν τῇδε λαμβάνειν μέγα.

ΓΕΝΝΑΔΙΟΥ.

f. 26. Οἶνον πίνων συμμέτρως οὐκ εἰς κόρον,
Ῥῶσιν τρυγήσῃ ἀσφαλῆ καὶ γνησίαν·
Οἴνου κορεσθεὶς καὶ τροφῶν ἀμετρίας,
Οὐκ ἂν κρατήσῃς ἡδονῶν κακοσχόλων.

ΓΕΩΡΓΙΟΥ.

f. 4. b. Ἀεί τε ὡς ἔοικεν αἱ περιστάσεις
Ἐκ τῶν ἐναύλων ἠρεθισμέναι πόνων
Τίκτουσιν ὁρμὰς κρείττονας βουλευμάτων,
Ὅταν μάλιστα καὶ κατάλληλον φύσιν

Τεθηγμένην εὔρωσιν εἰς εὐτολμίαν·
Ἀπελλάγησαν οἱ λιπόντες τὸν βίον
Λύπης, μεριμνῶν, φροντίδων, καὶ θλίψεων·
Ἄτακτος ἔστιν ὁ φθορεὺς τῆς καρδίας·
Ἡ τοῦ σκότους ἔπαρσις, ὁ πρῶτος δράκων,
Ἔξωθεν ἔνδον ἡδονὰς παρεισάγει
Σπείρων λογισμοὺς εἰς γονὴν ἁμαρτίας.
Ἀγάλλεται σαφῶς γε δῆμος ἀγγέλων
Χάριν βροτοῦ κάμψαντος ἐξ ἀταξίας.
Βέβηλος ὃς μνησικακεῖ τῷ πλησίον, Cod. f. 7.
Φθορὰν φιλεῖ γὰρ οὗτος, οὐκ ἀφθαρσίαν.
Βαττολογίαν αὐταρέσκεια συνεισφέρει.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ.

Οὐ τὸ κολάζεσθαι ἐνταῦθα κακόν, ἀλλὰ τὸ ἄξιον τῆς ἐκεῖσε f. 94.
γενέσθαι κολάσεως. Ὃ δ' ἡμῖν παρηγγέλθω πᾶσι τοῖς τοιούτοις πο-
λίταις καὶ πολίτισι καὶ συνοίκοις, μεμνῆσθαι θεὸν ὡς ὄντα, καὶ
δίκας ἐπιπέμποντα τοῖς ἀδίκοις· καὶ τίθεσθαι πρὸ ὀμμάτων τὸν και-
ρὸν τοῦτον, ἐν ᾧ γίνεται τὸ τέλος ἑκάστῳ τῆς ἀπαλλαγῆς τοῦ ζῆν·
πᾶσι γὰρ ἐμπίπτει μεταμέλεια τοῖς μέλλουσι τελευτᾷν, μεμνημέ-
νοις ὧν ἠδικήκασιν, καὶ οἶμαι βούλεσθαι πάντα πεπρᾶχθαι δικαίως
αὐτοῖς.

ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ.

Ἐκ τῆς πρὸς Βίκτωρα ἐπιστολῆς. Ἐν ᾧ ἄν τις δύναιτο εὖ ποιεῖν f. 54.
τοῖς πλησίον, καὶ οὐ ποιεῖ, ἀλλότριος τῆς ἀγάπης τοῦ κυρίου νο-
μισθήσεται. (1)

ΘΕΟΠΕΜΠΤΟΥ.

Εἴ τις πλεῖστα τῶν ἀγαθῶν κεκτημένος, μετὰ τοῦ λυπεῖσθαι f. 78. b.
διάγει τὸν βίον, ἁπάντων ἂν εἴη καὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν ἐσομένων
ἀθλιώτατος. Μήτε αἴτιον κακῶν τὸ θεῖον ὑπολάμβανε, μήτε χωρὶς f. 97.
αὐτοῦ δυστυχεῖν ἡμᾶς νόμιζε. Εὐγενεῖς εἶναι νόμιζε, μὴ τοὺς ἐκ f. 105. b.
τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν γεγεννημένους, ἀλλὰ τοὺς καλὰ καὶ ἀγαθὰ
προαιρουμένους.

ΘΕΟΦΙΛΟΥ.

Νόμος τιμώμενος ὀνείδη παύει, ἀμελούμενος δὲ τιμωρίας ἀδύνει. f. 23.
Νοσημάτων ἰατρὸς ὕπνος μέτριος. Οὐ γὰρ ἐξ ὁμιλίας δεῖ καὶ χά- f. 95.
ριτος τὰς τιμάς, ἀλλ' ἐκ τῶν πράξεων λαμβάνειν.

(1) Non occurrit hoc fragmentum inter ea quae huius deperditae epistolae recitat Eusebius hist. eccl. V. 24.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΣΥΡΟΥ.

Cod. f. 33. Ὕπνου, τροφῆς, τερπνῶν τε καὶ τῶν αἰσχίων κόρος ἔνεστιν ἐν πολυζήλῳ βίῳ· μνήμης δὲ θεοῦ, καὶ λόγων τῶν ἐνθέων, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν τὸν σοφὸν λαβεῖν κόρον.

ΚΡΙΤΗΡΙΟΥ.

f. 109. Δεινὸν ὅτ' ἄν τις μὴ φρονῶν, δοκεῖ φρονεῖν.

ΛΙΝΔΟΥ.

f. 41. Εὐσέβειαν δεῖ φυλάσσειν, πολίταις τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν, ἡδονῆς κρατεῖν, βίᾳ μηδὲν πράττειν, τὸν τοῦ δήμου ἐχθρὸν πολέμιον νομίζειν, οἰκέτας μεθύοντας μὴ κολάζειν (1), εἰ δὲ μὴ, δόξης παροινεῖν.

ΜΕΘΟΔΙΟΥ.

f. 28. b. Πλήθει ἀρέσκειν μὴ ἐπιτήδευε. Πονηρία ἀρετὴν τε καὶ ἑαυτὴν οὐδέ ποτε ἂν γνοίη.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ.

f. 7. Βδέλυγμα ὑπερηφάνων ταπεινότης,
Οὕτως βδέλυγμα πλουσίῳ πτωχός.
f. 44. b. Ταμεῖον ἐστὶν ἀρετῆς σωφροσύνη. (2)
f. 49. Χρηστοῦ γὰρ ἀνδρὸς μηδὲν ὑπονόει κακόν.
Δίκαιος ἀδικεῖν οὐκ ἐπίσταται τρόπος.
f. 53. Ὀργῆς χάριν τὰ κρυπτὰ μὴ φανῇς φίλου,
Ἔλπιζε δ' αὐτὸν πάλιν εἶναι σου φίλον.
f. 87. Εἰρήνη βαθύπλουτε, καὶ ζευγάριον βοϊκόν·
Εἰ γὰρ ἐμοὶ παυσαμένῳ τοῦ πολέμου
Γένοιτο σκάψαι τ' ἀποκλάσαι, καὶ λουσαμένῳ
Διελκῦσαι τῆς τρυγὸς ἄρτον λιπαρὸν
Καὶ ῥάφανον φέροντι.

ΠΟΛΑΝΟΥ.

f. 92. b. Παρόντα μή τε ψέγε μή τε ἐπαίνει· τὸ μὲν γὰρ ἔχθραν φέρει, τὸ δὲ κολακείαν.

ΠΡΟΚΟΠΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ.

f. 7. Βαρὺ διήγησις περισπωμένῃ ψυχῇ, μᾶλλον ἐχούσῃ τὸν λογισμὸν περὶ τὸ μεμεριμνημένον. Βραχείας οὔσης τῆς παρούσης ζωῆς, πολλὰς δὲ καὶ κενὰς φροντίδας ἐχούσης, μᾶλλον ἔδει ζωὴν τὴν μέλλουσαν ἐπιζητεῖν, μερίμνης καὶ λύπης ἀπηλλαγμένην οὖσαν. Βαδίζων ὁδὸν ἄδηλον τοῦδε τοῦ βίου, ποσὶν ὀρθοῖς πορεύου, μὴ νὺξ σε κατα-

(1) Hoc dicit non ut rectum, sed ut effectu perdifficile.
(2) Sic melior versus quam in editis apud Clericum p. 206.

λάβῃ. Βεβαίου ἀνδρὸς θεραπεύειν εὐτελῶν μᾶλλον οἰκίας, ἢ τῶν λαμ-
πρὸν ἐχόντων ἀξίωμα τοῦ βίου. Ἀφόρητος γίνεται κακία ἐπαινουμένη. Cod. f. 108.

ΠΟΛΥΧΡΟΝΙΟΥ.

Ἀλλοιωτὸν εἶναι τὸν βίον εἰδὼς, εὐτυχῶν δυστυχοῦντα μὴ ἐπι- f. 3.
λάθῃ. Ἀπερίσπαστον οὐκ ἔστιν εὑρεῖν τὸν βίον μέσον ὄντι φροντίδων·
δίκην γὰρ μισθωτοῦ ἕκαστος πονεῖται περὶ τὴν ἑαυτοῦ ζωὴν, καὶ
διαλλάττομεν οὐδὲν τῶν οἰκετῶν. Ἅπαντες ἄνθρωποι μετὰ φόβου δια-
νύοντες τὸν βίον, ὁ μὲν γὰρ πένης ὑφορᾶται τῶν δυνατωτέρων τὴν
ἁρπαγὴν, οἱ ἐντιμότερον βιοῦντες τῶν μειζόνων τὴν πλεονεξίαν, καὶ
οὗτοι τὰς τῶν κρατούντων ἀρχὰς, βασιλεῖς δὲ τῶν μὲν τὴν τυραν-
νίδα τῶν δὲ τὰς ἐπιβουλάς. Αἱ περιφανεῖς τύχαι μεγάλα τὰ ναυά-
για ἔχουσι.

ΣΕΒΗΡΙΑΝΟΥ.

Τὸ ψεῦδος ὅταν θέλῃ πιστευθῆναι, ἐὰν μὴ πήξῃ θεμέλιον δο- f. 84. b.
κούσης ἀληθείας, οὐ πιστεύεται. Οὔτε θεοῦ νόμος ἄνευ φόβου, οὔτε f. 75.
φόβος ἄνευ νόμου· ὁ μὲν γὰρ νόμος, τῶν ὑποτεταγμένων ὑπηρέτην
ἔχει τὸν φόβον· ὁ δὲ φόβος, τῶν προστεταγμένων δικαστὴν ἔχει
τὸν νόμον.

ΦΩΤΙΟΥ.

Γέλως τὰ τῇδε πάντα καὶ κενὸς δρόμος. f. 10.

Νεωτεροποιοῦ καὶ ἀστάτου ψυχῆς ἴδιον, τὸ ὅπου μὴ λυσιτελὲς f. 23. b.
ῥέμβεσθαι.

ΧΑΡΙΚΛΕΙΑΣ.

Ἀβουλήτως οἱ ἄνθρωποι καὶ μισοῦσι τοὺς κρείττονας, καὶ φι- f. 4.
λοῦσι τοὺς χείρονας. Ἀκοὴ ὄψεως εἰς τὸ λυπῆσαι κουφότερον. Ἃ ἐπι-
θυμεῖ ψυχὴ, καὶ πιστεύειν φιλεῖ. Πάθος γὰρ ἅπαν τὸ μὲν ὀξέως f. 28.
γινωσκόμενον, εὐβοήθητον· τὸ δὲ χρόνῳ παραπεπτόμενον, ἐγγὺς ἀνία-
τον. Ποιεῖν τὰ αἰσχρὰ καὶ λέγειν, ὁμοίως ἀπρεπές. Πεφύκασιν οἱ νέοι
θεραπευόμενοι μὲν ὑπερφρονεῖν, βιαζόμενοι δὲ ὑπακούειν. Πειρῶ πει-
θοῖ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ ὀργῇ τὰ ἡμαρτημένα διορθοῦσθαι. Ἡ γὰρ f. 45. b.
τῶν ἐρωτικῶν ἀντίβλεψις, ὑπόμνησις τοῦ πάσχοντος γίνεται, καὶ
ἀναφλέγει τὴν διάνοιαν ἡ θέα, καθάπερ ὕλη πυρὶ γενομένη· ὑπέκαυ-
μα γὰρ ἐπιθυμίας λόγος ἐρωτικός. Ξένη ἐν γῇ τὸ μὲν ὤνιον σπάνιον f. 54. b.
τοῖς ἀγνοοῦσι, τὸ δὲ αἰτούμενον εὐμετάδοτον τοῖς ἐλεοῦσι. Ὁ μὲν f. 87 b.
γὰρ τοῦ κινδύνου φόβος, ἐθορύβει τὰς τῆς ψυχῆς ἐλπίδας· ἡ δὲ ἐλ-
πὶς τοῦ τυχεῖν, ἐκάλυπτεν ἡδονῇ τὸν φόβον· οὕτω καὶ ἐλπίζων ἐφο-
βεῖτό μου, καὶ ἔχαιρε τὸ λυπούμενον.

DE POLITICO OPUSCULO

CARDINALIS SFORTIAE PALLAVICINI.

Eleganti quidem et florido, ut solet, stilo controversiam scribit Cardinalis Pallavicinus, utrum Principem oporteat esse eruditum, nec ne. Revera tamen haec nequaquam controversia est, sed absurdissimae idiotarum vel malitiosorum sententiae irrisio, quod Princeps insipiens potius quam sapiens optandus sit. Quis enim vel puer ignorat Platonis dictum, beatas fore respublicas si rectores habeant philosophos, vel si rectores rerumpublicarum philosophentur? Quis doctam Cyri xenophonteam institutionem nescit, vel Plutarchi scriptum obiurgatorium ad Principem ineruditum, vel tot veterum ac recentiorum rei politicae magistrorum ad adamandam sapientiam exhortationes? Magistra autem veritatis historia nullos fere meliores fuisse Principes vel magistratus tradit, quam eos, qui se doctrinis apprime imbuerunt; cuiusmodi fuere Athenis Pericles, Lycurgus Spartae, Alexander Aristotelis alumnus, Ptolemaeus lagides Demetrii phalerei familiaris, Cato maior Romae, Scipio Aemilianus Polybii auditor, Iulius Caesar, Octavianus, M. Aurelius, Constantinus, imperatores; et deinde inclinato aevo Carolus magnus Alcuini discipulus, Alphonsi duo legionensis et aragonius, Urbini Federicus Feltrius, Florentiae Cosmus atque Laurentius; ut alios omittam qui sunt innumeri. Quid antiquissimi Hebraeorum reges? Nonne in his emineut David ac Salomon divina sapientia pleni? Quid Pontifices maximi Christianorum? Nonne fuerunt doctissimi simul et optimi Clemens I, Damasus I, Leo I, Gregorius I, Hadrianus I, Nicolaus I, Innocentius III, Nicolaus V, Pius II, Leo X, Sixtus V, et denique Benedictus XIV? Videamus in sedibus patriarchalibus quinam ecclesiastici principes potiores visi sint, docti ne an indocti? Doctissimi hercle et omnium fere sanctissimi, Alexandriae Athanasius atque Cyrillus, Antiochiae Ignatius atque Anastasius, Hierosolymis Cyrillus alter atque Sophronius, Constantinopoli

Gregorius theologus et Iohannes chrysostomus. Ceteras vero principales vel nobiles in orbe sedes a doctis item praesulibus potissime illustratas scimus, Mediolanum ab Ambrosio, Raveanam a Petro, Aquileiam a Niceta, Taurinum a Maximo, Florentiam ab Antonino, Moguntiam a Rabano, Lugdunum ab Irenaeo, Pictavos ab Hilario, Remos ab Hincmaro, Cantuariam ab Anselmo, Hispalim ab Isidoro, Toletum ab Idelfonso, Bracaram a Martino, Caralim a Lucifero, Carthaginem a Cypriano, Hipponem ab Augustino, Ruspam a Fulgentio, Salaminam ab Epiphanio, Nisibim a Iacobo, Caesaream utramque ab Eusebio et a Basilio. Certe ut nihil est Principe sapiente admirabilius, sic inscio et ad doctrinas obtuso nil flebilius. Sed enim adversarii moderatiores dicent fortasse, se ineruditum quidem Principem nolle, modice tamen doctum malle quam exquisite. Itane igitur mediocris Principi scientia decora erit et utilis, maior et eximia non erit utilior et gloriosior?

Lucubrationem hanc celeberrimi Pallavicini latentem reperi in codice vaticano, commemoratamque vidi inter ineditas ab Irenaeo Affo Script. parmens. T. V. p. 157, qui in quinque capitula distributam dicit; quod si vere ait, ut credo (et non fortasse deceptus fuit ea quinque capitulorum vel potius argumentorum expositione quae fit apud nos p. 639.) codex vaticanus duo postrema disputationis capitula desiderat. Reapse opusculi argumentum tertio capitulo, non satis concluditur, neque omnibus adversariorum obiectionibus, vel ineptis potius argutiis, responsum videtur. Certe illud capitulum deesse vix dubito quo auctor Principem litteratum, armis quoque fore aptum demonstrare debuit, ut obiecta sibi p. 626. refutaret.

DISCORSO

DELL' ILLUSTRISSIMO SIGNOR MARCHESE

SFORZA PALLAVICINO

POI CARDINALE,

SE IL PRINCIPE DEBBA ESSERE LETTERATO,

al serenissimo

FERDINANDO II.

GRAN DUCA DI TOSCANA.

CAPO PRIMO.

Come si possa lodare un Principe senza sospetto di adulazione; ed introduzione al discorso.

È celebre il detto di quel capitano ateniese, il quale interrogato, che genere di canto più gli aggradisse, quello rispose, in cui sento risuonar le mie glorie. È veramente la lode prezioso cibo degl' animi nobili, non men propria quà giù agli eroi, di quello che secondo le greche finzioni fosse l' ambrosia in cielo agli Dei; e se l' una rendeva immortali i corpi, l' altra ha forza di consacrare all' eternità i nomi e le imprese: onde in quella guisa, che ne' conviti superni si sarebbe disdetto offerire a quei Numi altro pasto, che l'ambrosia; così non dee porgersi dagli scrittori all'intelletto degli eroi altra vivanda, che le loro laudi medesime. Ben è vero per lo contrario, che chi nudrisce di cibo così pregiato persone di non immemorabile vir-

tù, merita supplicio eguale a quello, onde Tantalo fu punito, perchè accomunò alle bocche de' mortali quel celeste alimento. Anzi in una sola proprietà vegg' io diversa quest'ambrosia terrena dalla divina. Quella era fonte d' immortalità a chiunque benchè indegnamente se ne pascesse; ma questa è più tosto somigliante alle altre vivande sostanziose, che invigoriscono le complessioni gagliarde, ed opprimono gli stomachi deboli, poichè la lode e gloria attribuita agli spiriti gloriosi gli avvalora, e gli rinfranca dalla stanchezza che porge loro il disastroso calle della virtù: ma se viene applicata ad un' animo vile, l' infievolisce e l' uccide con un dolce veleno, o più tosto a guisa della bevanda circéa cangia gl' uomini in bestie, e gli rende mostri intolerabili di superbia: ed in questo sentimento si potrebbero con verità proferire quelle parole scritte da Tacito in altro proposito: *pessimum inimicorum genus laudantes.*

Or con quale avvedimento potrà discernere un' uomo, se le lodi che a lui si danno siano ambrosia celeste o tossico pestilente, tributo di proprii meriti o lusinghe dell' altrui adulazione, essendo ciascuno a se stesso la più ignota cosa del mondo per comun proverbio de' saggi? Certamente le persone dell' infimo volgo, non avendo autorità di beneficare altrui, vivon sicure, che l' affetto loro non è stimato degno di comperarsi a prezzo di vergognosa adulazione; ma i Principi essendo essi quelle miniere, onde a noi scaturiscono tutte le grazie, non possono tranquillarsi negli esterni segni dell' applauso universale. E non veggiamo noi, che il sole benchè privo di senso e di vita, ed inferiore di nobiltà eziandio ad una vil mosca, come parla Agostino, doma però l' alterigia umana,

e viene idolatrato da tante nazioni? solo per esser egli dispensatore delle benigne e delle infauste influenze a' mortali? Onde scrive quel tragico: *laus vera humili saepe contingit viro, non nisi potenti falsa.*

Plinio mostrò di credere che sia infallibile argomento di veracità nella lode al Principe attribuita il discendere alle virtù particolari di lui, poichè allora se quegli encomii sono falsi, potrà egli, non riconoscendogli in se, dubitare che sotto le spoglie del panegirico sia mascherata la satira; o che quella altro non sia, che una occulta rimproverazione de' suoi mancamenti. Ma troppo è questa regola ancor fallace. Quale più sproporzionata prerogativa si può ascrivere ad un uomo di fango, che la divinità? E pur tanti Re hanno graditi i tempj e le vittime, ed è talor convenuto che il nemico abbia insegnato ad essi a caratteri del loro sangue la debolezza della mortalità natía: *nihil est, quod credere de se non possit, cum laudatur Dis aequa potestas.*

Non si vidde già mai scarsezza di lingue interessate, che per isparger nell' animo del Re loro semi di benevolenza tanto fecondi, quanto sogliono esser le laudi, molte speciali eccellenze falsamente gli attribuiscono. Prossima è in costoro la speranza del guiderdone, e lontanissimo il timor del castigo, sì perchè malagevolmente potrà discernere il Principe le proprie imperfezioni, mentre viene affascinato dall' altrui testimonianza, alla quale in materia sì favorevole si porge non minor fede, di quella che già davasi ai responsi della Pizia e della Sibilla; sì anche perchè se pur egli con occhio linceo affissasse lo sguardo ne' proprii difetti, stimerà però che l' adulatore venga acciecato dall' affezione verso di lui; e quando pur quelle voci

riconoscesse per lusinghiere, avrà un certo compiacimento di vedere con quanto studio si procaccia il tesoro della sua grazia, e crederà più tosto che quelle parole siano espresse per desiderio di solleticargli le orecchie con adularlo, che di forzargli l' animo con riprenderlo.

Solo una strada mi si rappresenta, onde possa il Monarca assicurarsi dell' amore e dell' applauso commune, unica palma della virtù: guardi egli se alla sua presenza osino gli altri di ricercar nell' idea del perfetto Re prerogative sublimi, senza favellar della sua persona particolare: poichè cessando in questo caso e la speranza d' acquistarsi l' amor di lui per mezzo degl' encomii, e tutti gl' altri rispetti di sopra accennati, che spingono un cuore interessato all' adulazione, niun sarà così folle, che voglia affermar per necessaria nell' ottimo Principe quella dote, onde il suo signore è mancante, dichiarandolo in tale maniera per indegno dell' imperio che regge. Mentre dunque si faccian lecito gl' inferiori di parlare con libertà, nè poteva egli essere adescato dal guiderdone, ed atterrito dalla pena per l' assoluta potenza che esercita sopra altrui, sparse la natura per lui su le lingue degli uomini il néttare della lode, ed il veleno del biasimo; e costituì il primo per ricompensa delle sue magnanime geste, e il secondo per castigo de' suoi misfatti. Decretò parimente, che l' autorità reale, siccome non ha impero nel cuore umano, così nè meno alle umane lingue soprastasse, che godono la stessa immunità, essendo ministre ed interpreti di esso cuore. E tuttavia poco efficace è sovente il terrore di simil supplicio. Sanno bene i Principi domar l' audacia delle favelle, e riesce talora pericoloso lo sfogare a guisa del barbiere di Mida con

la sorda terra i liberi sentimenti dell' animo, senza che le lingue scocchino per lo più contro i Principi gli strali a vuoto, nè arrivino a saettar loro l' orecchie. Fia dunque di mestieri qualche più interno ed inevitabil castigo a raffrenargli dalle azioni malvagie; nè può questo derivar loro altronde, che dal verme della sinderesi, il quale col rimorso delle sceleraggini commesse, roda loro perpetuamente le viscere.

Ma troppo agevolmente l' incanto delle voci lusinghiere trasforma agli occhi di un Principe ignorante i serpenti in donzelle, gli aconiti in rose, in somma i vizi in virtù, in quella guisa che spiega Platone ne' libri della republica. Fia dunque d' uopo in questi la dottrina, la quale a guisa dello specchio di Rinaldo rappresenti ad essi la vera sembianza delle proprie vergogne. Questa con orribil voce tuona loro perpetuamente su l' orecchie dell' animo; e la verità, che trova gli argini delle lingue adulatrici per passare all' udito, ha col mezzo de' libri agevolissimo il varco per gli occhi al cuore. Non si arrossiscono le carte, come dice l' antico proverbio, nè si agghiaccia loro la favella in cima alle labra, e colla medesima ingenuità parlano sicuramente alla vil plebe, ed alle riverite corone.

Ah che m' avveggio ora non esser vero del tutto, ciò che io ragiono. Anche i libri sono infetti sovente dalla ria peste delle lusinghe; nè manca, chi per applaudire alla ignoranza de' Principi procuri d' intessere ad essi ghirlande trionfali ne' proprii componimenti, armando una falange di ragioni per acquistarle giuridico possesso in ogni trono reale. Nè questa è miseria propria del nostro secolo. Insin Platone nello stesso proposito non si maraviglia, che mentre gl' ine-

sperti naviganti hanno impreso temerariamente a guidare il vascello, si sprezzi la scienza de' periti marinari, e si reputi superflua la notizia delle stelle e de' venti. Udite, per Dio signore, con che belle spoglie di verità si adorni talora la mensogna, e quanto si mostri invitta la falsità, mentre in favor di lei scocca l'eloquenza tributaria i suoi strali.

CAPO SECONDO.

Ragioni le quali persuadono, che il Principe letterato sarà poco abile agl' affari della pace e della guerra.

Perchè ammorbar la mente del Principe (esclaman coloro) con un veleno così pestifero come le lettere, onde si renda egualmente inetto a' ministeri della pace, ed imbelle negli esercizi della guerra? La prudenza è prole dell' uso, non dello studio; lunga è la via de' precetti, ma breve ed efficace degli esempi. Quell' Ulisse, in cui l' idea della prudenza ne fu scolpita da Omero, non consumò il fior degl' anni fra' i libri composti dagli uomini, ma studiò diligentemente quest' ampio volume del mondo, ove la divina destra a caratteri d' oro scrisse gli arcani della sua providenza infinita. Tanto riesce più difficile il governo de' regni in effetto, di quel che si finge un filosofico cervello nella vanità delle sue contemplazioni, quanto è più malagevole il viaggiar per l' oceano, o per le Alpi, che lo scorrervi sopra con gli occhi nelle dipinte carte di Tolomeo. Non si avvisò mai Fetonte, quando impetrò di guidare il carro paterno, che nelle vie stellate albergasse la fierezza di tanti mostri; nè così indomito reputava il furore de' superiori destrieri; e tuttavia il

Monarca erudito, fondato sugli argomenti chimerici, sprezza l'esperienza e il consiglio che sono ambedue gli occhi del principato. Non costituì già mai la natura l'erario di tutte le sue ricchezze in un solo petto, nè le stelle abilitarono a tutti gli affari del mondo un animo istesso. Il Principe idiota supplirà al difetto della umana condizione con l'abbondanza de' ministri; ma il Re scienziato sdegna quasi di confessare che egli è uomo, e si vergogna quasi di mostrarsi bisognoso di aiuto; tale che quando pure in una o altra sorte di maneggi riesca in mille, urterà però negli scogli di gravissimi errori.

Abborre costui gl' ingegni eminenti, procurando che nell' altrui debolezza risplenda maggiormente la propria eccellenza; e quasi rei di lesa maestà verranno nel cuor di lui condannati quei servitori, li quali con la prudenza de' consigli, e con la destrezza delle assicurazioni, tentano rapirgli di mano lo scettro che ei pretende di possedere in tutte le perfezioni dell' intelletto. E per lo contrario gli errori del ministro, gli saranno alimento di benevolenza, mentre tanto più col paragone di questi, si compiacerà egli nell' altezza del proprio intendimento. Or consideri ciascuno che fausti avvenimenti sperar si possono in quella republica, ove premio del ben servire sia l' odio del Re, e castigo de' mancamenti l'amore. Ma il Principe idiota, il quale nella potenza sola eccede il resto de' mortali, goderà che a quella prerogativa, onde egli risguardevole apparc, s' inchinino tributarie tutte le altre perfezioni dell' uomo; e gloriandosi, come disse colui, che il sapiente sia veduto sulle porte de' grandi, sceglierà per ministri o per consiglieri i migliori intelletti dell' età sua. Che s' egli non arrivasse da se medesimo a di-

scernere i più eminenti, seguirà almeno la più sicura scorta della fama, eleggendo i più gloriosi; e l'esempio sì celebre di Giustiniano avvalora notabilmente questo discorso.

Commette il Monarca ignorante alla cura de' ministri gli affari che alla giustizia appartengono, e donde l'odio si raccoglie per frutto, riserbando a se quella parte del regno che più si accosta al divino, cioè l'amministrazione delle grazie, la quale richiede anzi un buon giudizio naturale che molte sofistiche speculazioni; dove il Principe letterato pavoneggiandosi di un simil pregio, per ostentarlo agli altri, s'intromette ne' maneggi del foro, incorrendo insieme l'odio di chi resta perditore, cagionando infinita lunghezza a' negozi, che con celerità potrebbero terminarsi da molti ministri più esperti e meno occupati di lui; e finalmente esaurendo il tesoro del tempo in queste cure di poco rilievo, onde gli convien poi trascurare gli affari più importanti della repubblica. Suole anche talora scaturire dallo studio effetto direttamente contrario, ma di egual nocumento ai già sopradetti; separa del tutto sovente la contemplazione gli affetti d'un uomo da' maneggi politici pieni di tumulto, e soggetti alle vicende della fortuna; onde quasi indegni della sua considerazione gli sprezza o gli trascura, come avverte Platone; affissa ogni suo sguardo in quel mondo intelligibile, nè vuole infangarsi il pensiero nelle cose sensibili; e passeggiando su le cime del cielo, non si prende cura degl'accidenti terreni.

Quindi è, che tanti Principi dediti alla dottrina, sono stati deposti per inetti dal trono, come Mustafà imperatore de' Turchi, e Bajazzet scacciato dal suo impero col mezzo de' giannizzeri da Solimano suo fra-

tello minore, mentre egli stava tutto immerso nelle speculazioni d'Averroe. S'aggiunge alle cose già dette, che lo studio a guisa d'un certo veleno ammorba i corpi, e gli rende inabili alle fatiche del governo, e tanto più agli esercizi di Marte che sono talora in un prudente regnante sì necessarii. Anzi non pur le membra esteriori, ma l'animo istesso viene dalla filosofia infiacchito, in maniera che gli farà preporre la quiete di una vergognosa pace a' pericoli d'una guerra ricca di speranze e di glorie: rende costui gli uomini cauti e paurosi, per la cognizione de' rischi soprastanti, secondo che insegna Aristotele; e pure nelle battaglie si richiede una felice temerità; nè per altro si adopera ivi lo strepito incomposto de' tamburi e delle trombe, che per accecare di furore i combattitori, affinchè non veggano l'orrida faccia della morte che vi corre per trionfare di quei forsennati. Non si dipingono già mai le muse armate, come nota Eliano; sanno esse cantare e non acquistar trofei, e molto diversi sono i lauri di Febo da quei di Marte. Consideri chi non si appaga delle ragioni già dette, che il gran Tamberlano di rustico bifolco di Tartaria, divenne uno de' più spaventosi fulmini di Bellona; e che Cicerone dall'altra parte, apparve in una guerra di niente, una timida donnicciola (1).

Richiede il mestier dell'armi somma celerità nel risolvere, e talora la trascuraggine di un momento

(1) S'intende, credo, la guerra di Cilicia nel suo proconsolato; ma in questa non apparisce timido Cicerone nè per ciò che esso narra nella sua bella lettera a Catone, nè per quanto ne dice Plutarco nella vita di lui. Ebbe anzi dall'esercito l'acclamazione d'*imperatore*, e ricusò per modestia il trionfo che il senato gli avea decretato.

porta seco la perdita di un reame. Come dunque fian atti a questa professione i letterati, nella cui mente alberga infinita perplessità? mentre scorgendo ragioni per ogni parte, consumano gl' anni in discorsi, senza appigliarsi già mai a determinato consiglio. Riecrea oltre a ciò la milizia nel capitano l' affabilità de' costumi e l' ilarità del volto. Se tali sogliono essere i letterati, non è chi nol sappia: essi quasi fossero trasformati in tanti Numi del cielo, veggonsi abborrire e sprezzar la plebe, menar vita solitaria, ed aver sempre mai l' effigie della mestizia impressa nel viso. Ben conobbe questa verità la spartana republica, mentre sbandì da' suoi confini, per testimonianza di Plutarco, le discipline; e pure ella ebbe il primato nell' armi fra tutte le città della Grecia, come Seneca afferma. I Romani altresì discacciarono più volte i ministri della facondia e della filosofia, e senza di esse trassero incatenati tutti i regni del mondo nel Campidoglio. Non si dia fede in simil materia all' appassionata testimonianza degli scrittori, i quali essendo giunti con mille sudori e stenti a sposar la sapienza, la vorrebbero reina e non serva, e procurano d' ampliare il patrimonio di lei, rendendole tributarie tutte le arti morali e politiche, e celebrandola per dispensatrice de' tesori, madre delle virtù, arbitra degl' imperii, trionfatrice degl' eserciti, e sovrana moderatrice dell' universo.

CAPO TERZO.

Si mostra che il Principe letterato riuscirà eminente ne' ministeri della pace, e si risponde alle ragioni di sopra addotte.

Con queste nuvole si sforzano d' eclissar le glorie della sapienza alcuni scrittori, nè stimano ingratitudine il saettarla con quelle armi della eloquenza, che da lei ricevettero in dono. Io sotto gli auspicii suoi mi espongo alla battaglia per patrocinio di lei, e sono certo del trionfo, s' ella con un suo benigno sguardo m' inspira vigore alla mente. E perchè non c' intrichiamo tra i laberinti dell' equivocazione, dobbiamo presupporre che il sapere generalmente parlando altro non è che un lume, onde l' intelletto scopre agevolmente e con distinta chiarezza la verità delle cose. Questa come in suo primo fonte risiede nella mente divina, la quale senza tempo o fatica rivolgendo lo sguardo in se stessa vi comprende in un momento le purissime idee di qualunque oggetto creato. Ma di quell' infinito lume, solo qualche minuta scintilla si diffonde agli umani intelletti, a chi maggiore, a chi minore, conforme alla diversità individuale delle anime, ovvero come altri crede alla differenza degli organi e del temperamento. Anzi questa favilla della sapienza divina, che in noi risplende, che ingegno o lume di ragione viene appellata, resta soffocata in gran parte sotto la terrena polvere del corpo mortale, onde per avvivarla, fu trovato il mantice dello studio. Nè altro forse vollero i platonici con quel loro trapasso per mezzo della contemplazione dal veicolo ostraceo

all' etereo, e dall' etereo al sereno cielo, che liberare affatto questo poco splendore dell'animo nostro da ogni affascinamento che le caduche membra gli arrechino. Ma siccome è più lucido il sole, benchè cinto da qualche nuvola, che la luna mentre è libera da ogni velo, così è più acuto talora qualche ingegno per natura eminente senza l' aiuto dello studio, che qualche altro intelletto debole, benchè rischiarito quanto esser si possa per mezzo delle dottrine. E questo non solo accade ne' governi politici, ma nelle scienze ancora, nella eloquenza, ed in tutte le professioni. Ben è vero che siccome o la luna, o il sole rispetto a se stessi sono più lucenti di gran lunga, allorchè le nubi non gli circondano, così quegl' ingegni naturalmente grandi, molto più vivaci sarebbero, se per mezzo delle lettere si sgombrasse loro d' intorno questa nebbia sì folta, onde vengono in gran parte soffocati dalla caduca mortalità; e quegli altri per natura tenui, molto più si mostrerebbero ottusi, se non si fossero alquanto affinati nelle discipline. Da questo discorso verissimo ciascuno raccoglier può la risposta a mille esempi che si adducono di Principi ignoranti, che riuscirono prudentissimi, e di studiosi che furono inetti al governo. E chi non vede che Sansone quando con la mascella di un vil giumento atterrò tanta moltitudine di nemici, quali prodezze avrebbe fatto con la spada e con l' asta? Che Paride dall' altra parte allorchè cinto di ferro apparve sì debole nel duello con Menelao, sarebbe però stato al primo colpo trafitto, se non l' avesse alquanto difeso lo schermo dell' armatura?

Il creder poi che in seno alla sola esperienza alberghino le miniere della prudenza politica, è vanità. Vengono comunemente rifiutati quei professori di ma-

dicina che empirici nomati sono; e pur essi trascurano bensì le ragioni, ma non tralasciano d' investigar ne' dotti volumi i casi avvenuti agli antecessori. Or che diremo noi di quei politici, i quali da' soli accidenti occorsi tra le angustie di una vita fuggitiva, sperano raccoglier frutti di prudenza per ogni emergente, non considerando le strane vicende che accadono in questo mondo sì variabile, non isperimentate sovente non pur da eroi, ma nè meno dagl' avoli nostri di venti secoli innanzi? Oltre che non potranno essi penetrar la midolla di quelle ragioni, e pervenire alla sottigliezza di quelle conseguenze, che ne additano gli autori più saggi. Quanto è felice quel figliuolo, il quale gode senza fatica propria ampie ricchezze accumulate dal padre, tanto è fortunato quell' ingegno, il quale credita ne' dotti componimenti quei tesori di prudenza, che con infinito studio ed osservazione sono stati raccolti dagli scrittori: *seniorum consilia*, dice un famoso autore, *quos longa aetas prudentiores effecit, laudantur*.

Strano pensiero voler che il Principe, per sì lunga strada s' incammini al tempio della prudenza, che appena vi giunga decrepito ed un momento prima della sua morte! Non si considera, che intanto nell' età più fiorita s' intricherà ne' lacci di mille errori, ed allora diverrà atto a regnare, quando il suo regno sarà giunto all' occaso. Tanto è possibile che un solo ingegno provi ed avverta tutti gl' accidenti politici da se stesso, quanto che un solo astronomo senza la scorta degli scrittori vegga e consideri tutti i moti e le variazioni del cielo, e che un solo fisico faccia isperienza di tutte le proprietà onde i naturali corpi sono arricchiti. E finalmente io non vieto, che si procuri raccorre pre-

cetti ancora dall' uso, ma non ogni momento si spenda nell' operare; ed un intelletto culto dalla dottrina, ricevendo i semi dell' isperienza, rende assai più larga messe di conseguenza e di massime ben fondate.

Scorse è vero molti anni Ulisse l' ampia mole del mondo; ma prima delle sue curiose navigazioni, il veggiamo aver sì gran parte nel reggimento dell' esercito greco, e nella espugnazione di Troia, e con titolo or di facondo, or di diserto, lo leggiamo onorato dagli scrittori; ondo è verisimile che nell' età più verde procacciasse quella notizia delle cose avvenute, e de' governi, e di pace, e di guerra, che la rozzezza del secolo gli concedeva; e forse non sarebbe egli stato agitato da sì strani disastri, se avesse prima potuto addottrinarsi nelle carte di Tolomeo. Il caso di Fetonte ci figura un giovane che temerariamente prenda le redini del governo, non un Re cauto che da fonti de' saggi scrittori abbia succhiata antecedentemente notizia de' pericoli e degl' intoppi.

Già fia tempo di venire alle prese, e d' assalire sotto le insegne de' più forti argomenti, quelli che per la contraria parte guerreggiano falsamente. Presuppongono gli avversari che non possa riuscire abile un Principe a tutti i maneggi reali; bastando in ciò la scienza delle cose morali e delle politiche, la cognizione delle leggi, i pregi della eloquenza, e la notizia dell' arte del guerreggiare, le quali prerogative non è gran fatto, che s' uniscano in un ingegno elevato; e spesso ne veggiamo gli esempi: ma in ogni caso scorgerà almeno l' abilità in altrui, e sarà capace di ricevere utile dal consiglio. È proprio della ignoranza il disprezzare ogni avvertimento, ed il presumer di se stesso ogni cosa. Chi non ammette quest' assio-

ma, si riduca a memoria Ilieroboam, che derise infelicemente le ammonizioni de' saggi consiglieri, e si vergognava di esser paragonato con Salomone. L' umana debolezza è il primo insegnamento che si apprenda ne' libri, nè può restare ignota ad un Monarca erudito. E non vorrà egli più tosto addottar come suoi parti i segreti consigli altrui, conciliando a se l' applauso del popolo, che sprezzandogli, dichiararsi al mondo per imprudente, ed a' consiglieri per ostinato?

Non si sdegnerà d' usar l' opera de' ministri, essendo questo di maestà più che di fiacchezza argomento. Così veggiamo che l' eterno Monarca, il quale potrebbe con un dito della sua destra dare il moto a tutte le sfere, si serve nondimeno delle cagioni inferiori, ed aggira i cieli per mezzo delle intelligenze assistenti. Che il Re dotto abborra gl' ingegni grandi, è assioma finto da coloro che falsamente si presumono tali. Bramerà egli *eminere inter illustres viros*. La somiglianza degli studi cagiona amore eguale alla strettezza del sangue, se crediamo a Cicerone. Ben è vero che talora genera l' odio accidentalmente, come nota il filosofo, per l' ostacolo, che l' uno arreca alle pretensioni dell' altro. Ma questa ragione non ha luogo nel Principe, il quale non ambisce alcuna dignità, che dal ministro letterato gli possa venir impedita. Albergherà in lui l' emulazione, ma non l' invidia. Questa ha sede per avviso d' Aristotele ne' petti vili, ed essendo un rammarico dell' altrui eccellenza, s' ingegna quanto può di abbassarla. Quella regna negli animi generosi, ed è solo un ansietà di pervenire alla eminenza, che si ammira in altrui. Anzi goderà un Principe vago di gloria di sentire sproni si acuti al fianco della virtù, essendo ogni uomo:

Come destrier che men veloce corre
Se non ha chi lo segue o chi il precorre.

Odierà egli il ministro debole, come dissimile, e come quello che con la mala riuscita dichiara per imprudente l' elezione del suo giudizio, e finalmente come persona che non può dar pasto proporzionato al suo nobile ingegno. Tanto si compiacerà più degl' altri eccellenti, che degli scrittori grandi che de' volgari, poichè vi è la disparità dell' esser gli uni vivi, e gli altri già morti. L' inetto tanto più volentieri leggerà i libri che risguardano solo all' emulazione delle dignità e de' guiderdoni, onde sono premiati solo i viventi; ma non già della gloria, la quale a' nomi, non a' corpi conviene, e si può egualmente emulare e ne' passati e ne' presenti, come dimostrano le lagrime sparse dal magnanimo Cesare per le vittorie d' Alessandro. Sarà grata forse l' eminenza de' servitori al Monarca ignorante? in quella maniera appunto, che ad una reina deforme, e gelosa dell' amor del consorte, fia gradita la beltà delle sue damigelle. Odierà egli per certo quella rimproverazione de' suoi mancamenti, onde l' eccellenza del ministro perpetuamente lo sgrida, e vorrebbe che il nome di letterato fosse ignoto alle genti, perchè l' ignoranza non si stimasse difetto. Anzi come già disse della romana republica quel tiranno, bramerà che la dottrina avesse una sola testa per poterla estinguere affatto con un sol colpo. Temerà sempre costui, che *servus sapiens dominetur filiis stultis.* Nè può albergar nè potenti un simil timore separato dall' odio, ed in ogni caso non prezzerà il tesoro della sapienza quanto conviene. Ella è annoverata fra le cose divine, e queste non sono degnamente stimate, se non da chi le possiede. Ma posto ancora, che il Principe

indotto procuri di compensare il suo mancamento con la singolarità de' ministri, non potrà egli distinguer già mai il saggio dal temerario, che si assomigliano nell'apparenza per avviso di Platone. La cecità del vecchio patriarca fe', che egli restasse ingannato dalla finta pelle nel discernere il suo primogenito; nè altri che un' Ulisse poteva raffigurar l'eroe di Grecia, mentre vestivano a lui conformi le donzelle di Sciro.

Si fiderà della fama per avventura? della fama madre e nudrice delle mensogne, come vantano le descrizioni di tutti i poeti? Ella è prole del concetto popolare, intorno a cui scrisse un filosofo: *non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Signum pessimi turba est.* E poi il fiume della fama non arriva mai sincero alla mente del Principe, sempre vi si mischia il liquore d'uno di quei due rivi dell'Ariosto, dell'amore e dell'odio. Chiunque favella al suo cospetto di qualche persona, o la esalta per affezione, o la deprime per invidia. Nè sempre ed in tutti i carichi si possono collocar ministri famosi. Oh come è pericoloso oltre a ciò il fidarsi totalmente d'altrui nel governo de' regni? Mi sovviene ora quel detto di Tacito, che quegli il quale porge consiglio ne' grandi affari, *considerandus est adiiciat ne consilio periculum suum.* Benchè spesso la fedeltà nel ministro sia una Danae ben custodita, non è però che non possa venir corrotta dall'oro che le piova nel seno. Se l'autorità del regno sta divisa tra molti officiali, senza che il Principe sia la suprema intelligenza che li governi, avrà quel reggimento i difetti dell' aristocrazia, nè goderà le perfezioni di essa, poichè soggiacerà alle discordie da una parte, e dall'altra gli amministratori della republica non avranno l'incita-

mento d'ampliare il proprio stato, e di conservare a se stessi la libertà.

Che il Re sopraintenda a' maneggi del foro, io lo stimo utilissimo pe' soggetti, ed ho per la mia sentenza l'esempio di Cesare, di Augusto, di Alessandro Severo, e d'altri gloriosi monarchi (1). È proprio ministerio del Principe il giudicare, nè ad altro fine per avventura fu da prima la potenza reale introdotta. L'avarizia e la passione, sono due serpenti che spruzzan fiele alla giustizia nel volto, e contro l'impeto loro non è munito il petto d'un ministro privato; solo il Principe è superiore ad ogni interesse per l'abbondanza de' tesori, e libero dal soverchio affetto, poichè questo suol nascere dall'amicizia e dalla parentela, nè si stringono per l'ordinario con sì fatti lacci se non gli eguali. Assisterà sempre la giustizia alle operazioni del giudice, s'ei prevede che debbano venir bilanciate con severa trutina dal suo signore. Allora la parte vittoriosa riconosce il benefizio più dal Principe che dal ministro, essendo più pronti gli uomini a professar obligazione col superiore che con l'eguale, poichè l'uno è segno d'imperfezione per l'inferiorità che tiene l'obligato al benefattore, e l'altro è argomento di sì gran pregio. La diligenza e la rettitudine sono potentissimi mezzi a regolare qualsivoglia cosa che possa recar biasimo. Ma se il Monarca, o non vuole, o non regge il peso di queste cure, allora i lamenti del popolo arrivano a ferir le stelle, e ciascuno che vien condannato, condanna la trascuraggine del regnatore, il quale godendo quegl'ampi tributi di ricchezze e di onori che a lui si porgono,

(1) Per esempio, di M. Aurelio presso Frontone *de feriis alsiensibus* epist. III.

perchè difenda dalla ingiustizia e dalla oppressione i suoi stati, giace immerso nell' ozio, e lascia libero il freno alla negligenza ed alla rapacità de' ministri, rendendosi la più inutil persona della republica. Nè fia cagion di lunghezza alle cause, la sopraintendenza del Re; basterà a lui per esercitare il proprio sapere di avere una compendiosa relazione, e questa nelle cose più gravi. Anzi i giudici dovendo riferire al Principe lo stato de' negozi, non saranno infingardi in condurgli a fine, nè si lascieranno come Atalanta ritardare dalla vaghezza de' pomi d' oro.

Non intendo io, in qual maniera gli avversari non istimino speso con gran frutto il tempo applicato dal Monarca a questa cura, che forse è più necessaria di tutte per la frequenza de' negozi, e per la moltitudine degl' interessati. Nè senza mistero si finse, che Astrea fosse l' ultima fra gli Dei ad abbandonare i mortali. E la sentenza che diè Salomone intorno all' incerto figliuolo, è annoverata dalle sacre lettere per una azione degnissima di quel Re glorioso. È vana opposizione, che il Principe venga in tal maniera distratto dagli altri maneggi, poichè una simile sopraintendenza si contiene entro a brevissimi confini di tempo; ed egli quando da ambizioso affetto sia tocco, vorrà mostrarsi egualmente perfetto in tutte le arti del regno.

Ma che diremo noi del fondar le leggi, ministero degno non pur di un Principe, ma di un Dio? tanto che siccome è notissimo, i supremi legislatori, furono ammaestrati dal cielo, come Mosè; o al cielo riferirono fintamente l' origine de' loro instituti, come tanti altri. Se nell' autor delle leggi si richiede la dottrina, lo dica il consentimento di tante nazioni, che per avere sì prezioso liquore, ricorsero sempre al fonte de'

più celebrati filosofi. Nè mi opporrà l' esempio di Giustiniano, chi diligentemente esamina le azioni di lui nelle istorie ultimamente uscite di Procopio suo secretario. E poi io rispondo, che l' aver ministri eccellenti nel Principe letterato, sarà frutto di prudenza, ma nell' ignorante è solo un favor di fortuna.

Abbiamo distrutti finora quegli argomenti, onde s' inferiva che il Re dotto, sia per abbracciar negozi superiori o di qualità o di numero alle sue forze, rifiutando ogni aiuto esteriore. E tosto ancora vedrete svanir come nebbia dissipata dal sole quelle ragioni, le quali persuadevano, che la speculazione distragga soverchiamente il Monarca da' maneggi del governo, poichè i letterati sono tanto della sapienza invaghiti, che più godono nello studiare che nel regnare; e che procaccino per fine il sapere, e non l' indrizzino più tosto per mezzo al conseguimento degli onori e delle ricchezze. Nel vero io stimo che bene applicar si possa alla sapienza quel dotto discorso di Socrate appresso Platone intorno alla giustizia, ove si dimostra, che non mai può ella piacere per la propria bellezza, se non avesse i lisci della lode e del premio. Poco allettò la vista di Paride Minerva ignuda; e Dio per rappresentarci la sapienza in sembiante che attraesse il cuor de' mortali, ce la figura con un ricco tesoro nella sinistra. Il sapere è parte della fatica, e questa è fuggita sopra ogni cosa dagli uomini. Ben la soavità del frutto che se ne raccoglie talora raddolcisce l' amarezza di essa; ma se per avventura il danno da lei germoglia, viene abborrita quasi veleno. Non è dunque verisimile, che il Principe con sua vergogna e con rovina nel proprio stato, voglia consumarsi ne' libri. Più sovente accade che l' animo de' grandi, resti in-

felicemente invischiato fra' diletti del senso, che delle lettere. I cigni di Parnaso quando finsero qualche allettamento ne' loro eroi, per ritardarli dalle magnanime imprese, benchè per altro desiderassero d' attribuire a quelle idee di virtù le meno riprensibili distrazioni, tuttavia per non allontanarsi dal verisimile, non ricorsero già mai a' piaceri dello studio, ma sempre a quelli del senso, a cui più c' inclina la fragilità di queste membra terrene.

Ma penetriamo di grazia con l' intelletto alla midolla di questo punto. È necessario che il Principe allenti l' arco talora delle cure più gravi. Io domando qual ricreazione sarà più lodevole in lui? quella per certo, la quale ha minor forza d' allettarlo soverchiamente; quella che meno di ogni altra può cagionar tumulti o disordini; quella che lo distragga da' piaceri più perniciosi; quella che lo renda più venerabile al popolo; quella finalmente che lo perfezioni nell' arte del governare. Or dimostriamo qual trattenimento abbia più d' ogn' altro le sopradette circostanze. Quanto al primo capo, oltre alle ragioni accennate di sopra, abbiamo il consentimento delle istorie, le quali per un Re soverchiamente studioso, ne riferiscono tanti addormentati nell' ozio, nella libidine e negli altri diletti. Intorno al secondo sappiamo, che la lascivia ha tante volte aguzzati i coltelli contro alle teste degl' imperatori, ed ha ridotto in cenere le monarchie. I gloriosi regni della Spagna, per tacere degl' antichi esempi, sopportando il barbaro giogo per molti secoli, possono far testimonianza, quanto ella sia pestilente ne' regnatori (1). Gli altri vizi ancora hanno ricetto

(1) Si accenna il disonesto fatto, vero o preteso, dell' ultimo re visigoto Rodrigo, e la vendetta del conte Giuliano che spinse i Mori d' Africa in Ispagna.

nelle teste coronate, e lasciano sempre infauste vestigia negl' imperii, del loro veleno; ma l' intemperato studio, non suol esser cagione d' alcun danno particolare.

Passiamo al terzo e quarto capo. I piaceri purissimi della sapienza rendono abominevoli quelli del senso per detto di Platone, mentre innalzano gli animi dagli oggetti terreni. E pure abbiamo dianzi parlato e provato, che i gusti sensuali sono i più nocivi di tutti. Sarà forse chi ponga difficoltà? Udite Seneca: *numquam in tantum convalescet nequitia, numquam sic contra virtutes coniurabit, ut non philosophiae nomen venerabile et sacrum maneat.* E scorriamo con la mente per tutte le nazioni, troveremo i letterati in venerazione. Ma gli altri trattenimenti sono fonti del disprezzo per l' ordinario, mentre agguagliano il Principe a' privati, e lo fanno conversare con soggetti senza ritenere il decoro.

Il quinto capo è forse il più manifesto di tutti, poichè i regni si governano con l' intelletto, il quale da niun' altra ricreazione, fuorchè dallo studio si perfeziona; e quel tempo che in ciò si spende, può rendere abbondante usura di prudenza, molto maggiore che se si fosse consumato nell' operare. Quegl' Imperatori che furono immersi ne' libri, e furono deposti poi dal principato, avevano spiriti deboli per natura, ma la dottrina non li rendeva più inetti, nè meno abili al regno. Tempera ella il desiderio di comando, ma non l' estingue; avvegna che *quod infixum atque ingenitum est, lenitur arte non vincitur.* Raffrena i tirannici affetti, ed è quella legge scolpita nel cuore del Principe sì commendata da Plutarco. Ben è vero che diviene talora il sapere arme d' iniquità, se i suoi vir-

tuosi dettami sono superati dal vizio; poichè perfezionando l' intelletto, avvalora il suo possessore a conseguire ogni fine o buono, o reo, secondo che avverte Aristotele. Ma siccome non fia chi persuada ad una republica mandar gli eserciti inermi, perchè i soldati di Cesare rivolgesser le spade in ruina della patria, così non dovrà alcun popolo desiderar nel Principe, che per suo difensore è costituito, mancamento di perfezione, perchè talora alcuni tiranni se ne siano abusati in oppressione de' sudditi, come Dionigi siracusano, Tiberio, ed altri. Non è lo studio, come altri crede, un tardo veleno delle complessioni. La sapienza ci si rappresenta da Dio con una moltitudine di anni nella destra; se consuma in qualche parte gli spiriti, giova però grandemente, acchetando le tempeste dell' animo, secondo che c' insegna Ippocrate, e raffrena da molti disordini più dannosi: che finalmente il cibo ancora, onde si conserva la natura, distrugge sempre alquanto l' umido ed il calor naturale; oltre a che non richiede Platone in un perfetto Principe robustezza di forze, ma solo prudenza di mente.

FINE DEL VOLUME.